Glossarium antiquitatum Britannicarum, sive syllabus etymologicus antiquitatum veteris Britanniae atque Iberniae temporibus Romanorum. Auctore Willielmo Baxter ... Accedunt ... Edvardi Luidii ... de fluviorum, montium, urbium, etc. in Britanniâ nominibus, adversaria posthuma / [William Baxter].

Contributors

Baxter, William, 1650-1723.
Lhuyd, Edward, 1660-1709.

Publication/Creation

Londini : Impensis T. Woodward [etc.], 1733.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/dp442a9z

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

12.698/B

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30506621

32699

Highmore pinx. G. Vertue sculp.

WILLIELMUS BAXTER, Cornavius

Obiit 31.° Maii 1723. An.° Etat. 73.

GLOSSARIUM ANTIQUITATUM *Britannicarum*,

SIVE

Syllabus Etymologicus

ANTIQUITATUM

Veteris Britanniæ atque Iberniæ,

Temporibus Romanorum.

AUCTORE

WILLIELMO BAXTER, Cornavio,
Scholæ Merciariorum Præfecto.

ACCEDUNT

Viri Cl. D. *EDVARDI LUIDII*,
Cimeliarchæ Aſhmol. Oxon.

DE

FLUVIORUM, MONTIUM, URBIUM, &c.

In Britanniâ Nominibus,

ADVERSARIA POSTHUMA.

EDITIO SECUNDA.

LONDINI:

Impenſis T. WOODWARD, C. DAVIS, J. HAZARD,
W. BICKERTON, & R. CHANDLER.
MDCCXXXIII.

KING'S COLLEGE LONDON

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viro ornatissimo doctissimoque

RICHARDO MEAD, M. D.

LITERARUM FAUTORI, AUCTORI, STATORI,

HOMINIBUS demerendis nato,

LIBRUM HUNC,

IPSIUS CONSILIO ET HORTATU

AB INTERITU OLIM VINDICATUM,

NOVA NUNC LUCE DONATUM,

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA,

D. D. D.

JOANNES BAXTER,

AUCTORIS FILIUS.

Viro Clariſſimo Doctiſſimoque

D. RICARDO MEAD, *M.D.*

Willielmus Baxter

S P. D.

TAMETSI jam eâ ſim ætate ut amicis penè omnibus ſuperſtes videar, eâ tamen nunc uſus ſum felicitate ut illorum, triſte alioquin, deſiderium Tua,

Vir

Vir Clarissime, in me Benevolentia multò levius efficiat: Opportunè etiam mihi hæc oblata est occasio hoc qualequale grati animi testimonium exhibendi. Egregiæ Tuæ in Arte Medicâ dotes tot tantæque sunt ut supra omnem laudem assurgant, imò ipsam vincant invidiam: Eas igitur hìc enumerare necesse non habeo. Nec quenquam latet quàm proclive in recondita Literariæ Antiquitatis studia Tuum sit ingenium, quàm in cognoscendis ejusmodi rebus peritum, quàm in colligendis minimè parcum, quàm liberale in erogandis ad easdem publicandas sumptibus. Gratos ergo Tibi oportet esse quicunque de Re Antiquariâ student bene mereri: Neque ægre tuleris, Vir Doctissime, me inter alios Tuam eo nomine ambire gratiam. Quo enim Patrono potiùs gaudeat hic Libellus, qui quidem nisi Tu intercessisses, flammis dudum damnatus, vel unà cum suo autore æternum fuisset sepultus?

ſepultus? Vix opus eſſe videtur ut moneam Antiquario Britannico prorſus eſſe neceſſariam Britannicæ Linguæ peritiam; ob hujus tamen inſcitiam multi nec parvi nominis Viri non rarò in errores incidêre. Ego autem hujus ope gentis noſtræ Antiquitatibus nonnihil lucis afferre conatus ſum; meumque inde Tibi adeò gratum fuit propoſitum, ut haſce lucubratiunculas tenebris ulteriùs premendas non cenſueris. Te itaque jubente jam tandem in publicum prodeunt; in quibus quòd plurima lectoribus forſan non paucis nova neque ſatis probata compareant, eò magis Defenſore amico & erudito Vindice opus eſſe animadverti; qualem cùm Te potiorem neſciam, patere ut mea hæc in Britannicis Antiquitatibus illuſtrandis conamina Tui Nominis auctoritate fulta, lectoribus ſi non quodammodo utilia, accepta ſaltem fiant: Quod ſi contigerit, me bonas in hos

horas

horas non malè collocâſſe mihi denique gratulabor. Vale. *Dabam Londini ex Scholâ Merciariorum Kal. Jul.* MDCCXIX.

PRÆFATIO

AD

BRITANNOS.

EN vobis, Saxobritanni, Scotosaxones, Scotobrigantes atque Britanni mei, opus aliis haud intentatum, neque sanè sine meritâ laude, etsi plùs mediâ sui parte nobis relictum. Quid vos monstra terrent nominum? Jussit ANNA; Estote Britanni: Hoc omnes altero certè parente jam antè fueratis. Neque enim vel Hengisti legimus milites maritos huc advenisse, vel veterum Brigantum pubem mulieribus comitatam tentavisse Iberniam: Et quis affirmet Septentrionalem Saxonem temperavisse sibi à connubiis nobilissimæ Pictorum gentis, cùm jam per multa sæcula desierit hæc Brigantice

 loqui?

loqui? Quin autem nobilissimum dicam illum populum, qui tot prœliis pro patriâ libertate cum hostibus Romanis summâ cum virtute decertaverit, quique initio Romanorum temporum à Taravedro Promontorio Troventionem amnem usque latè regnaverit? Ut sint planè de Belgicis Britannis accipienda illa vexatissima Rhetoris Eumenii verba: *Ad hoc natio etiam tunc rudis & soli Britanni Pictis modò & Ibernis assueti hostibus, adhuc seminudis, facilè Romanis armis & signis cesserunt.* Certè cum Belgis *solis* Cæsari Dictatori res fuerat; atque hi *soli* illâ tempestate Britanniam dictam Primam obtinuêre. Cum advenis igitur Britannis *solis* Cæsar gerebat bellum, iisque tunc rudibus, assuetisque Brigantum & Ibernorum armis: Contrà Constantius, quem laudat Eumenius, cum Britannis jam cultioribus factis, & Carausii & Alecti Romanis militibus adjutis, rem gerebat. Frustra sunt igitur, qui alios *Britanni Soli* Ibernos quàm Brigantum seu Pictorum socios Novantas sive Gallovidios crepant. *Seminudos* dicit ille Pictos & Ibernos Scotos; benè sanè quòd non & planè nudos, cùm vel ipsi Caledones in Julium Agricolam Proprætorem, essedis vecti & latis ensibus armati, fortissimè depugnaverint. De nostro instituto vestrum erit judicare. Sunt sanè multa in veteri Geographiâ nobis immutata, permulta novata, plurima solâ conjecturâ nisa. Ἀνάγκη γὰρ (quod ait Geographorum Princeps Strabo) εἰκότα λέγειν καὶ τῶν τόπων καὶ τῶν ὀνομάτων μεταβεβλημένων.

De

De ipſo *Ptolemæo* nihil attinet dicere, cùm conveniant de eo omnium judicia, & conſtet de tempore quo floruerit. De *Itinerario* dicto *Antonini* vel *Antonii* omnia incerta ſunt, niſi quòd videatur ſub *Antonini* Pii Imperii initio conſarcinatum, & poſteris temporibus vel adauctum vel emendatum. *Ravennas* Monachus, qui nuper ſub *Anonymi* nomine Pariſiis editus eſt, verſus videtur de Græco aliquo Exemplari Tabularum neſcio quarum in uſum Orientalis Imperii deſcriptarum, quòd & Exarchatus Ravennatium Byzantinæ fuerit ditionis, & plurima Locorum nomina Græcâ veniant ſcripturâ; quale, ut de aliis taceam, *Glebon* pro eo quod debuerat eſſe *Glevum*. Et cùm nulla in hoc libello compareant Saxonum vocabula, colligere pronum eſt illum eſſe Latino Interprete longè vetuſtiorem, cùm ille poſteriorum meminerit temporum, Orcadaſque dicat ob peccata noſtra in Barbarorum eſſe poteſtate; ita enim Danos ille nominat.

Camdenum noſtrum quamplurimis locis vel declaratum vel emendatum facilè deprehendet Lector. Adjiciuntur etiam plùs minùs ducenta veterum Locorum & Fluminum nomina quæ in *Britanniâ* ejus non comparent; ut nihil dicam de Deorum, Regum & Ducum antiquis appellationibus, quæ hìc pro ingenii noſtri modulo explicantur: Collatis paſſim ἐν παρόδῳ cognominibus veteris Galliæ & aliarum Regionum Vocabulis.

FRUSTRA fuerit hoc loco advertere, quod per totum hoc Opuſculum declaravimus, univerſæ Europæ populos fuiſſe Henetos ſeu Brigantes, & originis planè Aſiaticæ; & quòd *Peregrini* initio fuerint, alienigenis appellatos fuiſſe *Gallos*. Certè vel hodierna Armeniorum lingua (quæ olim Phrygibus & Thracibus propemodum erat communis) innumera repræſentat Britanniæ noſtræ vocabula. Quid quòd & Linguæ quas vulgus dicit Orientales, abſque Armenicæ & Britannicæ noſtræ ope in pluribus nequeant explicari? Ecce autem unum & alterum hujus rei exemplum. Armeniis Χοῖζ pro *Porco* eſt, Britannis *Hüch*, ſicuti & Græcis Ὑς. Hæbræis חזיר *Chazir Porcus* eſt, nullâ cum notatione nominis; Arabibus vitioſè Χανζίρ. *Vir* etiam vel *Maſculus* Armeniis Ἀὶρ eſt, nobis *Ür*, & Græcis Ἀνήρ. Et Britannis & Armeniis *Hén Senex* eſt, ſicuti veteri Græciæ Ἔνος-η-ον; unde & Romanum *Senex*. Hebræis כהן *Cohen* nullo cum etymo *Senator* eſt & *Sacerdos*: Britannis & Armeniis eâdem compoſitionis formâ *Cohen* Συμπρεσβύτερος eſt, eodem intellectu quo Judæorum כהן *Cohen*, *Senator* & *Sacerdos* eſt. Δζοῦρ Armeniis *Aqua* eſt, Britannis *Dür*, & Græcis Ὕδωρ; quò referendum Romanorum *Sudor*. Sed unde hoc, quis me roget? Scythæ univerſam Europam maximamque Aſiæ partem primis occupavêre temporibus. *Scythæ* (inquit Trogi Pompeii Epitomator Juſtinus) *per totam Aſiam Ægyptum uſque imperium tenuêre per mille & quingentos annos.* Subeat

igitur

igitur nemini mirari etiam *Mare glaciale* vel *Cronium* Geographis dici *Mor maruſa*, quod & noſtro ſermone eſt *Môr marüys*, quod eſt *Mare mortuorum virorum*; ſicuti & Græcis dicitur *Cronium*, quòd Κρόνος ſive *Saturnus*, totumque inferius Hemiſphærium ad Manes ſpectare crederetur. Certe *Haul y meirü* noſtratibus dici ſolet Splendor Solis in cacuminibus montium comparens poſt ejus occaſum.

VESTRI erit arbitrii, ſive potiùs ingenui favoris, ne videamur tàm Ἐυρεσιλογία quàm Ἐικοτολογία uſi, cum in hujuſmodi opellâ vel nihil vel omnia audendum ſit. *Res enim ardua eſt* (ut ait Plinius Secundus in Hiſt. Nat. Præfatione) *vetuſtis novitatem dare, novis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia. Itaque etiam non aſſecutis voluiſſe abunde pulchrum atque magnificum eſt.* Imperitos igitur, moroſulos & αὐθάδεις nihil moror, contentus paucorum laudibus. Utimini vos & fruimini quæ noſtrum valuit promere ingenium, ſaltem donec potiora vel doctior vel felicior aliquis repoſuerit.

PORRO monendus eſt Lector in hoc Tractatulo literam *C* in veteribus nominibus ubique uti *K* veteri ritu eſſe efferendam, & *U*, *Ü* ſive *ü* in initio vocum ſive ſyllabarum uti Anglorum **w**, aliàs verò uti illorum **oo** ſive Italorum *u* ſemper eſſe pronuncianda. Alia autem quæ in ſequenti Libello fuſiùs ex re

natâ annotavimus, hìc repetenda haud æquum duximus. Summarium autem Rerum Britannicarum ab Exceſſu Romanorum ad noſtra tempora Auctarii loco ſubnectere non pigebit, quod Lectori haud ingratum fore ſperamus.

ANIMAM tandem agente, ac veluti tabe ſenioque confectâ militari Romanorum veterum potentiâ, neque (prorſus jam exſuctis Provincialium omnium medullis) ulteriùs Imperiorum fato obſiſtere valente, extremæ tanti corporis partes occepêre primùm lethali frigore corripi. Britannia igitur noſtra jam per quatuor & quod excucurrerat ſæcula innumeris devaſtata cladibus, delectibuſque continuis, atque inſuper fame & peſte exhauſta penitus, Germanis jam olim Britannorum adverſus Romanum jugum ſociis, ex facili prædæ fuit. Siquidem Saxonum Dux *Hengiſtus* (ſive magis *Anſegiſus* Ravennati *Anſchis* dictus) revocatis jam domum de Britanniâ Legionibus, inito cum Vortigerno Silure novo fœdere, traditâque ei in matrimonium Ronüennâ filiâ, aſtipulantibus etiam Pictis atque Ibernicâ Scotorum Gente, quam vel ipſe Beda prodit fuiſſe Anglis ſemper amiciſſimam, Romanam Provinciam (quod & ſub Conſtantino novimus factum) occupavit. Pulſis igitur Saxonici Limitis Ducibus, unà cum Romano Comite huic Limiti præpoſito, Orientalis Anglus atque Saxo cum Cantiaco Jutâ, & Auſtrali etiam Saxone, portus omnes à Romanis communitos obſedêre, quatuorque Regnula per Britannicarum Gentium veſtigia condidêre.

PRIMÆ,

PRIMÆ, quam & nos Belgicam fecimus, exacto tandem in Dumnoniam Præſide Ambroſio Aureliano, viro ſtrenuo, Occidentalis Saxo imperavit, Dumnoniiſque Belgis veteribus Romanorum ſociis, frænum injecit. Britanniæ Secundæ ſive Geüiicciæ Præſes ceſſit Mercio; Præſidemque Flaviæ ipſe expulit Vortigernus. Quin & duo Maximæ Cæſarienſis atque Valentiæ Conſulares Tranſhumbrano Regi manus dedêre. Huic Caſtellorum omnium atque Arcium ad Ventum Boream poſitarum, duarumque Prætenturarum ſive Vallorum cuſtodiam fuiſſe permiſſam vel Saxonicum Idioma etiam hodie indicio eſt, quod ad extremas (quas quidem novimus) Romanorum Arces Loxam atque Banaciam pertendit.

NULLUM autem illis temporibus fuiſſe Indigenis ipſis totius Inſulæ Regem, qualis vel *Arthurius* vel *Lucius* Monachis confinguntur, vel inde patet quòd veteris Gildæ ævo Aurelius Conanus imperitaret Siluribus, Maglocunus Cornaviorum Canganis ſive (ut ſequiori ſæculo appellantur) Venedotis, Vortiporius Demetis, Conſtantinus Domniis ſeu Dumnoniis, Brigantumque Canganis ſive Cumbris Cunoglaſus. Certè neque Gildas noſter neque Saxo Beda *Arthurium* novit.

QUID autem inter hæc? An ceſſat Domina Roma? Imò

Peragit tranquilla Poteſtas
Quod violenta nequit.

Neque enim cùm tu non poſſes quod velles, nolles quod poſſes. Hercle conſtabat jam in tot & tam feroces populos minus proficua fore effœti Imperii arma. Supremus igitur Occidentis Pontifex unâ eâdemque operâ, tam Animarum omnium Saluti quàm Orbis Imperio inhians, novo atque hactenus inaudito conſilio, humaniori ſcilicet cultu, atque Sacerdotali palpo delinire cœpit Barbarorum ubique gentium animos. Tandem igitur & hìc acceptâ ab Auguſtino Gregorii Papæ Legato novorum rituum ſemipaganâ pompâ, Britannia noſtra denuo nec opina Romani juris facta eſt, Regulis jus dicente Metropolitano Romano. Novum hoc & incruentum vincendi genus; ut ſubeat mirari tantillo temporis ſpatio, de ſqualidis & lucifugis Monachis tot Patricios Epiſcopos, Comites Palatinos, Metropolitanos & Mitratos Abbates ubique terrarum emicuiſſe. Verùm Fortunæ tantiſper terga danti & ipſi terga dedêre, citò in arridentis gratiam redituri.

Inter hæc tamen tam dulcedine prædæ adducti, quàm novatis Religionibus offenſi Saxonum noſtrorum veteres parentes, Dani ſcilicet Cimbriâ ſive antiquâ Saxoniâ oriundi, colonos ſuos cladibus vexavêre continuis; omniaque, præcipuè verò Sacra, igne ferroque populati ſunt. Manſit enim ad horum tempora, quamvis minùs integra, Veteris Provinciæ facies, & forſan etiam Romana Lingua; quod vel ex Anonymi noſtri Libro conjicere licet, apud quem, etſi ſeptimo tandem exeunte ſæculo

Geo-

Geographiam ſuam deſcripſerit, nullum tamen Saxonicum loci nomen comparet.

NEQUE clades iſta ſoli contigit Britanniæ, verùm etiam quacunque terrarum ſæva Germania alas ſuas tendit. Indignabatur enim Duces ſuæ Gentis atque Alumnos tot populorum domitores, tantique Imperii everſores, quique (ut adverterat olim in Antiquitatibus ſuis Vir longè eruditiſſimus Marcus Velſerus) Gentilium hominum appellationem omni Nobilitati modò impoſuerant, victarum gentium Sacerdotibus turpiter manus dare, peregrinaque Sacra patriis antehabere, veteris Patriæ & Parentum oblitos penitus, atque in peregrinos mores (quos & pro corruptiſſimis ſemper habuêre) tranſire. Summus igitur Romanorum Pontifex, novo captato conſilio, ne modò ſartæ tectæ Romanæ Provinciæ denuo ab iiſdem Barbaris exciderentur, Francorum Ducem *Carolum*, Imperatorum nomine, reipſâ Eccleſiæ Dictatorem creavit. Hujus temporibus, ineunte ſcilicet octavo ſæculo, & *Ecberto* noſtro eaſdem ob rationes Regium Diadema, ſolutâ Heptarchiâ, ab Eccleſiâ impoſitum eſt; Novantæque etiam & Picti, cogente (ut videtur) Scotoſaxone, fracto jam à Danis Angloſaxonum Imperio, Scotorum Dalreudinorum veterum ſociorum Regulis colla ſuo ſubdidêre.

CUM tamen nihilominus Monarchæ ipſi, novo cultu & manſuetâ Religione dudum emolliti, Danorum ferociæ minùs obſiſtere valerent, viſum eſt tandem Papæ Alexandro Sacerdotioque Britanno WILLIELMO Neuſtriæ Principi,

Principi, acri atque ſtrenuo illorum temporum militi, Galliarumque Patricio, Regnum tradere, proprio ſcilicet magis quàm Britanniæ commodo ſtudentibus; atque hoc quidem quò in clientelâ eſſent validiſſimi Francorum Imperii. Verùm neque ipſe WILLIELMUS parere Gallis ſuſtinuit, opportunitate tantæ Inſulæ fretus, neque minùs inclementer ipſam Eccleſiam tractavit, quàm Civilem Rempublicam; Gallicuſque furor & fas & nefas ſuſque deque habuit.

WILLIELMO etiam *Rufo* Rege, ipſius Pontificis Legatus Anſelmus domo Italus, ſpoliatus omnibus bonis, apud Gallos (quibus favebat) exulabat. Apud Alanum appellatum De Inſulis, ſatis magni nominis virum (qui quidem Alanus eodem ævo non modò in fictitia Merlini Britanni Vaticinia, verùm etiam in Petri Lombardi Sententias commentatus eſt) legimus Tirellum quendam, Aulæ Comitem, ab eodem Anſelmo, operâ cujuſdam Fanatici Monachi fuiſſe ſubornatum, qui *Rufum* Regem in Novo Saltu venantem adoriretur, ſagittâque nec opinum trajiceret, quod & *Pulcherrimum Facinus* Doctor ille Univerſalis audet appellare. Percuſſo fratri ſucceſſit HENRICUS, *Bellus Clericus* ſuo merito appellatus, quo regnante Chriſtianæ Theologiæ Profeſſor Alanus, apud Pariſios agens, fratris Parricidium publico laudavit ſcripto, uti modò retulimus.

HUJUS ex filiâ nepos, alter HENRICUS, incertum an & in ultionem *Rufi* Majoris ſui

Avun-

Avunculi, Domini Papæ Legatum Thomam in ipſo Durovernenſi Fano immaniter trucidandum curavit.

VERUM cùm jam ferè ubique dudum cicurati Leones ferocire & fremere inciperent, non ſolùm noſter Thymoleon, *Primus* ſc. RICHARDUS, Magni illius Henrici filius, verùm & ipſe animoſus Rex Galliarum *Philippus* cognomento *Auguſtus*, unà cum aliis quamplurimis Principibus viris, novo atque audaci commento, in expeditionem Hieroſolymitanam ad ſacra ſtipendia facienda, amandati ſunt. Videbat enim ſanctiſſima atque eadem vaferrima Romana Curia & Gallias & noſtras Britannias jam viris & ingeniis & pluribus artibus florere; quin & ingens poterat eſſe metus ab harum gentium commerciis & increſcente jam navigatione. Rege igitur abſente & longinquis bellis occupato, Eccleſiaſticæ factionis Viri Procuratoriâ operâ fungentes, Reipublicæ formam detorquere auſi ſunt ad Ἀριστοκρατίαν, quo ſcilicet Optimatum partibus pro validiſſimo in Regiam Poteſtatem munimento uterentur. Atque hinc quidem duo inſequentes Reges civilium tumultuum fluctibus ab Eccleſiâ oppreſſi ſunt; atque etiam ipſa Nobilitas tam diuturno bellorum conflictu propemodum fracta eſt.

SUB HENRICO igitur hujus nominis *Tertio*, Simone à Monte-Forti Eccleſiæ ſtipendia merente, ſumma rerum in plebem, & per hoc, licet invitis conſilii auctoribus, in ipſum Principem denuo devoluta eſt. Quo facto Britannia noſtra criſtas tollere cœpit, per plurimas for-

fortiſſimorum Regum ſucceſſiones, frendente licet peregrino Sacerdotio, de Gallo triumphavit, donec tandem, jam conſopito etiam inteſtino de Regno diſſidio, Inclyta THEODORI Progenies, vetuſto Britannorum ſanguine oriunda, non ſolùm Britannos ſuos Civitate olim ſuâ redonavit, Scotoſaxonumque Regnum Regali Connubio ſibi adjunxit, verùm etiam (quod omnium maximum fuerat) Larvaticum Imperatorem Papam, deturbatis ſacris Præſidiis, Inſulâ ſuâ æternum interdixit, univerſumque Clericorum gregem in ordinem ſuum revocavit. Atque ex illo tempore Europa deſiit eſſe in mancupio Latinæ Eccleſiæ.

NOSTRIS tandem temporibus duo antiquiſſima Regna ſub ANNÆ Invictiſſimæ Reginæ Auſpiciis in unum MAGNÆ BRITANNIÆ Imperium coaluêre, quod quidem ut felix fauſtumque ſit utrique populo Deum Optimum Maximum obnixè rogo.

EXTRACTS



EXTRACTS of LETTERS from Mr. E. LHWYD *to the Author.*

April 26. 1705.

YOU were pleaſed formerly to acquaint me, you had revis'd your *Britiſh Geography*, and reduced it to Alphabet. If you pleaſe to communicate it, it ſhall be all or moſtly printed as your own by,

Sir, Your, *&c.*

P. S. If you have already reduced your *Britiſh Geography* to a Map, I ſhall engrave it. If not, I think it will ſuffice to inſert your Notes Alphabetically in my Dictionary of Britiſh Names, always putting *B* after them, and ſpare the charges of a Map, ſince 'tis not expected.

Oxford, Nov. 3. 1705.

I Hope you are come by this time to a reſolution about your *Roman Geographical Vocabulary of Britain*, and ſhould be glad to hear you will add it to ſome-

ſomething elſe, and ſoon begin to print it. But if you have no thoughts of publiſhing it your ſelf, and would pleaſe to contribute it towards my Book, I ſhall not, I hope, neglect doing you due juſtice.

Nov. 15. [1705.]

I Find by Dr. Harwood's Letter in the laſt * Tranſactions, there's ſome hopes you will ſhortly oblige the Curious in Antiquities with your *Gloſſary*, and hope your next may give ſome account of the time when it ſhall go to the Preſs, if it be not already gone to,

Sir, Your, *&c.*

---

* *Vid. Phil. Tranſ.* N°. 306.

NOTÆ

NOTÆ breves, per Virum Reverendum GUL. STUKELY, R. S. S.

AD PONTEM. Propè **Bridgford**, in Comitatu Nottinghamiensi, super Viam Fossam (ut vulgò dicitur) ubi rudera antiqua, & Antonini milliaria, locum quasi digito commonstrant.

AQUAE. **Aukborough** ad ripam amnis Troventionis & Abontri æstuarii, in Comitatu Lincolniensi, ubi castrum Romanum adhuc manet.

Insere BENAVONA, **Weedon**, Caput Ausonæ.

CALEVA ATREBATUM. **Farnham**, vel **Tangham** quod juxta est, ubi immanes Antiquitatum reliquiæ effossæ.

CANTENNIS. Rectius CAUSENNIS, apud **Paunton** magnam, ubi pavimenta tesselata quotidiè eruuntur.

CROCOLANUM. Juxta **Collingham** apud **Brough**, ad viam regiam **Fosse** vocatam, in agro Nottinghamiensi, ut rudera antiquitatis, nummi Romani, & Antonini milliaria ostendunt.

DANNAVANTRIA. Omnia immeritò, restet BENAVONA.... Caput Ausonæ amnis ad **Weedon**.

DUROBRIVAE. Apud **Chesterton** ad Australem Ninæ fluvii ripam, ubi **Hermenstreet** fluvium transit, hic enim ingentia Castri sive oppidi rudera profundissimâ fossâ muniti.

DUROCOBRIVIS. **Berghamsted** omninò, ubi Antonini milliaria ex omni parte conveniunt.

DUROLEVUM. Rectius DUROLENUM, **Charin** juxta **Lenham**.

DUROLICUM. Rectius DUROLITUM, **Rumford**, i. e. Trajectus Romanus.

DURO-

DUROTUOBRIGA. Immeritò cuncta, rectius enim ſcribitur PUNTUOBICE, quod apud **Devises** ſtatuendum eſt.

DUROVERNUM. Inſert the Engliſh name **Canterbury.**

CAESAROMAGUS. Proculdubio apud **Chelmsford.**

EBURACUM. Put the Engliſh name **York.**

ELTABON. The Engliſh name **Northampton.**

ETOCETUM. **Chesterfield wall,** propè Lichfield, ubi magna Antiquæ urbis rudera ad viam Watlinſtreet.

IBELNIUM. Rectè IBERNIUM, **Bere** in Durotrigibus.

p. 137. **Icanhoe,** place the preſent name **Boſton.**

ISCALIS. The Engliſh name **Ilcheſter.**

LACTORODUM. Apud **Old Stratford** juxta **Stony Stratford,** ut nemini dubium.

LEUCOMAGUS. **Great Bedwin.**

LINDUM COLONIA. The Engliſh name **Lincoln.**

MARGIDUNUM. Juxta **Willughby on the Wolds** ad viam **Foſſe.**

NAINA. Engliſh word **Neen.**

REGENTIUM. **Ringwood.**

TRIPONTIUM. Ad **Aovebridg.**

TUNNOCENUM. Scribo ITUNOCENUM, ſc. Itunæ fluvii oſtium, ad **Boulneſs.**

GLOSSARIUM

Antiquitatum Britannicarum,

SIVE

Syllabus Etymologicus Antiquitatum Veteris BRITANNIÆ, &c.

BALLABA, hodie **Apulby**, quasi Britannicè dicas *Abal* (vel *Gaval*) *Ab* vel *Av*; quod est *Furca* (vel *Sinus*) *undæ* vel *amnis*. Iberniæ Scotobrigantibus etiam hodie *Abhal* pro *Furca* est; quò referendum & Anglorum nostrorum **Gable-end**, seu *Furcalis finis*, in ædificiis. Etiam hodiernis Persis *Ab* pro *Aqua* est, quam & Veteres nostri *Av*, *Sav*, & *Tav* appellavère. Eodem planè intellectu & in Cantiacis, & in Regnis, & in Dumnoniis Oppidula occurrunt **Apuldur** & **Apuldurham**: Idem enim ferè Britannis *Dür* quod & *Av* & *Üi*, quod expressum videtur in Saxonico vocabulo **Apulby**, uti & aliàs in **Jerby**. Statio ista eo venit nomine, quòd in sinu sit Itunæ fluminis, apud Brigantum Ceangos, quâ parte hodie Paludium Regio Occidentalium seu

Weſtmoria eſt. De nomine conjecturam fecit magnus Camdenus. Juxta Librum Notitiæ Occidentalis Imperii in hâc Arce locatus eſt *Præpoſitus Numeri Maurorum Aurelianorum*; unde conſtat fuiſſe *Aballabam* de veteribus Brigantum Caſtellis, quorum meminit in Satyrâ ſuâ Juvenalis. Nam *Præpoſiti*, ut hoc ſemel moneam, in veteri Romanorum militiâ Caſtellis erant præfecti, quod oſtendit ad Notitiam Pancirollus: *Numerus* autem, uti ego ſentio, uniuſcujuſlibet gentis incerti numeri *Cohors* dicebatur, cùm aliàs plenæ Cohortes ſexcentis conſtarent peditibus. Notitia ſola *Aballabæ* hujus meminit.

ABERAVANUS, in Ptolemæi Libris correptè ſcribitur *Abravanus*, omiſſo *E*; in cauſâ fuit antiquæ Linguæ ignoratio. Potuiſſet etiam & pleniùs dici *Aberavrianus*, etſi non interſit; ſiquidem Britannis *Aber av rian*, *Oſtium amnis principis* eſt. Æſtuarium hoc eſt *Riani* fluminis in Novantis ſive Gallovidiis, apud citeriores Caledonios. Hic fluvius pro fonte habet **Loch Rian** Lacum; pro quo Veteres noſtri ſcriberent *Lug av rian*, quod eſt *Liquor amnis reginæ:* Siquidem *Lug* Veteribus *Aquæ liquor* eſt, & *Ri*, *Rex*; ut & *Rian*, *Regina*, vel etiam quævis *Regia puella*. Obiter etiam advertendum cenſeo, priſco Britannorum ſermone *Aber* dici Ἔκχυσιν, Pelaſgicè forſan & Phrygicè Ἀββοφὴν, pro Ἀποφορὴν vel Ἐκβολὴν; & contrà *Inver* Εἰσχυσιν, tanquam Ἐμβοφὴν pro Ἐμφορὴν, vel Ἐμβολήν. Eſt igitur *Aberavanus* ſolutis Britannorum verbis *Aber avon*, hoc eſt, *Oſtium fluminis*.

ABERCORN, vel corruptiùs ABIRCORN: Ita enim proculdubio ſcripſerat ipſe Anonymus, cùm in vitioſo Codice hodie legatur *Abiſſon*, oculos fallente literarum ductu. Etiam hodie ejuſdem nominis Caſtellum eſt in partibus citerioris Caledoniæ; ad Bedanum ſcilicet *Penuahel*, ſive *Caput* ulterioris *Valli*, ſeu Prætenturæ. Bedæ etiam pleniùs ſcribitur *Abercurven*, corruptè puto pro *Abercoravon*, quod *Oſtium* eſt *brevis amnis*. Dicitur autem *Coravon* eâdem formâ,

formâ quâ & *Cornant*, *Corbedü*, *Corgi*, atque ſimilia alia, Britannorum ſermone vetere. Antiquum verò ſeu Romanum *Abercorn* (ſive magis *Abercorabona*) quod non ita longè eſt ab altero, hodie vitioſiſſimè profertur Saxonicâ Dialecto **Blackneſs**; cùm deberet eſſe *Balog* (vel *Balg*) *ne iſc*, hoc eſt, *Venter* (vel *Sinus*) *Aquæ* ſive *fluminis Corabonæ*, hodie **Carron**. *Na* vel *Ne*, Scotobrigantum Dialecto ſignum eſt Genitivi, ſicuti contrà *An* Oſtidamniorum ſive Corinaviorum. In veteri Inſcriptione DEA dicitur NEHALENNIA maris Numen, tanquam *Diües ne halen*, *Diva* ſcilicet *ſalis*. Inventa hæc eſt Domburgi in inſulâ dictâ **Walcheren**, quæ Britannorum erat Belgicorum, ſive Friſonum; unde & **Wallach-waran** Incolæ appellati, tanquam *Galli viri*.

ABERNAVIS, ſic enim reponendum pro eo quod in Ravennate Libro vitioſiſſimè ſcribitur *Apaunaris*, & in Vaticano MS. *Apuanaris*, malè accepto ab imperitis Librariis literarum ductu, quod in ignotis vocábulis pronum eſt atque ſolenne. Eſt autem *Abernavis* (ſive malles vitioſum *Aparnavis*, quod ipſe poſuit Ravennas) apud Domnios ſive Dumnonios, quod Britannicè ſcriberetur *Aber na üiſc*, hoc eſt, *Oſtium aquæ*, ſive *fluminis*, hodie ibridâ compoſitione **Bernſtable**, tanquam *Abernavis ſtatio*; idem enim *Stabulum* quod & *Statio* eſt. *Statio* etiam modò navium dicitur; ſicuti in DERVENTIO STATIO inferiús. *Üiſc* etiam hodie Scotobrigantum ſermone *Aqua* dicitur, uti & *Na* Genitivi ſignum.

ABONA, quæ in Antonini Itinerario Græco caſu *Abone* ſcribitur, **Aventon** eſt (alterâ etiam ſcripturâ **Alventon** appellata) in Sabrianæ fluminis ripâ, in Dobunis, ſive Glevano noſtro Conventu, ut verè Camdenus docuit. Nomen ſuum ſortita eſt ab ipſo flumine, quod Britannis Plurativo Numero dicitur *Avon*, & antiquâ ſcripturâ *Abon*. Singulari Numero *Ab* etiam Perſis pro *Aqua* eſt, uti nos in ABALLABA ſuprà monuimus. Crediderim etiam & *Alabum*

(vel *Alaunam*) fuiſſe loco alterum nomen, ab *Ael* quod *Supercilium* eſt, & *Avon*, *Amnis*; unde & Saxonibus ibridâ voce *Alventun* appellari poſſit. Pro *Av* (ſive *Ava*) Pelaſgi veteres Ἄχα protulêre; unde & Celtoſcythæ Germani **Aga**, vel **Æge**, Dialectis ſuis nominavêre, ut & ipſi Romani *Aquam*. Vide in ALABUM.

ABONA: Etſi plurimæ ſint in Britanniâ *Abonæ*, crediderim tamen Anonymi noſtri *Abonam* eam dici, quæ Badixam, ſive Aquas Calidas præterfluit, atque in Sabrianam influit. Vide in voce ſuperiore, & in BADONESSA.

ABONTRUS: Celeberrimum Brigantiæ Æſtuarium, quod vulgò **humber** dicitur. In melioribus Ptolemæi Libris pro Ἀβόντρυ, levi vitio Ἀβύτρυ ποταμοῦ ἐκβολαὶ hodie legimus; in aliis autem correptiùs Ἄβυ. Nos tandem Ἀβόντρυ repoſuimus. Eodem vitio & in Victurionibus nonnulli codices Τυὰὶ εἴχυσις repræſentant, pro eo quod in melioribus Libris eſt Τύαισις εἴχυσις, ſive *Tuæſis Eſtuarium*. Equidem exiſtimaverim veniſſe Æſtuario nomen de immani aquarum murmure, quod Britanni dicerent *Avondrüſt*, ſive *Aquarum ſtrepitum*; unde & Saxonibus eodem planè intellectu **humber** dicebatur, ſive *Bombitator*: Nam verbum **hummen**, *Bombitare* ſonat. De *Humbro* ita noſter Camdenus: "Totius Britan-
" niæ Æſtuarium eſt ampliſſimum & piſcoſiſſimum,
" exæſtuantis Oceani acceſſibus adauctum, & iiſdem
" retrò remeantibus, ſuas illiuſque aquas vehemen-
" tiſſimè *vaſto* cum *murmure*, non ſine magno navi-
" gantium periculo agit." Britannis meis idem ferè ſonat nomen *Trüſt*, quod & Græcis Θρόος vel Θόρυβος. Brigantum flumen *Ebura*, ſive *Oxa*, plurimos fluvios hoſpitio ſuo excipit, & in Oceanum ſecum provolvit.

ACMODÆ (Melæ vitioſè *Aemodes*) Plinio dici videntur Lindisfarnenſes Inſulæ, quæ quidem Anonymo noſtro cenſentur X numero, Plinio verò VII, ſi veri

ſunt

ſunt Libri. Verùm equidem exiſtimaverim eum ſcripſiſſe VIII, quòd veteri Brigantum Dialecto (quâ etiam hodie magnâ ex parte utuntur Iberni) *Acht*, vel *Ocht Madhou*, *Octo* ſonent *Prata*. Conveniet etiam huic calculo Ravennas, modò *Atinas* & *Longinis* habeantur pro deſertis; quod ſimile videtur vero.

AD ANSAM, videtur Manſio quædam fuiſſe ad noſtrum **Tharted**, ad *Axam* ſive *Anſam* flumen in Orientali Saxoniâ ſive Guepponiâ, quæ Æſtiva fuerat Trinoüantum Pecuaria. Vetuſtâ enim ſcripturâ ſive *Axa*, ſive *Aſſa*, ſive etiam *Anſa* ſcripſeris, tantundem fuerit: Siquidem veteribus Romanis litera *N*, ſequente *S*, admodum rarenter efferebatur. In Antonino igitur reſcribendum XVI. M. P. ad Camulodunum: Credibile eſt enim longiùs abfuiſſe *Ad Anſam* à tantâ Coloniâ. Quin & in Peutingerianâ Tabulâ *Ad Anſam* proximè ſtat à *Camborito*, ſive *Cambretovio*, quod nobis eſt **Cheſterford**, ſive *Caſtrorum Trajectus*, juxta oppidum **Walden**, quod nobis *Camboritum* Novum eſt, ſive *Gallodunum*, de *Gallis Trinoüantibus* ita (ut videtur) appellatum. Vide in AXIUM.

AD LAPIDEM TITULI (uti verè Britanno ſcriptori Nennio dicitur) ad **Stonhar** rectè poſuit Camdenus; non autem ad **Folcſton**, uti poſt Somnerum magnus Stillingfleta: Quid enim **Ston har** Saxonibus, niſi *Lapis altus?* Ut ſit veriſimile hìc Pharum fuiſſe ad uſum adremigantium; quod & Vir magnus autumat: Imò & *Ad Titulum* fuiſſe *Rutupenſem Portum*, non ita longè à *Rutupiis* ſitum. Inter notiſſima eſt *Titulos* dici Romanis Στήλας, ſive *Quadrilateras Columnas*, antiquiſſimorum temporum Statuas. **Folcſton** autem *Lemurum*, ſive *Larium lapis* dicitur, de vetuſtis puto compitis ita appellatum: Nam & *Digitalis* herba noſtrati vulgo **Fox-gloves** dicitur corruptè pro **Folcs gloves**, ſive *Lemurum manicæ*, veteribus Britannis *Menig Eilff Üylhon*, corruptè hodie *Elhylhon*, quod idem valet: Sunt enim Britannis *Eilff Uylhon*, *Nocturni Dæmones*, ſive *Lemures*; cùm

Saxonibus Folcer dicatur *Minuta plebs*, & forſan etiam *Manes*. Eſt autem *Folc* deminutive dictum de *Fol*, ſive *Pullo*, quod & Græcis dicitur πῶλος. Figuratè etiam *Fol* pro *Fatuo* eſt vel νηπίῳ καὶ ἄφρονι, quales habebantur Dii *Manes* Veteribus, excepto uno Tireſiâ. Ἀεὶ δὴ οἱ μὲν κατηφεῖς καὶ λιτοὶ καὶ μικροὶ βλεπόμενοι, φημαίνουσιν Ἥρωας πλησίον τοῦ ἰδόντος οἰκίας ἱδρυμένους. Artemidorus Oneirocriticorum Libro Quarto. Vide in DUNUM.

ADMINIUS, famoſus inclyti Cunobelini filius, qui à patre in exilium actus, ad C. Caligulam perfugit. Dictus autem videtur Britannorum linguâ *Adminüas*, ſive hodiernâ ſcripturâ *Adhvinüas*, *Vir* ſcilicet *prominulis labiis*, ſive *Labeo*; eâdem formâ quâ & *Androgeus*, quaſi *An drüg üas* ſive *Vir malus*. Neque ſanè aliunde ipſa Latinorum terminatio *us* & Græcorum ος (ſicuti & ηρ, ωρ, *er* & *or*) quàm à *Viro*. Idem autem antiquis Celtis *Üas* ſive *Üar* (unde & Latinis & *Uaro* & *Baro* effinguntur) quod & Germaniæ Celtoſcythis War & Wer, & Romanis ipſis *Vir*: Quin & hodiernis Britannis *ür* dicitur, & *gür* cum Præpoſitivo *G*; imò etiam *üas* & *güas*. *Min* etiam veteribus Gallis pro *Labio* fuerat; unde & urbs *Ariminum* in Ciſalpinâ dictâ Galliâ, tanquam *Ar min üi*, ſive *Ad labium undæ*. Quin & *Mine* pro *Ore* vel *Vultu* eſt noſtri temporis Gallis; ut & Μήνη Græcis pro *Lunari facie* vel ipſâ *Lunâ*, Germanis Maen.

AD MURUM apud Bedam planè videtur hodie dici Benwell, quod vitioſum eſt pro *Pen üal*, quod quidem veteri Britanniæ eſt *Caput Muri*. Huic diverſum eſt Bedanum *Penuahel*, ad ulterius Vallum. Certè anno à nato Chriſto MDCLXIX. è ruderibus veteris Muri, non ita longè ab iſto Viculo, qui ultra Tinnam eſt, ad orientale Valli caput, in Otodinis, vetus Ara effoſſa eſt ſub hoc Titulo: VICTORIAE XV. C. GAL. FE. NO. SENECIONE. COS. FELIX. ALA. I. AST. M. PR. Quæ nos ita legenda conjecimus: *Victoriæ quindecimæ cohortis Gallorum*

Gallorum fecerunt erigi, Nonio Senecione Consule, felix Ala I. Astorum multis præliis. Facta est igitur dedicatio ista sub Domitiani principatu, ipso Julio Agricolâ Proprætore; quo tempore Senecio & Palma Consulatu functi sunt. Atque hinc quidem constat Brigantica Castella jam ante Hadriani tempora fuisse ab ipso Agricolâ communita.

AD PONTEM apud Antoninum hodie Pauntan *magna* est, in Icenis sive Lindensium Conventu. In Ravennate Libro *Duroviguto* est casu sexto; cùm in recto sit *Durovigutum.* Verùm alieno loco scribitur; debuit enim postponi *Durobrivis.* Vide plura in DUROVIGUTUM.

ADRON: Nomen fluminis est in Ravennate Vaticano. Vide in PORTUS MADURNI.

ADROS, apud Plinium vitiosè scribitur *Andros*; cùm in melioribus Ptolemæi Libris sit Ἄδρος ἔρημος, sive *Adri deserta*, & in plerisque mendosè Ἔδρος. Insula hæc est in Vergivio mari hodie eodem intellectu *Avicularum Insula*, sive Birds-ey Anglis appellata. Romani correptè protulisse videntur *Adros* pro *Adar inis:* Siquidem *Adar* dicuntur *Aves* Britannis, Anglisque Birds; ut & illis *Insula*, *Inis* est, & antiquis Saxonibus Ey. Dicitur & *Inis Enlhi.* Vide in LIMNUS & SILIMNUS.

AD TAVUM: Ita enim in Peutingerianâ Tabulâ rescribendum pro mendoso *Ad Taum.* Hic locus à Camdeno in Icenimagnis ponitur, sive in Borealibus Icenorum Ceangis, cùm sit in Girviis: Urbs scilicet, & celeberrima Academia *Cantabrigia*, sive magis hâc antiquior *Granta.* Idem autem Britannicè loquentibus *Cant* & *Grant*, *Sinuosa* scilicet *curvatura:* Latinis etiam *Canthus* dicitur de Græco Κανθός: Quin & Britannis & Belgis eodem intellectu dicitur *Cant.* Ab *Am*, quod *Circum* est, & *Grant*, *Palpebræ ambitus* Britannis quidem *Amrant*, Aremoricis verò *Abrant* nominatur. Idem autem *Tav* est, sive *Sav*, vel *Stav*, quod & *Av* sive *Ab*, *Aqua:* Nam literæ

T & *S* pro præpositivis sunt Articulis Britanniæ nostræ veteri; ut sit *Tav* vel *Stav* idem quod *Stür*, sive Τὸ ὕδωρ. Etiam Armeniis *Sue* dicitur *Mare*, quod Persis est *Zau*. Flumen igitur istud (quod vulgò *Cam* & *Grant*, & Monachis etiam *Gronta*, more sequioris sæculi, ab Urbe dicitur) Britannis ipsis *Tav* appellatum est. Esse autem *Ad Tavum*, *Grantanam Arcem*, & per hoc nostrum quoque **Grentbrige** sive **Cantebrige** (Britannis forsan *Gan Tav*) vel inde firmari videtur, quòd in Peutingerianâ Tabulâ sequatur *Cambretovium*, sive *Camboritum*, quod nobis est **Chesterford**, sive *Castra ad Tavi Trajectum*. Hæc urbs circa annum à nato Christo DCC. deserta fuit Civitatula, prodente Bedâ. Verùm cùm & *Cantabrigiæ* reperiantur Romanorum Nummuli, pronum est credere Arcem quandam sive Propugnaculum Urbi *Ad Tavum* appellatæ prætentum fuisse, ubi hodie *Cantabrigia* nostra est, cùm & hoc sit pluribus aliis locis servatum.

ADURNI PORTUS. Vide in PORTUS MADURNI; nam vitiosum puto.

AESICA, Vaticano libro *Esica*, hodie **Nethersby**, sive pleniore loquela **Nethereskby**, Oppidum fuerat munitissimum ad *Æsicam* sive *Iscam* flumen, ad limites citerioris Caledoniæ, in Cumbrorum regione, quæ ad Brigantum Ceangos olim pertinebat, uti nos aliàs dicturi sumus. Ingentes esse hoc in loco ruinas monuit Camdenus. Juxta Notitiæ libros, quæ sola hujus Stationis meminit, *Tribunus Cohortis primæ Astorum* hanc Arcem custodiebat. Non alienum fuerit advertere, Britannis *Üisc* vel *Isc*, *Aquam*, sive magis *Agmen* (sive *Tractum*) *Aquæ* appellari, quò referendum videtur & Græcorum Ἰξὸς, & Latinorum *Viscus*. Certè Britannis verbum *Üisco*, sive *Guisco* hodie pro *Induere* est, sensu satis vicino; Ostidamniis etiam pro *Propellere* est. Pro *Isc* autem promiscuè Romanis scribebatur *Ix*, *Ex*, *Ax*, *Ox*, *Is*, *Issa*, *Essa* atque *Assa*; quod ex pluribus colligere est nominibus. Erat igitur *Æsica* & Flumini & Oppido

commune

commune vocabulum. Quid autem Saxonicum **Nether eskby** nisi *Vicus infra flumen Æsicam* sive *Iscam?* Etiam hodie *Uisge* Scotobrigantibus Iberniæ dicitur *Aqua*, ut & Pannoniæ Boiis **Uiis**: unde satis probabili ratione conjecit Antiquariorum nostrorum facile Princeps Edvardus Luidius, Ibernos primos fuisse Britanniæ Incolas; quatenus scilicet Britannorum utuntur linguâ.

AGELOGUM, pro quo in alio Antonini Itinere mendosè legimus *Segelosum*, puto pro *Ægelogum*. Hic locus modò dicitur **Little-Borough**, sive *Exiguus Burgus*, & est ad Troventionem amnem, seu Troantiam (uti nos Ravennati scriptum credimus) in eâ parte Icenorum, quæ de saltu Scipepube (sive *Conventuali nemore*) à Saxonibus in novum Conventum erecta est, nomine Snotengaham-scipe, de pulcherrimâ civitate ejusdem nominis, Britannis eodem intellectu *Din ogovaüc*, sive *Dinogoboco*, *Civitate* scilicet *speluncari*, appellatâ. Siquidem illic in hodiernum etiam diem pluribus habitatum est speluncis. Dicitur autem *Agelogum* Linguâ veteri, quasi *Agel*, vel *Ael o güi*, quod est *Supercilium undæ*; nempe Troventionis amnis. Obiter hîc notandum venit veteribus Romanis Literam *G* sæpe liquidiusculè fuisse prolatam, uti ferè Anglorum *Y*: sic & inferiùs pro *Caer Voran* legimus *Cager Voran* ex Libro Ravennati. Nihil in hoc loco peccavit Camdenus.

ALABUM apud Anonymum Ravennatem videtur mihi Antonini dici *Abonam*; quod cùm sit ab *Ael Avon*, sive *Amnis supercilio*, *Alauna* scribi possit: unde vel hodie & **Aventon** & **Alventon** promiscuè appellatur. Occurrit & apud Stephanum Byzantinum nomen Ἀλαβών. Vide in ABONA.

ALATA CASTRA, Britannis antiquis *Din Aden*, quod est *Urbs Alæ*: Saxonibus eodem intellectu, sed ibridâ compositione **Edenburgh**; Ptolemæo Πτερωτὰ στρατόπεδα, & Anonymo nostro eodem sensu *Alata Cenion*: ita enim prorsus legendum pro vitioso

Alita-

Alitacenon, Vaticano MS. pejus *Alithacenon*. *Kenion* enim veteri Britanniæ ſunt *Pelles*, Σκηναὶ, vel *Papiliones*; *Tabernacula* ſcilicet *pellibus cooperta*. Etiam *Mancunium* noſtrum eſt **Manchester**; quod vide. Eſt autem inter notiſſima Arcem, *Alata caſtra* ab *Alâ* quâdam *Sextæ Legionis*, quæ Eburaci agebat, ita appellatam. Ad hodiernum uſque diem hæc urbs univerſæ Valentiæ caput eſt atque metropolis.

ALAUNA SYLVA in Dumnoniâ Ravennati Itinerario ſoli memoratur, quam equidem conjecerim ex nomine eſſe **Woodbury**, ſive *Sylveſtrem Arcem*, non ita longè ab oppido **Topeſham**, quod nobis eſt *Moridunum* Veterum. Dici autem videtur *Alauna*, uti ſuperiùs *Alabum*, ab *Ael Avon*, quod *Supercilium* eſt *amnis*.

ALAUNA in Belgis, ſive Regnis, quibus hodie conſtat Auſtralis Antonæ Conventus, videtur eſſe **Twinamburn**, ſive **Christs Church**, vel *Chriſti Fanum*, ad oſtium fluminis *Abonæ*, quod Ptolemæo *Alaunus* dicitur, quaſi quis dicat *A laün üi*, ſive *Plenus amnis*, cujus nominis & alia plurima ſunt per Britanniam flumina. Etſi poſſit & urbs *Alauna* ejuſdem fuiſſe Etymologiæ, cujus & prior; quod ſcilicet ad Supercilium amnis ſit poſita. Hic etiam Locus debetur ſoli Ravennati Monacho. Quid autem Saxonicum **Twinamburn**, niſi ibridâ compoſitione Tpezen *avon* bupn, quod *Duplex* eſt *Abonæ*, ſive *Amnis* ἔκχυσις, ſive *Effuſio?*

ALAUNA in Ordüicibus, ſive Brannogenienſis Conventûs limitibus, in Pago Warwiccano, eidem ſcriptori ſoli memorata, hodie **Alceſter** appellatur. Matthæo autem Pariſio pleniùs **Ellenceſter**, ſive *Alauna Civitas*. Et eſt in confluentiâ duorum fluminum, **Auln** ſcilicet, ſive *Alauni*, & **Arrow**, ſive *Garumnæ*; vel plenis Britannorum verbis *Garü Avon*, quod eſt *Aſperi Amnis*. Hîc ſunt plurimæ rerum antiquarum reliquiæ. Antiquum Loci nomen opportuit fuiſſe Camdeno ignoratum, Ravennate nondum

dum edito. Haud ita longè fuerat in Viâ Foſſâ inſigne oppidum, hodie **Dorn** appellatum, & Veteribus forſan *Durnium*, de vicino Rivulo **Duran**: illud enim veteri Linguâ *Rivulus*, quod aliis Celtarum Dialectis, *Dren*, *Drin*, & *Tren*, *Tern*, & *Trin*, & forſan etiam *Dron* & *Dorn*, appellari poſſit. Hîc plurimi effodiuntur Nummuli.

ALAUNA, Ravennati vitioſè *Alunna*, videtur ex ordine Itinerarii eſſe **Awne** in Deiris, ſive Boreali Brigantum Triarchiâ, juxta cognominem ſive fluviolum, qui in Oxam amnem, ſive Eburam influit, ſupra Eburacum: nam **Awne** vitioſè effingitur de oppido *Alaunâ*.

ALAUNA in Ceangis Brigantum, quâ parte hodie Cumbrorum Pagus eſt, ad confluentiam *Alauni* Amnis, & Auſtralis Tinnæ. Hodie Caſtellum dicitur correptè **Whitlaton**, puto pro **Whit Alaunton**, quod, prodente Camdeno, Antiquitatum reliquiis inſigne eſt. Hoc in loco ille Notitiæ *Alionam* felici conjecturâ poſuit. Nos verò contendimus rectiùs à Ravennate ſcribi *Alaunam* ex cognominum locorum analogiâ. Hâc in ſtatione *Tribunus Cohortis Tertiæ Nerviorum* fuerat, prodente Notitiæ Libro.

ALAUNA in Valentiâ Caſtellum **Sterling**, ſive **Strivelin**, eſt, ut veriſſimè conjecit Vir doctiſſimus, Gibſon, qui in Camdeni Britanniam nuper commentatus eſt. Quid enim **Strivelin**, niſi *Es Trev Alaun*, ſive *Oppidum Alauna?* Statio iſta & Ptolemæo, & Ravennati Libro memorata eſt. Vide in ELTABUM.

ALAUNUS, hoc eſt, *A laun üi*, ſive *Plenus Amnis*. Cùm plurimi fuerint per Britanniam *Alauni*, duorum tantùm Ptolemæus meminit; ejus ſcilicet ad quem Belgarum *Alaunam* ſuperiùs poſui, & alterius, qui in Otodinis, etiam hodie **Alne** dicitur, & Ravennati Libro *Alauna*.

ALAUNUS, flumen **Alne** in Otodinis. Vide in ſuperiore.

ALAUNUS,

ALAUNUS, flumen **Colne** apud Gueppones. Vide in CAMULODUNUM.

ALBIMUNNUM: Ita enim in Anonymo reponendum, pro eo quod in Libro vitiofè fcribitur (fexto etiam Cafu) *Albinunno*, & in Vaticano MS. *Albinumno*. Hodie dicitur **Monmouth**, five *Munni Oftium*; quod cùm fit in confluentiâ *Üi*, five *Durbis*, & *Munni*, Britannis *Ael üi Mun üi*, quod eft *Supercilium üi*, & *Mun üi*, appellatum eft. Eft autem flumen *Munnus*, five *Mun üi* Britannorum fermone, *Montanum Üi*, five *Flumen*. *Albimunnum* hodie caput eft *Ventanæ* Silurum *Regionis*, Saxoni Victori **Wentfet**, five *Ventanæ Sedis*, appellatæ, de urbe *Ventâ*, olim Regionis capite. Normannicis tandem temporibus Conventus hîc *Monmuthenfis*, five *Albimunnius* erectus eft, planè fpoliatis hâc Regione Silurum Principibus.

ALOBRITES apud Anonymum antiquiffimum Belgarum nomen fuit, quafi dicas *Gallobritones*. In Vaticano Codice dicuntur vitiofè vel faltem συωνύμως *Alobriges*. Vide in AREMORICI & in BRITANNI.

ALOVERGIUM (ita enim Vaticanus Liber, cùm in Edito fit *Alongium*) in Itinere eft ab Ifcâ Dumnoniorum verfus *Abernavim*, quod eft nobis **Bernftable**. Atque illud quidem eft ultimum Ravennati Monacho ad Vergivium Mare munimentum. Unde pronum eft conjicere illud non aliud fuiffe quàm Afferii noftri Arx *Kinchüith*, poftero tempore, de *Ubbone* Dano **Abbeftow**, five *Ubbonis Sedes*, vel *Locus* appellata. Eft autem *Kinchüith* quafi tu dicas *Kend chüith*, quod *Siniftrum* eft, five *Septentrionale Caput*, five *Promontorium*. Eft autem veteri Britannorum fermone *Alovergium*, tanquam *Ael o Üerg Üion*, *Ad fupercilium Vergivii maris*, five *undarum Brigantica-rum*. Verùm inclytus ifte locus jamdudum mari abforptus non ampliùs comparet. Eft & oppidum apud Belgas vitiofè prolatum *Enguien*, pro *Anguion*, quod eft *Undæ*.

ALVION,

ALVION, ſive *Albion*, Græcis Scriptoribus Ἀλβίον, antiquum Britanniæ noſtræ nomen, ſicuti Ὀυεργίων *Iberniæ:* quæ cùm in Euſtathii Commentariis ad Dionyſii Periegeſin pro duobus veniant Gigantibus, qui inter ſe diſcordantes, & λιθοβολήσαντες, tandem in Inſulas noſtras transfretaverant, vel inde patet veteris perſuaſionis fuiſſe tam Britannos quàm Ibernos de Terrâ Continente huc appuliſſe, atque hos etiam olim ſibi invicem infeſtos fuiſſe. *Alli* & *Galli* omnibus Celtis dicebantur quivis *Peregrini*; præſertim verò *Belgæ* ſive *Senones*, à Cimbris, ſeu Saxonibus de antiquâ patriâ Germaniâ in Galliam atque Italiam acti, temporibus, ut videtur, antiqui Camilli. Atque hinc horum Coloni in Britanniâ noſtrâ Primâ, & *Belgæ* & *Galli* appellati ſunt. Unde & *Marinus*, ſive *Inſularis Gallus* appellatus videtur cæteris Gallis *Alüi*, & multitudinis numero *Alüion*. Certè nomen *Allobrox* veteri cuidam Gloſſatori Latinè redditur *Gallus rufus*; hodierni Britones dicerent *Gal brych*. Convenit autem vox *Al*, ſive *Gal*, cum Græco Ἄλλος. Britannis etiam *Alhtud* eſt pro Ἀλλοφύλῳ, ſive *Alienigena:* ſicuti & veteres *Belgæ* Anonymo Ravennati *Alobrites*, quaſi *Gallobritones* appellantur, & Vaticano MS. *Alobriges*, levi vitio. Contrà qui Cæſari habentur Aborigines, Briganticæ fuere Originis; ejuſdem tamen, cujus & cæteri Galli generis. Siquidem Gens Thracia, ſive Phrygia, olim per totam Europam divagata eſt, ad Herculis uſque Columnas. Erat igitur Singulari numero *Uerg üi* (ſive uti nos hodie corruptè proferimus *Uerydh*) idem quod & *Brigas*, *Phryx*, & *Frigo*, imò & *Ibernus*; unde Plurativum *Uergüion*, Græcis corruptè ſcribitur Ἀυεργίων. Vide in BRIGANTES.

AMBACTI veteribus Celtis nihil erant niſi *Servi mercede conducti:* unde in antiquo Gloſſatore invenit Turnebus *Ambactus* Δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Oſtendit in Gothico ſuo Lexico Junius hanc vocem à Germanis fuiſſe acceptam: nam & Gothis Andbaughts

haubts pro *Ministro* est, quod *Emptitium*, sive *Conductitium* sonat. Etiam Britannis *Amaeth* vitiosè dicitur *Opifex Agricola*.

AMBOGLANNA (quam Liber Notitiæ ad *Lineam Valli* ponit, & in quâ *Tribunus* fuerat *Cohortis primæ Ætiæ Dacorum*) in loco fuit vulgò vocato **The bank end**, sive *Valli fine*, ubi scilicet *Vallum Barbaricum* fluvium *Urtium*, sive **Irthing**, pertransit. Atque hoc ex pluribus Inscriptionibus ostendit Camdenus; tametsi alio in loco, sui oblitus, eam existimet esse **Amble side** in Regione Occidentalium dictâ Paludium sive Westmoriâ. In Ravennate Monacho reponendum *Amboglanda* pro eo quod vitiosè scribitur *Baboglanda*, & in Vaticano MS. Codice etiam pejùs *Gabaglanda*. Est autem antiquo Britannorum sermone *Am üog lann* sive *land*, *Circa flumineam ripam*: nisi fuerit *Gam üog land*, *Curvati fluminis ripa*, quod suspicor. Dicebatur autem quâdam Dialecto *Uag*, & *Uog*, pro *Ui*, vel *Uig*, quod *Aquæ agmen* vel *Flumen* sonat: unde & Celtoscythis Saxonibus Þæg pro *Fluctu* est, quod Italis est *Voga* de verbo Þægan *Moveri*. Idem etiam Britannis sonat *Lann* & *Land*, quod & Teutonicè loquentibus, nisi quòd *Ripam* solùm significet.

ANASCANA apud Anonymum Ravennatem una est ex Linnisfarnensibus Insulis sive Acmodis, hodie puto **Wamba** appellata. Est autem *Anascana*, quasi *Anas can*, quod Dialecto quâdam veterum Britannorum videtur dici *Candida* vel *Albescens Insula*. Neque sanè multùm abludit nomen hodiernum **Wamba**: nam & *Wann* Britannis dicitur pro *Wynn*, quod *Candidum* est, & *Po* vel *Bo* etiam hodie Ostidamniis est *Regio*, vel *Patria*. Extat etiam ea vox in POMONA, quam vide.

ANCALITES, quorum Regio dici possit *Ancalitia*, Cæsari sunt (quod ego existimo) *Buckenhamiæ* Incolæ, *Attrebatum*que *Ceangi*: nam nulla illic reperiuntur antiqua oppida, excepto uno Lectoreto.

Videntur

Videntur hi fuisse unà cum Bibrocis, atque Attrebatibus, **Berkshire** scilicet, atque **Oxfordshire**, in potentissimæ Cattieuchlanorum gentis Clientelâ. Siquidem civitas ista, sicuti Taciti prodit Historia, aliquando Dobunos usque imperitavit: unde nulla vel Bibrocorum, vel *Ancalitium* mentio in Tabulis Ptolemæi. Dicti autem videntur *Ancalites*, quasi *An Calidon*, quod est *Caledones*, vel *Celtæ*, de *Fagineo* scilicet *Saltu*, **Buckenhurst**, quem obsedêre. Siquidem & Græcis Κᾶλον est *Lignum*, Latinis etiam vetustis *Cala*, unde & *Calo*, & *Caliga* deducta sunt. Etiam hodie *Coil* Scotobrigantibus Caledoniæ Incolis *Sylva* dicitur. Buccenham etiam Saxonibus *Fagineam Villam* sonat, quam veteres Græci Φηγόπολιν dicerent.

ANDAOREON, (nam vitiosè atque perversè apud Ravennatem scribitur *Ardaoneon*) hodie **Andover** est, ad Amnem Tiscam, apud Segontiacos Belgas, in quibus modo Australis Antonæ Conventus est. Saxonibus hic locus Anbeapapan dicitur, quasi quis Britannicè dicat *An deu evron*, quod Græcè est, Τὰ δύω ὕδαλα, *Duæ* scilicet *Aquæ*. Idem enim Britannis sonat *Evr* quod & Græcis ἔρον, unde Latinæ voces *Urina* & *Urinator*. Fit etiam *Dür* appositâ Præpositivâ *D*. Solus meminit Ravennas.

ANDERIDA, in Notitiæ Libro, Ravennati sexto casu dicitur *Anderesio*, & in Vaticano MS. vitiosè *Anderelio*. Vel ex ordine Ravennatis Itinerarii conjicere licet Locum istum Portum fuisse, quem Cissa Ælläe filius, & Australium Saxonum Rex Secundus, de loco, ut videtur, in quo modò Castellum est antiquo nomine **Apuldurham** (de quo quidem vocabulo nos suprà retulimus ad ABALLABAM) ad *Cissæ urbem*, hodie **Chichester** de suo nomine appellaverat: ut sit *Urbs Cissæ* nobis pro *Anderidâ* novâ. Quid enim *Anderida* nisi *An deu rid*, sive *Duo Trajectus* solutis verbis? Neque sanè aliud Ravennatis *Anderesium* sonat; cùm possit aliâ Dialecto *Ris* dici

pro

pro *Rid* vel *Rit*, quomodo & Francobelgis nostris & **Rad** & **Reyse** dicitur, quod Italis est *Rota*, Aremoricis *Rout*, & nostrati vulgò **Road**, satis vicino significatu. Quid quod Fluvioli in hunc diem nomen *Ant* vetusti oppidi vestigia servet? Frustra igitur Camdenus *Anderidam* ad **Newenden** sive *Noviodunum*, in Cantiacorum finibus, ablegat. Juxta Librum Notitiæ *Præpositus Numeri Abuliorum sub Comite Limitis Saxonici* erat *Anderidæ*. De *Anderidâ* autem istâ ingens Segontiacorum saltus Britannis veteribus appellatus est *Coit Andred*, Saxonibusque eodem intellectu Anðredes-ſalð, quod est *Anderidæ nemus*: de quo Saxonicis temporibus Australis Saxoniæ Regnum emersit, cùm antea vasta esset Solitudo, & Segontiacorum Belgarum, ut videtur verisimile, Pecuaria. Ipsa *Anderida* Saxonibus dicebatur Anðredes-ceaster, sive *Urbs Anderidæ*. Est & Ravennati *Anderetum* in Galliis, hodie *Javols*, Ptolemæo etiam Ἀνδέρετον.

ANDRASTA, Xiphilino ex Dione Cassio Ἀνδράστη, cùm aliàs corruptè dicatur *Andate*. Etiam hodie *Andras* populari dicto Britannis nostris dicitur Dea *Malen*, sive *Domina*, quam vulgus nostrum nunc appellitat *Y Valh*, sive *Faunam fatuam*, & *Mam y Drüg*, seu *Diaboli Matrem*; aliàs *Y ÿrâch*, quod Γραῦν, sive *Matrem vetulam* sonat. Veteribus etiam Græcis Ἕλλη, Ἑλλὼ, Ϝελλὼ, & Γελλὼ, uti & Germanis Celtoscythis **Hela**, quam & ipsorum vetustissima Mythologia Islandorum Edda *Anum* fingit *infernalem*. Quæ omnia Deminutivâ formâ proferri puto de Armenio, Phrygio, atque Britanno vocabulo *Hên*; unde & Græcorum Ἕνη, & Latinorum etiam *Senex*. Hanc Hebræi dixere לילית *Lilith*, quam & infantes perimere ferebant; Romani *Accam Larentiam*, *Lamiam*, & *Maniam matrem Lariam* vocitabant; quam & stolidâ persuasione infantes devorare credebant. Neque diversum sensisse videntur Hebræi prisci de suâ *Sheolâ*, quam & Fœminam credebant. Quâ de re vide Esai. cap. 5. vers. 14. ubi hæc legentibus occurrent:

occurrent: הרחיבה שאול נפשה ופערה פיה לבלי-חק *Hirchibbah* Sheol *nahpshah uphangara piah libhli-chok*; hoc est verbis LXX Interpretum, Ἐπλάτυνεν ὁ Ἅδης τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διήνοιξε τὸ στόμα αὐτοῦ, τοῦ μὴ διαλιπεῖν. Verùm Ἅδου posuêre loco conjugis ejus Φερσεφόνης. Erant qui & *Volaticam Anum*, sive *Strigem* putabant. Istud nomen non modò cum *Hecate*, *Bellonâ*, & *Enyo* conveniebat; verùm etiam cum *Bonâ Deâ*, sive *Deorum Aviâ*, & *Terrestri Venere*, quæ & Ἐπιτυμβία Ἀφροδίτη, & *Libitina*. Unde & vulgò fabulantium *Y Vad dhu hyll* (quod est *Bona Furva Effera*) appellata est; uti è contra *Dea Cœlestis*, *Y Vad velen*, *Helena* scilicet, sive *Bona Flava*, vel *Fulva*. Quò verò altiùs repetatur *Andrastæ* Etymon, sciendum est *At* vel *As* veteribus Phrygibus *Marem* dici, sive *Patrem*: unde & hodiernis Armeniis *Ais* pro Articulo *Hic* est, ut & Hebræis איש *Ish* pro *Viro*, unde & Syris *Asta* pro *Fœminâ* est, atque forsan etiam pro *Matre*. Græcis etiam Ἑστία, sive *Vesta*, *Deorum Mater*, & *Terra* est. Ab Ἔρα, *Terra*, fit & Ϝέρα Macedonum Dialecto; unde Ἔνεροι, Ἔνϝεροι, & Romanis *Inferi*, qui Scotosaxonibus dicuntur **Feries**, nostratique vulgo corruptiùs **Fairies**, Καλαχθόνιοι Δαίμονες, sive *Dii Manes*. Est igitur Britannorum Ἀνδράστη (sive uti Græcis dicitur Ἀδραστεία Νέμεσις,) quasi dicas Ἐνέρα Ἑστία, sive *Infera Vesta*: contrà *Cœlestis Mater* Asiaticis appellata est Ἀστάρτη, atque Ἄρτεμις, quod Britannorum nostrorum Dialecto foret *Ardh Ama*, vel *Alta Mater*. Hinc facilè quivis intelligat quid sit in nostris Lapidibus DEABUS MATRIBUS; atque etiam Saxonum Numen Eastep; de quo vide Bedam. *Andrastæ* autem isti Britanni veteres humanas hostias immaniter immolabant, ritu vetusto, quam & ante commissum cum Romanis prœlium Amazonis nostra Vondicca precibus invocabat horrendis, uti memoriæ prodidit Dion. Durat etiam in hodiernum diem hujus sive Divæ, sive Furiæ memoria, dum irati infremunt, *Mae rhyü Andras arnochiii*, quod est, *Ali-*

qua Andrasta te obsidet; & *Phy Andras!* hoc est, *Phy Andrasta!* Huic Numini potissimùm se devovisse Decios ostendit Juvenalis, Satyrâ viii. his verbis:

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina; *pro totis Legionibus hi tamen, & pro*
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latinâ
Sufficiunt Diis infernis, Terræque Parenti.

Vide in MINERVÆ.

ANDROGEUS, Immanuentii Trinoüantum Regis filius, qui quòd cæso à Cassivellano patre in Galliam ad Cæsarem perfugisset, à Britannis *An drüg üâs*, hoc est, *Vir malus*, appellatus videtur. Ista olim Davisius monuit Camdenum. Vide plura in MANDUBRATIUS.

ANGLI, Suevorum quædam natio, quæ unà cum Jutis, Saxonibus, Attacottis, Pictis atque Scotis, Provinciam occupavit Romanam, Regnumque condidit Anglorum, quod modò desiit, reddito veteri Britanniæ & nomine & imperio ab ANNA Immortali Reginâ. Ptolemæo hi vocantur *Suevi Angili.* Feruntur isti Piscatores initio fuisse in Regiunculâ dictâ **Deuts-marsch**, sive *Teutonicâ Palude*; unde & **Angelen** suâ linguâ appellati sunt.

An Captatorem *Piscis amare potest?*

Vide in SAXONES.

ANITOCIS: Proculdubiò enim ita reponendum, pro eo quod in Ravennate Codice, malè accepto Literarum ductu, *Anicetis* legitur, nullâ commodâ Etymologiâ. Equidem existimaverim, *Sturanum* fuisse *Monasterium* ad amnem *Sdoram*, *Sturam*, sive *Es dür*, quod *Aquam* sonat *profluentem.* Idque tam ob ordinem Ravennatis Itinerarii, quàm ob vicinum Novi Oppidi Castellum, quod cùm sit ipsum vetustissimum, aliud tamen ostendit fuisse se vetustius in eâdem viciniâ. Quin & ipsæ sinuosi fluminis fauces emendationi nostræ præcipuè favent. Est enim *Anitocis* tanquam *An ütüc isc*, sive *Guttur Aquæ.* Est

 etiam

etiam in Ordüicibus *Etocessa*, de quâ nos inferiùs acturi sumus. In Galliâ etiam Subalpinâ, sive Pedemontio, est Flumen *Stura*, de quo vide Anonymum nostrum. Sunt etiam in Britanniâ *Sturæ* plurimæ. In Vaticano Ravennatis Exemplari est amnis *Bdora*, quod vitiosum est pro *Sdora*. Variantes hujus Codicis Lectiones nobis communicavit Eruditione eximius Doctor Hudson.

ANSA, vel ASSA: Vide AD ANSAM. Hoc nomen fluminis **Chelmer** est. Vide in AXIUM.

ANTIVESTRIUM, Promontorium est in Ostidamniis. In Ptolemæo enim mendosè scriptum puto Ἀνιυέσαιον pro Ἀνιυέσειον, quod quidem nihil aliud est Ostidamniorum veteri Dialecto quàm *An diüez Tir*, nobis eodem planè intellectu **The Lands End**, sive *Finis Terræ*. Hodiernis Ostidamniis dicitur *Pen vor las*, sive *Caput terræ viridis*. Cæteris verò Britannis *Pen Uith* dicitur; uti & Saxonibus ibridâ compositione Penþiþ-ȝteopt, quod est, *Cauda Pen Uith*. Est autem *Pen Uith* Britannis veteribus *Caput Insulæ*. Vide in BELERIUM, & in VICTIS.

ANTONA, hodie *Australis Antona*, sive **South-hampton** est. *Antonam* autem fuisse vetustum hujus Portûs nomen multa sunt quæ convincant; etsi contradicat Camdeni eruditus Interpres Gibson. Palmarium mihi videtur argumentum, quod veteri scriptori Nennio, homini Britanno, *Trahannon* dicatur, quod quidem Britannicè *Ulteriorem Antonam* sonat. Sermonis Britannici periti nôrunt Literas *NT* in pluribus vocabulis efferri solere ut *NN*, unde & *Kystennin* scribitur pro *Constantinus*. Atque hinc factum existimo, quod Ravennati Monacho *Onna* scribatur (truncato etiam nomine) pro *Annonâ* vel *Antonâ*, sequiori prolatione. Quin & flumen *Antona*, quod *Septentrionalem Antonam*, sive *Eltabonem* præterfluit, idem passum est. Siquidem pro *Antonâ* vel *Antinâ* (nam & *Avon ton*, & *Avon tin* diversâ Dialecto *Distentum flumen* sonat) **Min** vel **Men** hodie dicitur:

quod & Ravennati vitiosè *Maina* est pro *Naina*, & in Vaticano MS. *Mauia*, in fluviorum Catalogo, cùm deberet esse *Annina*. Quinetiam Ptolemæi Τεισάντων (quo quidem nomine ille *Tiscam* vocat) vitiosè scribitur vel ab ipso Ptolemæo, vel ab ejus exscriptoribus, pro Τεκυσάντων· quod idem affirmare ausim & de Antonini *Clausentum* (quo nomine ille *Antonam* nostram designat) de quo nos olim *Trausantum* fecimus, cùm tamen nominum analogiæ magis conveniret *Trausantona*. Possit tamen ferri & *Clausantum*, modò solutè legamus *Clauz Anton*, quod erit *Fossa*, seu *Munimentum*, *Antonæ*. Supervacaneum fuerit hîc admonere idem esse Britannis *Tra*, *Traüs*, & *Tros*, (imò & Latinorum *Trans*) quæ & *Ultra* & *Ulterior* significant. Neque attinet subjicere, in quibusdam Saxonicis chartis reperiri Hamtune: consuevêrunt enim Barbari Saxones, uti passim cernere est, Britannica vocabula in suum sonum detorquere. In Censuali tamen Willielmi Primi Libro, dicto Domes dei, sive *Judicii Dies*, scribitur Hantscire universus Pagus; quod ante me adverterat Camdenus. Vide in NAINA.

ANTONA etiam Tacito dicitur flumen *Abona*, quod Aquas Calidas, sive Badixam, præterfluit, Ravennati Monacho de Balneorum vicino vocabulo *Badonessa* appellatum: quis enim dubitet ita reponendum pro vitioso *Ractomessa*, quod in Impresso est? Etiam plurimæ fuerant per universam Britanniam *Antonæ*, etsi minoris notæ. Vide in BADIXA.

ANTONA etiam Fluvii nomen est ad fines Cantii. Vide in MANTANTONIS.

AQUÆ, quæ in Anonymo Ravennate in Ablativo scribuntur *Aquis*, de more sequioris sæculi (unde & *Aquæ Granni*, & *Aquæ Sextiæ* Gallis dicuntur *Aix*) in Icenis sunt, sive Lindensi Pago. Hodie dicuntur Arey, & nonnullis Arel, unde & Saxonicum Insulæ nomen Axholme, vel Caxelholme sive *Aquensis Insula*, de quo & curtatum Arel. Castellum hîc fuisse constat

constat venerandæ Antiquitatis. Nescio an *Aquæ* dicantur ob situm inter duos amnes, Troventionem scilicet & Daunum.

AQUÆ CALIDÆ, Ptolemæo Θερμὰ ὕδατα, uti & Ethnographo Stephano Βαδιξα, & Ravennati nostro *Badonessa*. De istis autem *Aquis* inferiùs plura venient dicenda. Ad Dumnoniorum Ceangos sive Somersætas istæ pertinent. Belgarum tamen fuerant unà cum universâ Ceangorum atque Carviliorum Regione Ptolemæi ævo. Vide in BADIXA. Antonino dicuntur *Aquæ Solis*.

ARBELA: Apud Brigantum Ceangos hæc erat, ad fontes Eleni sive Alauni fluminis, in eâ parte quæ ad Cumbros spectat. Dici autem videtur *Arbela* tanquam *Ar bel av*, quod est *Ad caput fluminis*. In pictâ enim Notitiæ Tabulâ *Arbela* scribitur; cùm in Libro vitiosum hæreat *Arbeia*. Hodie dicitur **Jerbie**, quod ostendit Camdenus. In eâ erant secundum Librum Notitiæ (qui solus hujus meminit) *Præpositus Numeri Barcariorum Tigrisiensium*, ut sit celeberrima Statio.

ARCELEDII. Vide in CURIA.

ARDUENNA SYLVA nominata videtur primùm à vicinis Belgis; eodem scilicet nomine, quo & altera in Belgicâ Britanniâ Transmarinâ, quæ, prodente Cæsare, à flumine Rheno ad initium Rhemorum pertendebat. Hæc videtur olim ab Ordüicibus occupata: modò verò de Romano Præsidio *Conventus Warwiccanus* appellatur. Quid enim **Ward wic**, nisi *Icenorum* sive *Huicciorum Præsidium?* Dici videtur *Arduenna*, quasi quis dicat Britannicè *Ar duneu*, sive *Colles*, Οἱ βουνοὶ, quod tamen Etymon meliùs forsan convenire possit *Belgico Saltui*, quàm nostro.

AREMORICI: Britanni Transmarini sic dicti de *Armor* vel *Arvor*, quod Aremoricè est *Litus*. Sunt etiam *Morini Wallonici Flandri* ita dicti Celticè quasi *Mor eni*, sive *Marigenæ*. Sunt autem *Aremo-*

rici veteres *Belgæ*, hoc eſt *Allobrites*, ſive *Belgicæ* Britanniæ reliquiæ, à Francis, ſeu Sicambris, circa annum à nato Chriſto CCCXI. in Galliam Celticam actæ. Videſis Zoſimi Hiſtoriam ſuper hâc materiâ. Vulgò feruntur hi Britanniæ noſtræ coloni: & credibile eſt ſanè Saxonici Belli tempeſtate plurimos illuc trajeciſſe Belgarum noſtrorum perfugas. Conſtat autem Sidonii Apollinaris ævo, quarto ſcilicet & quod excurrerat ſæculo, Regnum fuiſſe *Britannorum* in Galliâ ſub Rege *Riothamo (Rhi Othion*, ſive *Litoralium Rege)* Viro ſtrenuo. Hi Dialecto utuntur Belgicâ antiquâ, quam & Oſtidamnii noſtri, ſive Corinavii, hodie ex parte loquuntur. Tractus autem Aremoricanus Imperii Notitia dicitur *Saxonicum Litus Galliarum*. Pertendebat autem hic Tractus Anonymi ævo à Ligeri fluvio Sequanam ſive Sigugnam uſque: hoc eſt, uti ipſe loquitur, ad Galliam Belgicam Germanam; quam dicit à Francis occupatam. Univerſus iſte Tractus *Neuſtria* (olim etiam Gallia Celtica) dicebatur; & *Britannia in Paludibus*, ut apud eundem ſcriptorem cernere eſt. Neque enim ſeptimo ſæculo Franciæ fuerat, ſed veteris Galliæ. Cæſari & Plinio contrà *Aquitani Vaſcones* habentur *Aremorici*, qui vel apud Notitiam ad Tractum ſpectant *Armoricanum*. Atque hi quidem Anonymi ævo ad Ligerim amnem pertendebant: imò & ipſius Strabonis: Ita enim ille, Ἐπειδὴ ὁ μικρὸς μερὶς ἐστὶ τῆς ποταμίας, προσέθεσαν καὶ τὴν μεταξὺ Γαρουνᾶ καὶ Λείγηρος. Vide in NEUSTRIA. Etiam Cæſaris ævo Venedi Britannorum noſtrorum erant Socii, & præcipui amici; ſicuti & ſub Conſtantino.

ARGETOTOXUS; Ita enim reſcribendum pro *Argetocoxus*. Hunc Dionis Epitomator Xiphilinus prodit Severi temporibus imperitâſſe Caledoniæ. Crediderim Caſtrenſe fuiſſe Viro nomen: quid enim *Argetotoxus*, niſi Britannicum *Ardh Togüis*, quod eſt *Summus Dux*, ſive *Dictator*. Angloſaxonibus etiam Tuge *Duxit* eſt: unde & Celtoſcythis Germaniæ

maniæ etiam hodie Summus Imperator **Hertog**, quasi **Her tog**, *Belli Dux*, vel potiùs **Haar tog**, *Altus Dux*, appellatur. Veteribus etiam Francobelgis **Toghen** erat pro *Ducere*, unde & Anglis **Tough** pro *Lento* est, & **To Tugge**, vel **To Towe** pro *Magnâ vi trahere*. Hodiernis Britannis *Ducere* dicitur *Tyüys*, unde & *Tyüysog* pro *Duce* est. Vide in ARVIRAGUS.

ARGISTILLUM: Hujus unus meminit Ravennas noster; & est in Conventu Glevano, atque in Centuriâ etiam hodie dictâ **Kistlegate**, sive *Argistillaria Via*. Quid vetat illud esse nostrum **Winchelcomb**, ubi vetustissimum Saxonum Monasterium, atque etiam celeberrimum, à Kenulpho Mercio fundatum? Certè antiquissima quæque Loca Monasteriorum erant Sedes. Videtur dici *Argistillum*, quasi *Ar gistl üi*, quod est, *Ad latus undæ*. Etiam hodie **Gistleworth** (quod vulgò corruptè dicitur **Thistleworth**) ad oram est Tamesæ fluminis. Quid igitur vetat veteribus Britannis *Gistl* fuisse pro eo quod hodie dicitur *Ystlys*, & Ibernis *Slios*, quod est *Latus?* Nam Litera *G* jam olim liquidiuscula fuit. Vox etiam **Winchelcomb** efficta videtur ibridâ compositione de Saxonicâ Pincel, *Angulus*, & Britannico *Cüm*, Συνάλλιον, seu *Convallis*; quod eodem Etymo est, quo & *Cam*, *Incurvum*.

ARGITA, Ptolemæo dicitur Æstuarium *Loch Suilli*, sive *Lacus Voluntiacus*, apud Boreales Ibernos. Ita dictum puto à Britannis nautis, quasi *Ergid* vel *Ergit*, Ἐκβολὴ, vel Projectio.

ARIANUS: Ita proculdubiò apud Anonymum legendum, pro eo quod in Edito est *Aranus*, & in Vaticano vitiosiùs *Aramus*; quò sit soluto sermone *Arian üisc*, sive *Argenteus fluxus aquæ*, vel *Fons clarus*, Saxonibus eodem intellectu nominatus Scipebupn, olim Episcoporum sedes, apud Durotriges. Aliâ scripturâ dici possit *Argamus*, exemplo scilicet Græcorum, quibus est Ἀργεννὸς eodem ferè intellectu.

ARICONIUM, hodie, ut ostendit Camdenus, Kenchester est, sive *Conium* Urbs: atque ea est in eâ parte Silurum, de quâ raptores Saxones erexêre novum Conventum Herefordiensem. Fuit sane *Ariconium* Herefordiæ mater, ut & in Cornaviis meis Veroconium Scrobesburgi, seu Salopiæ. Quid autem Saxonicum Hereford, nisi *Ariconiensium Trajectus?* Dicitur etiam *Aricomium* de Britannico *Ar i con iü*, quod est, *Super principe aquâ.* Idem enim *Con* vel *Cond*, quod & *Ken*, *Kend*, vel *Kind*, *Caput*, pro variantibus Dialectis. Saxonibus hæc Urbs scribebatur Cearceaster. Cur non dicit possit Hereford *Ariconium* novum, cùm vetus jam esse desierit?

ARMINA, quasi dicas *Ar min av*, quod est, *Ad labium undæ.* In Ravennate Libro, qui solus hujus meminit, vitiosissimè scribitur *Ardua*, cùm videretur Librario vetustum ꝏ esse *D*, & *IN U.* Hodie vocari videtur Armiston, quod est ad cognominem fluvium *Arminam* in Dumnoniæ Litore.

ARMINEXA; Ita enim in Anonymo Monacho reponendum pro vitioso atque perverso *Arnemeza*, ut sit hæc Mansio quædam ubi hodie *Armina Magna* ad Eburam sive Oxam flumen, in Occidentali Brigantum Triarchiâ. *Ar min isc* Britannis est *Ad labium aquæ*, sive *amnis Oxæ.* Frequentissimè peccatur à Librariis in Literis Ξ & Z, uti nôrunt harum rerum periti.

ARMINIS, in Ravennate nimis correptè scribitur *Armis*, omissis duabus Literulis. Eodem hæc est Etymo, quo & superior. Quâ formâ & *Ariminum* est in Cisalpinâ dictâ Galliâ, quasi *Ar min iii*, vel *Ad labium undæ.* Atque hæc videtur esse nostrum Rumsey, quod est ad fluvium Trausantonem, sive Tiscam in Belgis. Videtur autem Rumsey vitiosè translatum, ac si crederent Saxones Britannos dixisse *An Rom inis*, quod est *Romana Insula.* Quid enim Romsey nisi *Romana Insula?*

ARVI-

ARVIRAGUS, apud Satyricum Juvenalem Viri nomen non eſt, quod vel ipſius Poëtæ verſus ſubindicat:

Regem aliquem capies, vel de temone Britanno
Excidet Arviragus. ———

Diverſum quid igitur *Arviragus* à *Rege*. Certè *Ardh rig*, vel alterâ etiam Dialecto *Ardh rag*, ut & *Kend rig* (vitioſè Romanorum ore *Arviragus*, & *Cingetorix*) Dictator erat à communi Gallorum Britannorumque Concilio bellorum temporibus Summæ Rerum præfectus; qualis ſcilicet primis, quæ novimus, temporibus Divitiacus Gallus, & poſtero tempore Provincialis ille miles Ambroſius Aurelianus, Britanniæ Primæ, ut videtur, Præſes, qui autoribus Dumnoniis Romanorum antiquis ſociis, purpuram ſumpſit, etſi renuente fatuo atque invido Silurum Regulo Vortigerno, qui à partibus ſteterat Barbarorum. Hinc nata fabuloſiſſima neſcio cujus *Arthurii* Regis Hiſtoria, cujus quidem nomen, ſi verum admittimus, nihil aliud ſonabit, niſi *Ardh* Heer, ibridâ ſcilicet compoſitione pro *Ardhrig*, vel *Ardhrag*, quod eſt *Altus* vel *Summus Rex*, *Argetotoxus*, vel Hertog, ſive *Dictator*. Atque hic quidem vel nemo fuit omninò, vel *Ambroſius* ille *Aurelianus*, cujus unius & Gildas *Arthurii* æqualis, & Saxo Preſbyter Beda meminêre. Quis neſcit vetuſti fuiſſe moris, præſertim apud Barbaras Gentes, Imperatores Caſtrenſibus venire nominibus? *Brennus*, perpetuum Gallorum Regum nomen, nihil aliud niſi *Regem* ſonat; ſicuti neque veterum Ægyptiorum nomen *Pharao*. Siquidem Φὰ ὁ ῥῶ, duplici cum Articulo, illorum Linguâ eſt Ὁ Βασιλεύς, ut in Prodromo Coptico oſtendit Athanaſius Kircherus. Verùm (ut ad Juvenalem redeam) Britanni veteres, excuſſo Romanorum jugo, uſque ad Hadrianum Imperatorem, *Arvirago*, ſive magis *Ardirago*, *Dictatori* ſcilicet proprio, parebant; qualem puto & ſub Auguſto atque Tiberio fuiſſe *Cunobelinum*, etſi quadantenùs Romanis vectigalem, quod

quod *Tasciam*, sive *Portorium*, illis penderet; quod vel ejus nummi ostendunt. Hujusmodi fuisse reor & *Ambrosium Aurelianum* postero tempore, qui quòd Regulos Britanniæ dicto suo audientes haberet, & *Ardh* Peer, sive *Summus Dominus*, sive etiam, ut verbo utar Persarum, Βασιλεὺς μέγας, & *Pendragon*, sive *Caput Regum*, appellatus est. Quid enim *Pend Ragon*, nisi quod vetustiore Dialecto *Kend Rigon* vel *Kyndrüyn* est, sive *Cingetorix*, ut nomine utar Cæsariano? Neque enim solus fabulosus *Arthurii* sive frater sive pater, nomine *Uter*, *Pendragon* appellatus est; verùm etiam ipse *Arthurius*, in Alani de Insulâ Commentario ad Merlini consarcinata à Monachis vaticinia, qui sub Henrico ejus nominis Primo Parisiis Doctorem agebat universalem, uti aliàs ostendimus. Equidem crediderim & *Cadüallanum* Canganorum Regulum fuisse postero tempore universæ Britannorum Genti præfectum; imo & *Ardh* Peer etiam appellatum. Certè hujus Pronepos *Cadüalladrus* universæ Flaviæ imperabat, ultimusque audit Britannorum Rex. Vide in CINGETORIX & PENDRAGON.

ATINAS, Νησιδίον quoddam ἀνώνυμον in Lindisfarnensibus sive Acmodis, Ravennati curtatè scriptum *Atina*, sexto casu: Britannis forsan dicebatur *Atinis*, quod quidem foret *Insula Insulæ appensa*.

ATTACOTTI: Gens hæc Britannica, autore Hieronymo. Cùm autem in Ptolemæi Tabulis nulli compareant *Attacotti*, facilè adducor ut credam posterioribus Imperii temporibus ita vocatos fuisse *Silures*, unà cum illorum Clientibus *Demetis*, & *Cornaviis*, horumque *Canganis*. Quid enim *Attacotti*, nisi *Sylvis accolentes?* Siquidem *At a coit* solutè scriptum est *Apud Sylvas*. Atque hoc firmatur vel maximè ex Carmine quodam Condelüæ dicti *Prydydh Maür*, sive *Poëtæ Magni*. *Attacotti* nostri dicti videntur σωωνύμῳ vocabulo *Argoet* & *Argoetüys*, quod *Viros* sonat *apud Sylvas*, Lomarchoque Seni *Güyr Argoet*.

Argoet. Sylveſtrem autem & incultam fuiſſe illam Regionem, etiam ad Normannica tempora, nemo eſt qui neſciat, modò Higdeni Canticum legerit. Huc accedit vel maximè quod Ammianus Marcellinus ſcripto prodidit, *Attacottos* unà cum Saxonibus, Pictis, & Scotis Provinciam vaſtaviſſe Romanam. En autem ipſius Ammiani verba: "Picti, Saxones, "& Scoti, & *Attacotti* Britanniam ærumnis vexa-"vêre continuis." Imò & Zoſimus memoriæ prodidit, ineunte Conſtantini Imperio, Britannos ope Tranſrhenanorum Romanum jugum excuſſiſſe. Credibile eſt igitur Conſtantinum Imperatorem, receptâ jam provinciâ, *Attacottiæ* noſtræ novum Præſidem præpoſuiſſe, novamque provinciam de ſuo ipſius nomine *Flaviam Cæſarienſem* appellaviſſe: nam & Iſca Silurum Sedes fuerat Archiepiſcoporum. Hinc etiam colligere eſt, in Romanæ Provinciæ excidio Vortigernum Silurum Regem à novo Præſide malè habitum, à partibus ſtetiſſe Pictorum, Scotorum, atque Saxonum; etſi contrarium Monachis noſtris feratur, quòd Provinciales Britanni cùm indigenis ab imperitis confundi ſoleant. Denique idem graviſſimus ſcriptor *Attacottos bellicoſam hominum Nationem* appellat; quod de Siluribus novimus ex Tacito fuiſſe verum. Quin & in Imperii Notitiâ legimus inter Auxilia Palatina tam Orientis quàm Occidentis, atque etiam in Legionariis numerari *Attacottos.* Vide in SILURES.

ATTREBATES: Ita enim Anonymo dicuntur qui Ptolemæo ſunt *Attrebatii*, etſi parum interſit. Oxonienſem hi tenuêre Pagum, ſecus ac putavit Camdenus, qui Bibrocorum illis tribuit Regionem: Credo quòd Caleva hodie cenſeatur Bibrocorum, quæ Ptolemæo dicitur *Attrebatum.* Verùm & Civitatum fines ſemper fuêre incerti, & credibile eſt Bibrocos in Clientelâ fuiſſe *Attrebatum*, cùm horum apud Ptolemæum nulla ſit mentio. Ab *Attrebatibus* Belgii in noſtram Britanniam transfretavêre, & aliquando

in

in Caſſivellanorum Clientelâ fuêre; uti ex Tacito intelligere eſt. Quod ad Etymon attinet, ſicuti *In Sylvis agentes* dicuntur *Attacotti*; ita & *Oppidani At trevaüt*, ſive *Apud Oppida*. Quin & hodiernum *Calevæ* nomen **Wallenford**, quod *Trajectus* eſt *Gallorum*, origini *Attrebatum* fidem facit. Etiam Belgarum oppidum **Atrecht**, ſive *Arras*, *Trajectus* dici videtur *Attrebatum*.

AVALARIA apud Anonymum (in Vaticano Libro vitioſè *Avalana*) **Woollover** eſt, ſive **Wooller**, ad flumen *Bramiſcam* (*Bram iſc* Britannis *Aqua putida* eſt) in Otodinis, ſeu Nordanhumbranis. Hæc quidem dici poſſit Britannis, ſolutis verbis, *Abhal* vel *Aval ar iü*, quod *Furca* eſt, vel *Sinus Aquæ*. Vide in ABALLABA.

AVALONIA, Inſula erat Glaſtonienſium, Britannis de herba *Glaſto* vel *Vitro*, appellata *Inis üitrum*; ut & Saxonibus eodem intellectu, verùm ibridâ voce **Glaſteney**, ſive *Inſula Glaſtaria*. Monachi mendaciorum promicondi in hoc Monaſterio Sarcophagum Arthurii ſui repertum voluêre, ſub hoc Titulo: HIC JACET SEPULTUS INCLITUS REX ARTURIUS IN INSULA AVALONIA. Britanni forſan dixerunt *Inis Aüelon*, quod eſt *Inſula Spiritalium*: Siquidem *Aüel* etiam hodie *Lenis ſpiritus* eſt, ſive Ἄυρα, ut Æolico utar vocabulo. Notiſſimum eſt Monachos olim appellatos fuiſſe Πνευματικοὺς, ſive Θεοφόρους. De Arimathæenſi fabellâ vide Origines Magni Stillingfletæ, qui oſtendit Joſephum, quem jactant Apoſtolum, Monachum fuiſſe Gallum ſequioris ævi. Spectat hic locus ad Ceangos Dumnoniæ.

AVENTIO: Hodie de *Coloniâ* Verolanio **Colne** dicitur, dividitque hic fluvius Trinoüantes ab Ancalitibus. Hujus nomen eſt apud Ravennatem Geographum, in fluviorum Catalogo. Veſtigia nominis vel in hunc diem reſtare videntur in **Ewenney Farm**, ſive *Aventonienſi Prædio*, non ita longè ab oppido **Stanes**, ſive *Ad Lapides*: unde, & quòd

Leuca

Leuca ex altero Civitatis limite proximè ſequatur, hujus ſitum expiſcati ſumus. Quid autem *Aventio*, & Ewenney, niſi *A went iii*, ſive *Volubilis aqua?* Vide in DERVENTIO. Eſt etiam huic cognominis fluvius Ewenney, ſive *Aventio*, in Morganticâ Silurum Regione. Videtur tamen & alterum fuiſſe fluvio nomen, *Oxa* ſcilicet, vel communiore loquelâ *Iſca*, ob vicini loci nomen Urbridg, quod *Pons* eſt *Oxæ*. Imò & eodem vocabulo fuiſſe fluviolum Brent, ſive Berend, vel nomen vicini loci Drendon, ſive *Oxodunum* videbatur probare. Eſt autem Saxonibus Benend idem ferè quod & Bunn; *Uiſc* ſcilicet, ſive *Actus aquæ*.

AUGUSTA TRINOUANTUM, vel olim totius Inſulæ Caput, quod vel Antonini oſtendunt Itineraria: nam illuc omnia majora Itinera, ſeu Militares Viæ pertendunt. De hâc urbe ita Tacitus Libro Annalium XIV. "*Londinium* perrexit, cognomento "quidem Coloniæ non inſigne, ſed copiâ negotiato-"rum & commeatu maximè celebre." Certè *Præpoſitus Theſaurorum Auguſtenſium in Britannis* occurrit apud Notitiam. Vide in LONDINIUM.

AURELIANUS: Vide in ARVIRAGUS. Neſcio an fabuloſus *Merlin Ambros* (Britannis noſtris admodum vitioſè *Merdhin Emrys* hodie appellatus) idem ſit qui *Ambroſius Aurelianus*. Hunc de more rudiorum temporum pro Mago & Vate habent Britanni. Hoc equidem conjeceram antequam vidiſſem à Nennio Britanno *Merlinum* iſtum confundi cum *Aureliano*. Adverterat etiam magnus Stillingfleta, in Originibus. Hunc purpuram ſumpſiſſe teſtatur Gildas. *Merlini* Vaticinia Offuciæ ſunt Eccleſiaſticorum, novas res ſemper molientium.

AURELIUS CONANUS apud Gildam, Uſſerio Armachano Poüiſiæ Rex eſt. Verùm *Conani* nomen oſtendit eum fuiſſe Silurem. Quid *Conan*, ſive *Concen*, niſi *Rex Princeps?* ut & Germanis Celto-ſcythis Conaing, Coning, Kening, Kong, & King,

King, variantibus ſcilicet Teutoniſmi Dialectis. Siquidem Britannis vetuſtis *Cond*, vel *Kend*, *Caput* eſt, uti ſæpiùs eſt dictum: & *Con kend*, *Primum caput*. Alanus dictus de Inſulis in Commentario ad Merlinum, Eccleſiæ illorum temporum Ψελδόμανλιν, memoriæ prodidit, ſuis temporibus (quæ fuêre & Primi noſtri Henrici) fuiſſe Aremoricanæ Regioni plures Regulos, quorum principem vocatum fuiſſe *Conanum*. Fuerat igitur *Aurelius Conanus*, ſive *Conken*, Vortigerni Succeſſor in Regno Attacottorum, & reliquorum Regulorum in Flaviæ partibus Princeps. Fuêre Walliſci noſtri in excidendâ Britanniâ Saxonum ſocii. Quare Reguli ipſorum, atteſtante antiquo Gildâ, non tam in Saxones quàm inter ſe movebant arma. Pudet ſanè gentem noſtram, neſcio quo ſuo fato, omni ævo intentiorem fuiſſe ſeditionibus, quàm tuendæ Patriæ.

AVRIANUS, flumen *Rian* in Valentiâ. Vide in ABERAVANUS.

AUSOBA, apud Ptolemæum Æſtuarium eſt Loch Corbes, juxta Nagüatam, ſive Galliüam, Iberniæ urbem, & putat mecum Camdenus. Potuêre Nautæ Britanni illud *A üiſc ava*, ſive *Tractus* vel *agmen aquæ*, ſuâ Linguâ appellaviſſe, cum ipſi Iberni *Loch corbadh*, ſive *Maris Projectionem* vocitarent. Verùm illud in medio relinquimus.

AUTEIRI; Gens Iberniæ apud Ptolemæum, quam ille in Naguatiæ, ſive Connactiæ partibus collocat. Crediderim eos fuiſſe *Erigenas*, ſive Ἀυλόχθονας Ibernos, & à Brigantibus noſtris pulſos, primùm è Britanniâ, deinde etiam in ulteriorem Iberniæ partem. Nam & veteri Britanniæ *Er* erat pro *Terra*, ut & Græcis Ἔρα, & Syris ארעא: unde & Indigenæ Iberni *Erion*, ſive *Erii* à Brigantibus appellati ſunt: atque ipſa Inſula Græcis *Iris*, quaſi *Eriorum Inſula* vocata eſt. Et cùm *Ot*, ſive *Aut*, Britannis ſit *Ora* & *Litus*, quid vetat *Aut Erion* appellatam fuiſſe *Eriorum oram* ſive veterum Ἀυλοχθόνων; in Ptolemæi Libris

bris & Ἄυλειροι & Ἄυλεροι ſcribuntur. Certè Cantabri, Vaſcones & Iberni ad hunc uſque diem ex parte maximâ veteri Aboriginum noſtrorum ſermone utuntur, interſperſis plurimis Celticæ, ſive Briganticæ Linguæ vocabulis. Nam & Frigones ſive Brigantes, Thracici generis, Hiſpanias etiam tenuêre longè ante Punica tempora. Quin & Strabonis ævo maxima pars Hiſpaniæ Celtarum fuerat. *Erii* iſti & *Scoti* vulgò appellantur de Britannico puto *Es guydh üyr*, ſive *Viri ſylveſtres, & feri:* à quibus diverſi ſunt *Gatheli* ſive magis *Guydh Alli*, *Brigantes* ſcilicet, ſive *Sylveſtres Galli.*

AXELODUNUM: Vide UXELLODUNUM: nam vitioſè ſcribitur in Imperii Notitiâ.

AXIUM: In Ravennate Libro nomen fluminis. Equidem crediderim, quòd proximè ſequatur Fraxulam, eſſe flumen **Chelmer** apud Gueppones ſive Orientales Saxones. Eſt autem **Chelmer** vitioſè prolatum pro eo quod deberet eſſe *Kil mor*, *Maris* ſcilicet *Receſſus.* Alterum etiam flumen parili vitio *Pant* dicitur, cum deberet dici *Mant*, quod *Os* eſt, ſive *Oſtium.* Utrumque autem flumen nomen ſuum ſortitum eſt de Sinu maris, & de Oſtio Æſtuarii, *Idumanii*, ſive potiùs *Idumantii* Ptolemæo vocati. Rectiùs tamen videtur de flumine *Anſa*, *Aſſa*, vel *Ava*, oppidum vicinum dici *Axium*; cùm veſtigium hujus nominis etiam adhuc exſtet in ibridâ voce **Charted**, quod correptum eſt de **The Arſted**, quomodò aliàs **Thiſtlewoꝛth**, pro **The Iſtlewoꝛth.** Neque ignotum eſt, **Sted**, **Stad**, & **Stold** Germanis dici *Urbem*, & quamvis *Sedem.* Eſt autem *Axa* idem quod *Exa*, *Ixa*, *Oxa*, *Aſſa*, *Eſſa*, *Iſſa* vel *Iſca*; quæ omnia variantibus Dialectis *Aquæ tractum* ſignificant. Occurrit & in Saxonum Linguâ eadem Dialectorum varietas: quâ de re vidéſis Angloſaxonicam Eruditiſſimi Hickeſii Grammaticam. Fuerit & pervetuſtum oppidum **Chelmerfoꝛd**, Romanis dictum *Trajectus ad Axam*, ſive *Anſam.*

B.

BADIXA: Ita enim legendum apud Stephanum Byzantinum pro vitioso Βαδίζα: ut & apud Anonymum Monachum *Badoneſſa* pro monſtroſo *Ractomeſſa*, in fluminum Catalogo. Urbs hæc celeberrima in Ceangis eſt Dumnoniorum, Britannis dicta *Caer Badon*, ſive *Civitas Balneorum*; quod idem & *Badixa* ſonat. Nam & *Ixa* pro *Iſſa* eſt, & *Bad*, *Balneum*, à Βαθὺ eſt, unde & Βάπλειν. Etiam Celtoſcythis Germaniæ Baden dicuntur *Balnea*, eodem Etymo. Vide in AQUÆ CALIDÆ.

BADONESSA apud Ravennatem in fluviorum Catalogo legimus pro monſtroſo *Ractomeſſa*; neque ſanus quiſquam improbabit. Si hæc non fuerat ipſa *Badixa* (quod ſanè ſuſpicor) flumen erat *Abona*, ſive *Antona*, quæ præterfluit *Badixam*. Fortaſſe tamen quod nomen fuerat initio ipſi *Badixæ*, poſtero tempore & datum eſt flumini vicino, de more ſcilicet ſequioris ſæculi. Vide in ANTONA. In Vaticano ſcripto Codice adhuc vitioſiùs ſcribitur *Rartomeſſa*.

BANACIA apud Ptolemæum Camdeno Caſtellum Bain eſt in Mergis ſeu Muraviis Caledoniæ, ubi & anno à nato Chriſto MCCCCLX. marmoreum vas quoddam effoſſum eſſe ſcribit plenum Romanorum nummis. Nobis contrà videtur Arx eſſe pervetuſta in *Pago Devanano*, hodie Aberdeenſhire. Illic enim mons eſt dictus hodie Banachi, quod Britannis eſt vetuſtis *Ban aüchys*, Βανὸς ſcilicet ὀξὺς, vel *Mons acutus*, acuto cacumine conſpicuus; in quo rudera ſunt inſignia veteris Caſtelli dicti corruptè hodie Dunadeer, cùm deberet eſſe *Dun entrych*, quod Britannis eſt *Arx Summitatis*. *Entrych* enim dicitur quod *Cœlum intuetur*: Siquidem *Drych*, *Aſpectus* eſt à Δέρκω Græcorum, & *En* etiam hodie Aremoricis inverſè dicitur pro *Nêv* quod *Cœlum* eſt. Ejuſmodi compoſitionem cernimus & in noſtro

Enüiſg,

Enüiſg, quod pro *Arcu cœleſti* eſt; ac ſi quis dicat *Cœleſte amiculum*, quò referendum & Ovidianum illud,

Nuncia Junonis varios induta *colores.*

Verùm iſta dicantur ἐν παρόδῳ. Potuit & Caſtellum **Bein**, ſive *Collium*, Romanis dici *Banna*, ex Analogiâ vocum.

BANIUS flumen **Ban** eſt apud Icenos. Vide in BANOVALVM.

BANNA apud Ravennatem, **Banburg** eſt in Otodinis, quondam Nordanhumbranorum Arx regia. Nam in Saxonico Bedæ Libro Cyninglic byrig, ſive *Regius Burgus* appellatur. Idem autem Veteribus *Burgus* quod nobis *Arx* vel *Caſtellum*. De notatione vocis *Banna* vide in ſuperiore.

BANNIUM. Vide in GEBANNIUM.

BANOVALUM, apud Ravennatem mendoſè ſcribitur *Banovallum*, ex ignoratione Etymi: In Vaticano MS. aliquantò meliùs *Bannovalum* eſt. Inſigne hoc erat Romanorum Caſtellum, cujus reliquiæ adhuc reſtant, quod oſtendit eruditiſſimus Britanniæ Interpres Gibſon; etſi antiquum ignoraverit Loci nomen. Arx iſta eſt in *Banii* fluminis confluentiâ apud Lindenſes Icenos, & vocatur vernaculâ Anglorum Linguâ **Hoxn** (vel magis **Hoxen**) **Caſtle**, quod *Vernarum* eſt *Caſtellum*. Erat igitur *Ban iü*, ſive *Banius* fluvio nomen, quod antiquâ Linguâ *Altum* erat *flumen*; & *Valum* ſive *Bala*, *Fluminis oſtium*. Siquidem *Bal*, vel *Bala*, veteribus Britannis, imò etiam Phrygibus, & *Capitis* & cujuſlibet rei *Rotundâ comprehenſio* eſt: quod & Græcis eſt Φαλὸς, Βαλὸς, & Pelaſgicè Ϝαλός· unde & Κεφαλὴ, de Κάρᾳ & Φαλὴ eſt. Quin & Heſychii Gloſſis Φάλαι dicuntur *Montes* & *Speculæ*, Ὄρη καὶ Σκοπιαί: unde etiam Latinis *Falæ*, & *Montium* & *Tabulatorum operum altitudines*: Etruſcis etiam, autore Feſto, *Fala* pro *Cælo* eſt. Vide plura in BEL.

BARDUS "Gallicè *Cantor* appellatur": verba audis Festi. De *Bâr*, quod Britannis *Animi impetus* est & *furor*, Poëta dicitur *Barydh*, & correptè *Bardh*, quomodo & Græcis Μάντις à Μαίνεσθ. Scotobrigantibus etiam Iberniæ *Bara* dicitur *Gravis ira*, quasi Βορὰ, de Pelasgico Βέρειν, pro communi Φέρειν. *Breudhüyd* etiam Britannis dicitur *Somnium*, quasi *Barydhüyd*, *Bardi* scilicet *Visio*, sive *Vaticinium*.

BASCAUDA: Veteres Britanni non tantùm Navigia, verùm etiam domestica Instrumenta de vimineo texto, coriis utrinque cooperto, conficiebant. Certè *Cacabum*, sive *Elixatoriam ollam*, etiam hodie eodem nomine, quo & navem *Curucam* (illud enim *Crochon* est) appellitare solent. Idem autem Veteribus *Crogn*, vel *Crochon* (Scotobrigantibus hodiernis *Croechean*) quod hodie dicitur *Croen*, Aremoricisque *Crochen*, Latinis *Corium*, Græcisque Χρῶς. Ex erudito Viro Georgio Buchanano didicimus, Deucaledonios Scotos etiam hodie in *Coriis* carnes elixare, more antiquorum Arabum apud Herodotum. *Bascaudas* igitur Britannica Κυλικόνιπτρον fuerat, *Cacabi* nostri formâ (quale nos, de Menteithio Inventore, dicimus **Menteith**) quod vel antiquus Juvenalis Interpres significare voluit dum ad Satyram XII. *Bascaudas* dicit *Vasa ubi calices lavantur*, & *Cacabos*. Crediderim etiam fuisse Romanis Argenteas atque Aureas ejusdem moduli *Bascaudas*, tam quòd à Juvenale inter Escaria, sive pretiosas Delicias numerentur; quàm ob notum illud Martialis Distichon:

Barbara de pictis veni Bascauda *Britannis*;
Sed jam me mavult dicere Roma suam.

Quod ad nomen attinet, Participium est Britannicum. Veteri enim Linguâ *Üÿaÿcu* vel *güaÿcu*, *Premere* est, & *Üÿaÿcaud*, *Pressum*. Unde fit quòd etiam *Viminei cophini* genus agrestibus Anglis dicatur **Whisket.** De Celtico etiam *Üÿaÿcu* & Romanis *Vexare* dicitur.

BEGESSA: In Anonymo (de Græco Exemplari) legimus *Begesse*, atque etiam geminatâ scripturâ *Pexa*.

Videtur

Videtur hæc fuiſſe Arx quædam ubi hodie Parton eſt, ad Tuæſim ſcilicet amnem in finibus Valentiæ. Certè Britannis *Bêc*, *Bêg*, *Bîg* & *Pîg* pro quovis *Roſtro* eſt, etiam *Amnis prominentiâ*, quæ Anglorum etiam Linguâ Beche dicitur. *Eſſa* etiam atque *Iſſa*, *Iſca*, *Exa*, & *Ixa*, *Tractus aquæ* eſt, atque ipſa *Aqua*. Eſt igitur *Begeſſa* ſive *Pexa*, ſoluto ſermone *Pig eſſa* vel *exa*, quod eſt *Roſtrum undæ* ſive *fluminis*. Propugnaculum fuerat hoc Tuæſis urbis ſive Borgovici noſtræ.

BEL, & Deminutivâ formâ *Belin*, Celtis omnibus *Sol* fuerat, ſive *Apollo*. Gallis veteribus, ut patet ex Inſcriptione, *Abellio*, de Græco Ἀφηλιός. Verùm ratio hujus nominis altiùs repetenda eſt. Quicquid erat *rotundum*, præcipuè verò *Caput*, Veteribus vel *Bâl* erat, vel *Bêl*, vel etiam *Bôl*, & *Bül*. Etiam hodiernis Perſis *Pola* pro *Cranio* eſt; ut & Francobelgiis *Bolle* pro *Capite*. Græcorum Πόλος, *Vertex* eſt; & Πολεῖν, *Vertere*. Βῶλος etiam *Rotunda gleba* eſt, Angliſque Ball *Pila* eſt, quod Britannis *Bêl* dicitur. Scotobrigantibus etiam *Bhêl*, *Caput* eſt; quò ſpectat & Anglorum Bill pro *Avis roſtro*. Figuratè etiam Phrygibus & Thuriis Græcis Βάλλω erat *Rex*. Hinc & in Syriacis Dialectis Βαὰλ, Βῆλ, atque etiam Βῶλ *Dominus* eſt, & per hoc etiam *Deus* & *Sol*: quibuſdam Dialectis etiam Ἦλ & Ἶλ, unde Ἶλος, & Græcorum Ἥλιος, Ϝήλιος, & Βήλιος, imò etiam Celticâ Deminutione Ἕλενος, Ϝέλενος, & Βέλενος erant pro *Sole*; ut & Ἑλένη, Ϝελένη, & Βελένη pro *Lunâ*: Teutonibus etiam ſeu Celtoſcythis idem ſonant Hol & Heil, unde Adjectivum Holig vel Heilig, pro *Divino* vel *Sancto*: & mutatâ aſpiratione in Præpoſitivum *S*, fit Romanis etiam ſuum *Sol*. Britanni noſtri & *Houl* & *Haul*, *Solem* appellare ſolent, Aremoricique *Heol*: Gothi antiqui etiam Ull. Verùm tu audi Servium ad Æneida Virgilii: "Apud Aſſyrios (inquit) *Bêl* dicitur quâdam ſacrorum ratione & *Saturnus*, & *Sol*." Atque iterum: "Omnes in illis partibus *Solem* colunt,

qui ipſorum Linguâ *Hel* dicitur. Quin & Damaſcio apud Photium Ἦλ, & Βῆλ pro *Saturno* veniunt promiſcuè. Et cùm *Sol* ſit habitus pro Κρόνῳ, ſive *Saturni*, ſive *Cœli Filio* (qui ob eam rem & Κόρος, & *Liber* audit) hinc factum eſſe exiſtimo, quòd Latinum *Filius* dicatur de Græco Ἥλιος. Ita enim Ὀνειροκρίτης noſter Artemidorus: Ἡλίῳ δὴ καὶ τὰ ἀρσενικὰ τέκνα οἱ γονεῖς ὑποκοριζόμενοι καλοῦσι. Verùm ut ad me redeam, memoria hujus *Beli* ad hunc uſque diem eſt apud Ebudas; ut nuperrimè oſtendit Martinus harum Inſularum diligentiſſimus Deſcriptor. Nam & populare dictum eſt de his qui magnis verſantur in anguſtiis, *Eſſe eos inter geminos ignes Beli.* Quin & Angloſaxonibus noſtris Bæl-þȳþ dicebatur *Rogus.* Quid quòd *Romanis* dicatur *Vulcanus* de Celtico (ut videtur) *Bol can*, quod eſt *Bêl candens*, quod & Syri dicerent בל קנא *Bel canna?* Poſſit & hinc Aremoricis *Sacerdos* dici *Belec*, tanquam *Belicus.* Verùm ſuper tali materiâ ſatis ſuperque dictum eſt.

BELANIUM: Vide in BLATUM BULGIUM.

BELATUCADRUS, Brigantum Deus, cujus plurimæ apud Camdenum meminêre Inſcriptiones, dictus videtur ſoluto ſermone, *Bel at u cadr*, quod eſt, *Belus ad arcem montis.* Quippe Britannis *Munita arx montis*, *Cadr* dicitur, cùm *Câd*, *Cuſtodia* ſit; uti etiam Græcis Κᾶδος, Spartanorum antiquâ Dialecto Κᾶδος, veteribus Gallis *Cator*, ut in *Catoriſſium*, unde & *Carthuſianis* nomen inditum eſt. De montibus etiam Veteres inclamabant Deos, quo leviori negotio exaudirent precantes. Iſtud Numen erat etiam pro *Marte*, uti & *Sol* Græcis: unde & *Bellum* Britannis *Rhy Vel*, tanquam Ὀρυγμὸς Βῆλος, ſeu *Rugitus Martis* appellatur.

BELERIUM: Diodoro Siculo & Ptolemæi Libris alterâ dicitur Dialecto *Bolerium.* Iſto venit nomine Promontorium illud, quod alias *Antiveſtrium* appellatum eſt, quaſi dicas *Bêl*, vel *Bôl e rhin*, hoc eſt, *Caput Promontorii.* Græcis etiam Ῥίον idem eſt quod

quod Britannis *Rhyn* vel *Rhin*: quò referendum & Græcorum Ῥὶν, vel Ῥὶς, pro *Nare*. Pytheæ Massiliensi apud Strabonem dici videtur Κάλβιον, quod est quasi *Col üion*, vel *Punctum undarum*, sive *Oceani*. Volaterrano & Recentioribus etiam *Helenum* dictum fertur, tanquam de Britannico *Elin*, quod *Brachii cubitum* vel *Ulnam* sonat. Vide in ANTIVESTRIUM, & in BEL.

BELESCIUM: Ita enim proculdubio reponendum in Antonino pro vitioso *Blestium*, quò sit *Castell hên*, sive *Castellum vetus* ad fluviolum Eskel, qui in Durbim influit apud Silures, quà hodie Saxonicus est Conventus Herefordiensis. Erit autem soluto sermone *Bel esc iü*, *Caput tractûs fluminei*: ut sit & fluvioli nomen *Esca*. Videtur etiam *Elescium* aliquando vocatum; quasi dicatur *Ael esc*, sive *Supercilium aquæ*; unde & inversum fluviolo nomen *Esc ael*, & corruptè *Eskel*. In Vossiano Antonini MS. scribebatur *Blescium*, quod mecum facit.

BELGÆ, Græcis Scriptoribus Βέλγαι, & Οὐέλγαι, sicuti & Anonymo nostro *Üelgæ*. Gens erat hæc, ut ex Rhemis olim inaudiverat Cæsar, origine Germanica: Verùm à Cimbris, sive Saxonibus (qui & nobis Celtoscythæ appellantur) Camilli puto temporibus, in Galliam, Italiam, Hispaniam, nostramque etiam Britanniam, sui generis sive propagines, sive antiquas etiam colonias, tempestate bellorum acti sunt.. Nam *Galli Senones*, sive *Heneti*, de Germaniâ fuerunt, ut uno ore consentiunt Autores. Galliarum populi suâ Linguâ *Gallos* sive *Peregrinos*, appellavêre *Novos advenas*: Teutonum verò Dialecto *Wallisci* dicti sunt; quod quidem nomen *Frisonibus*, sive (uti Anonymo nostro vocantur) *Frigonibus*, seu *Frixis*, Phrygum sive Φρυγῶν in Germania Colonis, vel Ἀπογόνοις, ex eo tempore constanter adhæsit; cùm antehàc universa *Heneta gens* per totam Europam communi *Brigantum* nomine insignita fuerit. Australem autem Britanniæ partem fuisse jam olim à *Belgis*

occupatam, Cæſar in Commentariis ſuis ſatis idoneis argumentis confirmavit. Quâ de re nos plura in voce BRITANNIA dicturi ſumus. Crediderim tamen Ptolemæi ævo recentiorem *Belgarum* Coloniam Cæſaris Segontiacos occupâſſe; tam quòd nulla ſit apud Cæſarem *Belgarum* propriè dictorum mentio, quàm quòd *Vindoma*, *Moriventa*, ſive Seichester, vel *Urbs magna* (Antonino *Vindomi*, Nennioque *Murivintum* vitioſè appellata) *Segontiacorum* Caput olim fuerit; *Venta* verò *Belgarum* Textrina. Nam & in Notitiâ Imperii mentio fit *Procuratoris Gynæcei Ventenſis*, ſive *Bentenſis*: ita enim Vir magnus Jacobus Cujacius in Paratitlis ſuis ad Codicem emendavit, ut olim monuit noſter Camdenus, cùm antehàc legeretur *Cynægeum* nullo commodo ſenſu. Quin & in Devanâ Arâ legendum PRAESENS GUNAECEI PRIMI, quod hactenus latuit omnes. Nil opus admonere PRAESENS eſſe pro PRAESES. Appulſis igitur novis *Belgis*, univerſus *Auſtralis Antonæ Conventus*, exſtincto *Segontiacorum* veteri vocabulo, in *Regnos* (ſive potiùs *Rencos*) & *Belgas* diſpertitus eſt; uti nos poſthàc dicturi ſumus. Ptolemæi temporibus etiam *Ceangi* ſive *Somerſætæ*, *Belgarum* fuerant; nam & *Iſcalim*, & *Aquas Calidas*, *Belgarum* fecit. Erant autem *Belgæ* omnium Gallorum fortiſſimi, prodente ipſo Cæſare, qui novit. Quod & confirmat Strabo Libro IV. his verbis: Τούτων δὲ τοὺς Βέλλας ὁρίζουσι φασὶν, εἰς πενταεκαίδεκα ἔθνη διηρημένους, τὰ μεταξὺ Ῥήνου καὶ Λείγηρος παροικοῦντας.

BELISAMA in Ptolemæi Tabulis Ἐκβολὴ eſt ſive Æſtuarium fluvii Ribel; quod quidem nomen idem ſonat quod & *Beliſama*. Siquidem de *Bêl*, *Caput*, & *Rhiü*, *Fluvius*, quod & Saxonibus eſt Rige, fit *Ribel*: & *Beliſama* eſt quaſi *Bel is ama*, quod eſt *Amnis caput*, vel *Oſtium*. Eſſe autem *Am*, *Sam*, & *Tam*, idem quod *Av*, antiquiore loquelâ Linguæ Celticæ, & *Samara* in *Belgis* hodie *La Sambre*, & *Tamarus* in Dumnoniis, ſicuti & *Tameſa* in Trinoü-

antibus indicio ſunt. Quid enim *Sâm arav* & *Tâm arav*, niſi *Lentus amnis?* Quid etiam aliud eſt ipſa vox *Amnis*, niſi Celticum *Amon iſc*, ſive *Aquarum Tractus*, vel *Agmen?* Eſt autem Æſtuarium iſtud in eâ parte Segantiorum, ſive Brigantum Segontiacorum, quæ hodie Ducatu conſtat Lancaſtriæ. Erat & *Beliſama* Deæ nomen. Vide in RIGODUNUM, & in MINERVÆ.

BELOX, Ravennati noſtro *Velox*, videtur dici Æſtuarium *Iſcalis* fluvii, in Dumnoniorum Ceangis: Eſt enim *Bel Ox*, *Caput* vel *Oſtium Oxæ* fluminis. Vide in ISCALIS. Poſſit & σιωωνύμως dici hoc nomine *Mentaris*, ſive *Oſcæ Oſtium*, adeóque vel ipſa *Antiqua Lenna*.

BENNONIS (ſive etiam ſequiori ſcripturâ *Vennonis*) Antonini Itinerario memorata, videtur olim fuiſſe princeps Urbs eorum Icenorum, qui Ptolemæo mendoſè *Coritaui*, & Camdeno de Latino Interprete *Coritani*, pro *Corigaunis*, vel *Coricenis*, appellati ſunt; hodie verò *Leirceſtrenſes*, de Romanorum caſtris olim ad *Ligerim* amnem poſitis. Quam quidem emendationem firmat vernaculum *Bennonis* nomen. Sunt enim *Corigauni*, quaſi quis dicat *Minores Iceni*; & **Cleychester** quaſi *Minorum urbs*. Siquidem Armeniis (quos Herodotus Phrygum dicit Ἀποίκους, ſive Colonos, quoſque in ſermone etiam τὰ πολλὰ φρυγίζειν affirmat) *Lai* pro *Parvulo* eſt; Britannis etiam noſtris *Llai*, *Minor* eſt, ut & Francobelgis **Kleyn**, *Parvulus:* quò ſpectat & Scotobrigantum **Clann** pro *Liberis*, Romanorumque *Clientes*. Fuiſſe autem *Bennonim* inclyti Praſutagi Sedem, adeóque totius Secundæ Britanniæ ſeu Geüicciæ Caput vel hinc conjiciatur, quòd & *Ben onis* Dialecto (ut videtur) loci *Caput Inſulæ* ſonet, & quòd ad hunc uſque diem perduret fama, Urbem hanc fuiſſe olim Senatu nobilem, atque imperio potentem; quod & Camdenus memorat.

BENUTIUM, apud Anonymum ſequiori ſcripturâ, & ſexto caſu *Venutio* dicitur, hodiéque vitioſo (ut puto) Scotoſaxonico vocabulo **Kirkowbright**; & eſt ad Oſtium Devæ fluminis in Selgovis. Veteres Britanni forſan dixerint *Caer giü aber rit*, quod eſt *Arx trajectûs fluminei Æſtuarii*. Quin & ipſum *Benutium* videtur Britannicâ Linguâ ſolutè ſcriptum *Ben y tiü*, quod eſt *Caput Devæ*, ſive *Oſtium aquæ*. Sive enim *Giü*, ſive *Diü*, ſive etiam *Tiü* dixeris, tantundem fuerit. De Præpoſitivis Literis aliàs dicturi ſumus.

BEREDA: Vide in VEREDA.

BERIGONIUM: Ita enim in vetuſto Ptolemæi Codice reperit magnus Camdenus, pro eo quod vulgò vitioſè legitur & nullo cum Etymo *Rerigonium*: Atque hoc putat dictum hodie **Bargeny**; & eſt in Noüantarum, ſive Gallovidiorum Regiunculâ **Carrick**, de Britannico *Carrec* (quod *Saxum* eſt atque *Arx*) ita appellatâ. Atque videtur hoc vetuſtum fuiſſe Oppidum, & Sinus *Frigonum*, ſive *Berigonum*, veterum ſcilicet Iberniæ *Brigantum*, illinc in Britanniam remigrantium; unde & *Noüantæ*, tanquam *Novi advenæ* Britannis appellati ſunt. Vide in BRIGANTES & in NOUANTÆ.

BERNICII apud Bedam idem ſonant quod *Otodini*. Ut enim hoc ab *Ot o dineu*, ſive *Litore montium*; ita illud etiam à *Berniou*, vel *Brinniou*, ſive *Collibus*, eſt. Britannis etiam hodie *Tranſtinnani* dicuntur *Bryneich*. Sunt autem & *Rhinn* & *Brinn* de Græco Ῥίον, quod quidem Pelaſgicâ ſcripturâ foret Βεῖον, ſive Ϝεῖον· omnia de Ῥὶν, quod *Naris* eſt. Aremoricis etiam hodie *Bern* eſt pro *Brinn*, eodem ſignificatu. Fuiſſe autem *Berniciis* ſuos Regulos etiam Saxonum temporibus oſtendit Stephanus Heddius, Bedæ coævus, in Vitâ Wilfridi Epiſcopi.

BIBRA: Ita enim apud Anonymum legendum, pro eo quod in Impreſſo eſt *Bribra*, nullo planè cum Etymo. Videtur hæc fuiſſe quod vernaculè dicitur

Fether-

Fetherstonhaugh, sive *Arx Bibrana* (vitiosè puto pro **Beverston**) ad *Australem Tinnam*, in finibus Otodinorum. Certè *Fibri* dicebantur Celtis *Bebri*; unde & *Bebrinæ pelles* apud veterem Juvenalis Interpretem. Forsan & urbs **Beverley** huic loco erat cognominis, tanquam *Bebrinus Campus*, vel *Bibromagus*. Vide plura in voce sequente.

BIBROCI apud Cæsarem gens Belgica est, quæ de Galliâ, cum pluribus aliis, huc transfretavit, & *Bibrocensi Pago* (Saxonibus corruptè Beppocrcipe, hodieque **Berkshire**) nomen dedit. Oppidum **Bray** (sive *Bibrax*, vel *Bibracte* illud fuerat; nam utrumque apud Gallos est) antiquam appellationem adhuc repræsentat. Apud Tacitum legimus & *Bebriacum* fuisse in Cisalpinâ dictâ Galliâ, inter Cremonam atque Veronam, quod à *Fibris* sive *Bebris* nomen habuisse vetusta Juvenalis Scholia indicio sunt. Equidem crediderim *Bibrocos* nostros Coloniam fuisse è Remis deductam, quòd *Bibrax* apud Cæsarem Remorum sit Oppidum sicuti & *Bibracte* Æduorum.

BINOVIUM: Vide VINOVIUM.

BIRGUS, nomen insignis Fluminis est in Brigantibus Iberniæ, à Ptolemæo memorati, quod hodie dicitur **Barrow**. Linguâ Scotobriganticâ *Fergus* dicitur *Ibernicus*, de *Brigante*, Britanno Colono. Vide in BRIGANTES.

BIRINAS: Ita enim legendum in Ravennate, pro eo quod in Libro est *Birila*, & casu sexto. Modò Græcis scribatur Literis, parùm intererit inter *Birinas* & *Birilas*. Hodie Insula **Barrey** est, de numero Ebudarum. Est autem *Bir inas* soluto sermone *Brevis insula*. Quod incolæ crepant de nescio quo Sanctulo *Barro*, minus nihilo est.

BLATUM BULGIUM, quod apud Antoninum ad finem Valli est occidentalem in Litore Cumbriæ, corruptè hodie dicitur **Bulnesse**, quod est *Bulgii* Νῆσος sive *Promontorium*. Britanni solutè scriberent *Bel at an Bülg iü*, hoc est, *Caput ad ventrem* vel *sinum*

undæ.

undæ. Nam & Celtis *Bulga*, *Sacculus* eſt *ſcorteus*; Græcis etiam Μολγός. Britannis autem idem dicitur *Balog*, quod Saxonibus Bælge; unde Vernaculâ Anglorum **Bag**, atque etiam **Bay**, & **Belly**, & Romanorum etiam *Follis*; quæ omnia ad *Bel* vel *Bol* referenda ſunt; quæ, ut ſuprà dictum eſt, cujuſvis *Rotunditatis comprehenſionem* ſignificat. Apud Anonymum noſtrum *Blatum bulgium* duplici venit nomine: nam & *Velunia* corruptè ſcribitur pro *Belanium*, vel etiam *Velanium*, quaſi dicas *Bel an iü*, vel *Caput undæ*; atque etiam *Volitanio* pro *Bolatanium*, ſive *Volatanium*, quæ quis ſolutè ſcribat *Bol* ſive *Vol at an iü*, quod *Caput* eſt *ad undam.* Vide in IBELANIUM.

BODERIA: Ptolemæo Βοδερία. Vide in ſequenti.

BODOTRIA Tacito dicitur quod Eulogio eſt *Mor Werydh*, vel *Vergid*, quod eſt *Mare Vergivium*, *Briganticum*, *Friſicum* vel *Scythicum.* Vulgus vitioſâ correptione **Frith** appellat, & Maiatas ad Alata Caſtra à Victurionibus dividit. Ptolemæo eodem intellectu *Boderia* dicitur. Quid enim *Bodotria* niſi *Habitaculum demerſum*; cùm ſit de *Bodhi*, *Demergere*, & *Tre* vel *Tri*, *Habitatio?* Quid etiam *Boderia* niſi *Demerſa Terra*, cùm *Er* ſit *Terra* Veteribus? Equidem crediderim pleroſque ejuſmodi Sinus aquarum illuviei deberi.

BODUNNI: Ita enim Dioni dicuntur *Dobuni*, cum *Bodo* vel *Bodun*, autore Plinio, Gallis *Profundum* ſonet, quod Græcorum Βόθυνος & Βόθρος ſatis confirmant. Valle ſanè conſtat maxima Glevanorum portio. Vide plura in DOBUNI. *Bodincomagus*, quæ & *Induſtria*, & modò *Caſale*, huc nomen refert. Hæc urbs eſt in Gallis Ciſalpinis.

BOGRANDIUM: Vide in BROGRANDIUM.

BOLERIUM: Vide in BELERIUM.

BOLNELAUNIUM: Nam quis dubitet ita ſcribendum in Ravennate, pro eo quod in Libro eſt, caſu

casu etiam sexto, *Bolvelaunio?* Ut sit *Bol ne laün iü*, quod est *Caput* vel etiam *Sinus plenæ undæ*. Hodie curtato nomine Pool dicitur: & est in *Durotrigibus* satis vetustum oppidum.

BONIUM apud Antoninum, Saxonum Bancopnabýpiz est, & Anglorum antiquum Bangor, vetustissimi Monasterii Locus, ad amnem Devam in Venedotiæ finibus. *Bovium*, quod in nonnullis libris reperitur, alius est Loci. Videtur autem *Bonium* fuisse dictum quasi *Bon iü*, quod est *Altus amnis:* nam Britannis *Ban* & *Bon* promiscuè dicuntur, sicuti & Anglosaxonibus Man & Mon, pro *Homine*. Quin etiam *Ban Cor* correptè dici videtur pro *Boniensi Choro*, vel *Ecclesiâ*, seu *Monasterio*. De tantâ urbe nihil hodie restat præter duarum Portarum nomina, à se invicem ad duo millia passuum distantium; *Porth Cleis* scilicet, & *Porth Üogan*; quod apud Camdenum legere est. Dirutâ jam urbe, nominatæ videntur istæ Portæ. Quid enim *Porth Cleis* nisi *Porta quassata*, & *Porth Üogan* nisi *Porta valida?* De *Cleis mab Mervin* (sive *Mervini* Montis *filio Cleis*) quæ referunt Britannorum Næniæ, inter somnia censenda sunt. Gallorum *Bononia* eodem penè est Etymo; quasi dicas *Bon avon*, sive *Bon aün*.

BOREUM PROMONTORIUM, cujus Ptolemæus meminit apud Ibernos, satis probabili ratione Camdeno videtur illud esse, quod nobis hodie dicitur *Sanctæ Helenæ*, cùm sit maximè ad Ventum *Boream*, uti alterum, Notium scilicet, ad Austrum.

BURGOVICUS, ita dictus de Borg, quod Teutonicum *Arcis* nomen est (de Græco Πύργος, & Πέργα Phrygum) & *üic*, quod in eâdem Linguâ *Fluvii sinus* est. Hujus loci meminit Liber Notitiæ, & hodie Borwick est, non longè à Ponte Ælii in Otodinis ultra Vallum, ad flumen de Ponte vulgò Pontem appellatum. Germanorum jampridem hîc fuêrunt Coloniæ, saltem veteranorum militum; quod & *Medioborgi* nomen in Deiris, ad Tuæsis ostium ostendit:

nam

nam Etymo indicio ſunt. In hâc autem arce Romanorum tempore *Tribunus* erat *Cohortis primæ Tungrorum*, juxta Notitiam.

BOTIS apud Anonymum Ravennatem, Inſula eſt in Clotano ſinu, hodie dicta **Buthe**, à *Demergendo*, ſicuti & *Bodotria* ſuperiús. Uſque adeò nihil eſt quod de Sancti Brendani *Buthe*, ſive *Monaſticâ cellulâ*, vulgò crepant ſuperſtitioſuli.

BOVIUM apud Antoninum (etiam vitioſè ſcriptum *Bomium* atque *Bonium*) nomen dedit oppidulo **Boverton** in Morganticâ Silurum Regione, juxta quod & Sancti Iltuti Fanum eſt; quo in loco Camdenus noſter plurima antiquæ Urbis veſtigia reperit. Et cum Britannis dicantur *Vaccæ*, *Beu*, quis dubitet in hoc loco *Pecuarium* fuiſſe *vaccarum?* Certè vel ipſa vox **Boverton** videtur eſſe de *Bugarth* vel *Buarth*, *Bovili*, ibridâ compoſitione. Vide in MIBA. Erat & antiquâ Elide Βοπρόσιον.

BRAGA, ſive malles *Brachia*, Antonino Græco caſu *Brage* dicitur. Hæc Camdeno mecum oppidum **Broughton** eſt ad fluviolum **Wellop** ſive *Guellop*, ſeu *Volubilem*, qui in Belgarum Trauſantonem influit. Poſſit dici *Braga* ſive *Brachia*, quaſi *Braich iü*, vel *Brachium undæ* ſive *amnis*. Ipſum **Broughton** ibridâ dicitur compoſitione quaſi *Braich iü tun*, *Oppidum* ſcilicet *ad brachium amnis*.

BRACHIUM: Arx iſta erat *Sextæ Cohortis Norviorum*; quod oſtendit Camdenus ex veteri Lapide in Deiris effoſſo; & in eâ parte Septentrionalis Brigantum Triarchiæ, quæ hodie (de neſcio cujus *Ægmundi* Regnulo) **Richmondſhire**, correptè pro Ric Ægmund ſcire, appellatur. Locus eſt in colle quodam de Romano *Burgo* ſeu Caſtello hodie **Burgh** appellato, juxta **Bainthrigge** ad confluentiam fluviorum **Bain** atque *Eburæ*. Videri poſſit fuiſſe & fluviolum, qui hodie de *Ponte* dicitur **Bain**, vero nomine vocatum *Brachium* ſive *Braich iü*, *Brachium* ſcilicet *undæ* ſive *amnis*: unde & tractum Brigantico illi

Caſtello

Castello nomen. Fuerat forsan & alterum *Brachium* sive *Brachioleuca*, ubi hodie oppidum **Brakeley** in septentrionali Antonianâ, & Oxæ fontes.

BRACIACA in Camdeni Inscriptione *Mars* est; quasi dicas hodiernâ Britannorum scripturâ *Braichiaüc*, sive *Brachiosus*, & per hoc *Prævalidus*. Formâ hic erat forsan giganteâ, cum *Brachiis* plurimis, quod in medio relinquimus.

BRANAVIS, apud Anonymum levi vitio scribitur *Brinavis*. Saxonum hæc erat urbs Beɒan-býɒiʒ, hodie correptiùs **Banbury**, in Attrebatibus sive Conventu Oxoniensi. Dici autem planè videtur quasi *Bran a üisc*, sive *Frons amnis*. Nam & *Bran* & *Bron* pro ratione Dialectorum Britannis diceretur quælibet *Anterior pars*. Est etiam Saxonicum loci nomen ibridâ prolatione deformatum. Neque sanè aliunde Latinum *Frons* quàm de Celtico *Bron*.

BRANDON apud Anonymum etiam hodie eodem videtur venire nomine; & est ad *Bramiscam* amnem (quæ Britannis dicitur *Putida aqua*) in Otodinorum Regione. Atque hoc quidem pleniùs proferretur antiquâ linguâ *Bram iü don*, quod est *Arx* vel *Oppidum ad putidam amnem*. In edito Ravennate vitiosè scribitur *Biandon*. Vide in LUBDON.

BRANNODUNUM, cujus meminit Imperii Notitia, in litore fuerat Icenimagnorum, quà hodie Nordofolciæ Conventus est: & nunc pro *Brannodunum*, eodem planè intellectu **Brancaster** sive *Brannodunum urbs*, appellatur. *Bran na üog dun*, *Arx* est *ad frontem undæ* sive *maris*, si Britannorum solutis verbis scribatur. Hîc erat, secundùm Notitiæ Librum, *Præpositus Equitum Dalmatarum* sub Comite Limitis Saxonici.

BRANNOGENIUM, Ptolemæi Βραννογένιον, & Anonymi *Branogenium*, Antonino pessimè scribitur *Bravonium* (neque enim diversus fuisse videtur locus, quòd non videatur præteritum ab Antonino primæ notæ Oppidum) cùm sit Ordüicum Caput, *Caer*

Ürangon

ürangon; quod quidem ſolutè ſcriptum efficiet *Caer üyr ehangon*, quod eſt, *Civitas liberorum hominum*. De voce *üyr* fit noſtrum **Worceſter**, hoc eſt, *Virorum Civitas*, ſive *Caſtra*. Latinizantium verò *Wigornia* de Saxonico Pigpapan eſt, quod *Viros Wiccios* vel *Icenos* ſonat. Verùm ſuper hâc materiâ vide plura in ORDUICES.

BREMENIUM apud Ptolemæum & Antoninum, ultimus à Vallo Limes eſt; quod quidem **Rocheſter** eſſe in editâ rupe, ad caput ferè fluminis **Read**, Camdenus ex veteri Arâ manifeſtiſſimè probavit, ut mirum videatur huic contradicere potuiſſe eruditiſſimum Gibſonem, qui nuper in Britanniam ejus commentatus eſt. De *Trajectu* iſtius fluminis **Rocheſter** appellatur, quaſi *Rot-cheſter*; nam & *Rot* & *Rit* Britannorum Dialectis idem ſonant. Quin & ipſe fluvius **Read** de *Trajectu* iſto nomen ſuum ſortitus eſt. *Bremenium* autem dici videtur quaſi *Bre man iü*, ſive *Arx collina ad amnem*; nam & *Bre*, *Arx montis* eſt, & *Man*, *Locus*. Videtur & alterum fuiſſe *Bremenium* in Ordüicum finibus, ubi hodie celeberrimum oppidum **Birmingham**.

BRENNA apud Geographum Ravennatem (Vaticano MS. *Bremia*) hodierna *Brynbiga* eſt in Morganticâ Silurum Regione, ad *Byrdhin* amnem ſita. Antonino corruptè ſcribitur *Burrium* pro *Burnium* vel *Brunnium*, uti ego exiſtimo. Ut ſit idem *Brun* quod *Bryn*; ut & Caledonibus *Brun Alban*, hodie vitioſè **Braid Alban**, idem ſonat quod *Albaniæ collis*. Neque ſanè aliud videtur flumen *Byrdhin*, quàm *Burnii* vel *Brunnii* urbis flumen. Sic & *Bernicii* dicuntur *Otodini* apud Bedam pro *Brenicii*, qui & Britannis vocantur *Bryneich*. Apud Anonymum etiam *Princaſtellum* legitur in Belgis vitioſè pro *Brincaſtellum*, quod hodie **Bern caſtel** eſt ad Moſellam. Eſt & in Vaſconibus, & in Helvetiis, nomen *Bernæ* ſatis celebre. Credibile eſt & urbem hodie dictam *Montes*, & *Bergen*, apud Belgas, olim appellatam fuiſſe *Brennas*.

BRENNE-

BRENNETONACIS VETERANORUM: In Antonino vitiosè scribitur *Bremetonacis*, in Anonymo monstrosè sexto etiam casu, *Bresnetenati* (in Vaticano MS. *Bresnetenaci*) *Veteranorum*, & in Libro Notitiæ *Bremetenræcum*, adhuc inquinatiùs; ubi *Cuneus Armaturarum* sive *Armigerorum Equitum*, qui Græcis dicuntur Ὁπλῖται. Arx hæc erat in Segantiis sive in Segontiacis Brigantum, & de edito loco hodie vocatur **Overborough**, sive *Superna Arx* (vel *Burgus*) juxta *Tonacim*, vel Durolanim amnem sita. Est autem *Brennetonacis* solutè scriptum, *Bren ne ton ax*, sive *Collis tenti amnis*. Hodie *Lan*, *Lon*, vel *Lun* dicitur hic amnis, corruptè omnia pro *Laün* vel *Len*, *Plenus*: unde & Urbi **Lancaster** nomen. Vide in DUROLANIS, & in LUGANDIUM.

BRENNUS Celtarum sermone *Rex* dicitur, quasi *Supremus*, de *Bre* scilicet sive *Bri*, quod veteri Britanniæ tam *Locus editus* est, quàm figuratè etiam *Summus Honos*, *Libertas* & Ἐξουσία. Hinc & Celtoscythicâ Saxonum Dialecto *Brego* dicitur *Princeps*: Anglis etiam hodiernis **Free**, *Liber* est, Francobelgisque **Vrii**. Hodiernis Britannis *Rex* dicitur *Brenin*, & vetustiori etiam loquelâ *Breyenin*. Equidem existimaverim veteribus temporibus, quibus plures imperitabant Reguli, *Breon* populi venisse sermone eodem modo quo & apud Hebræos אלהים *Elohim* numero multitudinis, etiam pro *uno DEO*, quòd antiquo vulgo fuerint Dii plures: postero verò tempore effictum fuisse singulare nomen *Brenin*, vel *Breonin*, adjectâ terminatione *in* usitatâ formâ, quæ *unitatem* significat; quomodò exempli gratiâ, de *Gürâidh*, *Radicibus*, *unam radicem* dicimus *Güreidhin*. Ad Græcorum Τύραννον accedit alterum *Regis* nomen *Teyrn*; unde & *Teyrnas* pro *Regno*, quasi Τυραννίς. *Turnacum* etiam veteribus Belgis dicebatur *Arx* **Tournay**, tanquam *Regia*. Huc etiam referenda videntur Romana nomina *Turnus* & *Saturnus*, apposito Celtico Articulo *Sa*; ut sit idem *Saturnus* quod *Moloch* sive *Rex*.

BRI-

BRIGANTES, commune Britannorum, imò & omnium Gallorum, nomen, ante appulſum Belgarum è Germaniâ. Verùm altiùs repetenda eſt hujus nominis origo. Atque ut univerſam rem quampauciſſimis expediam verbis, Gens *Heneta* ſive *Veneta* (quam & *Japeti genus* appello) antiquâ Phrygiâ atque Armeniâ orta (unde & humanum genus originem ducere credimus) in Thraciam trajecta, primis temporibus univerſam penè Europam occupavit. Dicti autem *Heneti*, quòd vetuſtâ Phrygum atque Armeniorum Linguâ, ut & noſtrâ Britannicâ hujus propagine, *Hên* pro *Antiquo* & *Vetuſto* ſit (undè & Græcis etiam ſuum Ἐν, & Latinis *Senex*) quod numero multitudinis prolatum facit *Heneit*, imò & *Henon* ſive *Senon*. Atque hi quidem *Heneti* jam in Thraciam tranſvecti, de regionis illius frigore Βέγες, Βρύγες, Ϝρύγες, & Φρύγες, & corruptè etiam (mutatâ ſcilicet Literâ Φ in Θ) Θρῆκες ſive Θρᾷκες appellati ſunt; noſtris etiam Dialectis *Brigantes*, *Frixi*, *Frigones*, *Friſones*, *Friſii*, *Briſones*, *Britones*, *Britanni*, *Ferguſon*, & *Vergivii*, ſeu *Uergydhon* & *Uerydhon*. Siquidem quòd Latinè dicimus *Frigus*, illud Pelaſgicè Ϝέγος erat, & Βέγος, cùm commune Græcum ſit Ῥίγος. Redeunte autem poſteris temporibus Coloniâ quâdam de Thraciâ in Aſiam, antiquam Patriam (quod & Strabo & Herodotus monuêre) *Phrygum* nomen etiam illuc tranſiit. Atque hinc quidem factum eſt quòd Gens *Phrygia* ſemper fuerit pro antiquiſſimâ habita. *Phrygas* autem, ſive malles *Thracas*, ad noſtrum mare olim pertendiſſe vel inde patet, quòd tametſi Herodoti ævo Iſter fluvius *Thracas* à Scythis, vel ſaltem à Celtoſcythis, diſterminaret; eodem tamen autore, *Thraces* pro maximâ poſt Indos gente habebantur. Θρῆκων δ' ἔθνος μέγιστόν ἐστι μετὰ Ἰνδὸς πάντων ἀνθρώπων. Tempore verò Furii Camilli, uti ſuperiùs diximus, factâ ingenti Cimbrorum ſive Saxonum in Germaniam de Palude Mæotide irruptione, *Heneti* (qui & alterâ Dialecto *Senones* appellati)

lati ſunt) partem ſeptentrionem verſus, undè *Venedi*, & *Vandali*; partim verò in Galliam, Hiſpaniam atque Italiam, duce Brenno; partim denique, uti probabile eſt, in noſtram Britanniam, jam olim gentis ſuæ Coloniam ſive propaginem, aufugêre. *Phrygicæ* autem Gallorum originis ſubobſcura fama etiam ad Ammiani Marcellini tempora perduravit. "Aiunt "enim quidam (inquit ille) paucos poſt excidium "Trojæ fugitantes Galliam tunc vacuam occupâſſe." "Dicuntur autem non tantùm *Vandali*, ſed & *Venedæ*, "& *Vendi*, & *Veneti*, & *Viniti*, & *Vinuli*, & *Slavi* "denique & *Vali*, ſicut apud Saxonem Grammati-"cum, Helmoldium, Æneam Sylvium, Crantzium, "Irenicum, Reineccium, Lazium, & complures alios "patet." Verba audis Suffridi Petri in Libello de Friſiorum Antiquitate & Origine, qui quidem & *Oſtüaliæ* & *Weſtüaliæ* nomina *Venedis* tribuit, oppidaque circa Albim fluvium ad hunc uſque diem **Wendeſche ſtedde**, ſive *Venedicas urbes* appellari oſtendit. Quid quod & Tacitus memoriæ prodat *Æſtios* ſive *Boruſſos*, Germanos moribus retuliſſe, ſermone verò Britannos? Appellentibus igitur in Britanniam ſuæ gentis hoſpitibus (quos Germani gentili quodam convicio **Belgiſchen** atque **Welſchen**, hoc eſt *Peregrinos*, appellabant, & Romani etiam Ὀυέλγας, atque *Belgas*) antiqui *Brigantes*, ut veriſimile videtur, ſuis ſedibus pulſi, novas quærebant ſedes in Iberniâ: undè & in illâ Inſulâ celebris *Brigantum* Natio, quam poſtea Dumnoniorum Belgarum Ceangi ſecuti ſunt; Ibernis Scotobrigantibus appellati *Fir Bolg*, ſive *Viri Belgæ*, & *Fir Domnan*, ſive *Viri Dumnonii*. Britannica verò *Brigantia*, propriè dicta, etiam olim in tres diviſa eſt Triarchias, quas hodie vitioſo nomine vocant **Ridings**, pro **Thriddings**. Harum *Primam* Segantii tenuêre, qui Ravennati dicuntur Siguntiaci, qui tandem à Saxone Victore verſus mare pulſi, Ducatum condidêre Lancaſtrenſem, qui videtur initio Præfectura quædam fuiſſe Cumbrorum ſive Aboriginum

Regni. *Secunda Triarchia*, ſive East-Thridding, ſeu *Orientalis Triarchia*, Pariſorum ſedes fuerat, ut & *Tertia* Deirorum, de quâ longè melior portio à Saxonum Regulis, S. Cuthberto & Monachis donata, Epiſcopatum efficit Dunelmenſem. In Weſtmoriâ ſive Occidentalibus Paludibus, fuêre *Brigantum* Æſtivi Ceangi (ſeu Paſtoritia Pubes) qui & ipſâ Saxonum ſævitiâ Caledoniam verſus pulſi, Cumbrorum Regnum condidêre. Atque hic quidem obiter notandum venit, *Brigantes* omnes, ſive primos Britannos, à *Belgarum* appulſu ſe *Cumbros* (qui quidem Cæſari ſunt Aborigines, quales viſi ſunt Veteribus nullâ fuiſſe origine) novo nomine appellâſſe. Nam de *Kend*, quod eſt *Caput*, atque etiam *Primum* & *Præcipiuum*, & *Bro*, quod *Patria* eſt, fit compoſita vox *Cumbro*, Oſtidamnicè veriùs *Kenbro*, ſive *Prior Patria*. Contrà verò Romanis *Picti* appellati ſunt: nam hi ſunt Eumenii *Picti*; ſicut & Noüantæ Iberni.

BRIGANTIUM: Vide in ISURIUM; neque enim *Eburacum* eſt, quod vulgò exiſtimatum eſt. De *Brigantibus* primâ omnium Celtarum appellatione Allobrogibus eſt urbs *Brigantium*, hodie *Briançon*; uti & Rhætis, hodie Bregentz, & Gallæcis in Hiſpaniâ, hodie *Braganza*: nam & Luſitanos ex parte magnâ Callaicæ ſive Celticæ fuiſſe originis conſtat ex Strabone. Erat & in Hiſpaniâ Tarraconenſi oppidum percelebre, *Flavium Brigantium*, hodie *Corunna*. Apud Pannonios etiam Ptolemæo vitioſè ſcribitur Βρεγαύτιον, pro eo quod debuit eſſe Βρεγάντιον: nam Aurelio Victori *Bergentium* dicitur. Nihil attinet dicere de *Brigantino Lacu*, hodie *Lago di Conſtanza*: ut ſit maxima poſt homines natos *Brigantum* Natio, univerſaque penè Europa *Britannorum* Patria, ut de Aſiâ taceam.

BRITANNI: Prodente Dionyſio Afro hi Germanis proximi Flandriam, ſive Wallonum Patriam occupavêre. Dionyſii Interpres Euſtathius & alios eſſe

ſcribit

ſcribit in adverſâ Inſulâ *Britannos*, quos quidem fuiſſe *Belgas* veteres, ſive *Wallones* (corruptè hodie **Vlaenderen**, pro *Walanwaran* ſive *Gallos Viros*) nullus dubito. Et cùm Plinius ſcribat *Herbam Britannicam* à *Friſiis* Germanici militibus oſtenſam, pronum eſt credere ipſos *Friſios* dictos fuiſſe *Britannos*, imò & initio *Belgas* univerſos. Certè *Aremoricis Britannis* horum ἀπογόνοις, *Breiz* eorum dicitur *Britannia*; & *Prezec Brizonec*, *Aremoricè loqui* eſt. Cumbris etiam noſtris ſeu Walliſcis, *Siarad Brithonec* proverbiali dicto eſt, pro *Barbarè* vel *Oſcè loqui*. Unde proclive eſt credere, neque *Cumbros* noſtros unquam ſe vocâſſe ſuâ linguâ *Britones*, ſed initio quidem *Brigantes* ſeu *Vergivios*, & deinde *Cumbros* ſive Αὐλόχθονας. Etſi diſſimulandum non ſit tantundem eſſe, ſive quis dicat *Friſones*, *Briſones*, *Britones*, ſive *Brigantes*, pro Dialectorum ſcilicet diverſitate. Etiam Ravennati Geographo *Friſones* dicuntur *Frixi* & *Frigones*, quod idem ſonat quod & *Brigantes*. Quid quod & Procopio in Libro de Bello Gothico *Friſii* dicantur unà cum Anglis Britanniam noſtram incolere? Plinius etiam *Belgicorum Britannorum* meminit: imò vel Anonymo Ravennati Galliæ Belgicæ, ſive Franciæ Rhinenſis Incolæ *Alobrites* tanquàm *Gallobritones* appellantur. Verùm ſuper hâc materiâ ſatis ſuprà dictum eſt.

BRITANNIA prioribus Romanis *Prima* fuerat, quæ Cantiacis, Cattieuchlanis, Belgis propriè dictis, ſive Segontiacis atque Dumnoniis conſtabat, unà cum horum Clientelis, omnibus Belgicæ originis. Saxonum verò temporibus hæc erant Cantii, & Orientalis, Auſtralis & Occidentalis Saxoniæ Regna, unà cum Oſtidamniæ Ducatu, Britonum proprio. *Britannia* deinde *Secunda*, quæ initio videtur fuiſſe Belgarum quædam Præfectura & Provincia; atque poſtero tempore, ſumptis pro patriâ Libertate armis, in Belgas Dominos rebellâſſe, & Icenorum Regnum condidiſſe. Credideram hanc Provinciam Pauſaniæ

dictam fuiſſe *Geüicciam:* quid enim Γενγνία, quod hodie eſt in Libris? Conſtabat autem prioribus temporibus *Geüicciorum*, ſive *Üigantum*, ſive etiam *Icenorum* Imperium, Ikeneldis, ſive Icenis majoribus, Lindanæ ſcilicet Coloniæ Pago, unà cum horum Clientelis (Icenimagnis ſcilicet, & Borealibus Girviis) & Icenis etiam Minoribus, ſive Coricenis, vel Corigaunis, Ordüicibus, Dobunis, Siluribus, Demetis, Cornaviis, horumque utriſque Canganis. Saxonicis temporibus *Geuiccia* ceſſit Walliſcis, Merciis, & Orientalibus Anglis. Præcipuum inter hæc erat Merciæ Regnum, cui nomen datum non eſt, quod vulgò fertur, de Walliæ limitibus, verùm de antiquis Limitibus Brigantum atque Belgarum, qui *Britanniam Primam* obſedêre. Hos autem Limites vel nuda camporum facies ſatis oſtendit fuiſſe antiquitùs ad Borealem Antonianam. Nam notum eſt Veteres, ſuccenſis non tantùm oppidis, verùm etiam ſylvis, hoſtium fines latè vaſtaviſſe, juxta notiſſimum illud Hiſtorici, "Ubi ſolitudinem fecêre, pacem "vocant." De veteribus Germanis ita Cæſar: "Ci-"vitatibus maxima laus eſt quàm latiſſimas circum "ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere: hoc proprium "virtutis exiſtimant, expulſos agris finitimos cedere, "neque quenquam prope ſe audere conſiſtere." Fuerat igitur *Icenia* initio Marchia quædam Belgarum, & poſtero tempore potentiſſimum Britannorum Regnum. *Tertia Britannia* Brigantia fuerat; quam alii de Maximo Clemente Tyranno *Maximam Cæſarienſem* appellatam volunt; alii à Conſtantino Magno: verùm cùm Tacitus *Brigantes maximam Britannorum nationem* dicat (quod hercle vel hodie cernere eſt) equidem ob eam rem *Maximam* dictam exiſtimaverim hanc Provinciam. In Brigantum etiam Clientelâ fuerant & Ceangi, & Otodini ſive Bernicii, imò & Caledonia tota, quæ Brigantici erat ſanguinis. Hadriani vallum dividebat Brigantiam à ſuis Clientelis. Certè Saxonicis temporibus Nordanhumbrorum

humbrorum Regnum etiam pertendebat in Pictos ad Æthelredi necem. Erat autem Bernicia Nordanhumbrici Regni ferè Caput. Maximè enim hæc arridebat Regibus tam ob Valli reliquias, quàm ob innumeras Arces atque Castella à Romanis, frænandis Brigantibus atque Caledonibus communita. Erant etiam Britannis sua Regnula, quæ tamen maximâ ex parte parebant Saxoni: quorum præcipua erant Attacottorum, Cumbrorum, Dumnoniorum, atque Pictorum: Erant & Satrapiæ quædam Bernicìorum, Galloüidiorum sive Noüantarum, & Scotorum. Constantini tandem tempore, redactis jam in Romanorum potestatem Attacottis sive Walliscis, & Pictis horum sociis, qui ope Saxonum & Scotorum universam Insulam subegêre, & *Quarta Britannia* erecta est de sylvestri parte *Secundæ*; & de Flavio Constantino *Flavia Cæsariensis* appellata est: atque hæc quidem *Wallia* est, Archiepiscopali sede olim decorata. His adjecta est & *Quinta*, quæ de Valentiniani Imperatoris nomine dicta est *Valentia*, quæque totâ constabat Caledoniâ. Danicorum verò bellorum tempestate *Valentiam* rapuêre Scoti, & de suo nomine dixêre *Scotiam*. Nostrâ tandem tempestate ANNÆ Reginæ Providentiâ & hæc civitate olim suâ redonata est.

BRITANNIA IN PALUDIBUS Anonymo nostro dicitur *Britannia Transmarina*, sive *La Basse Bretagne*. Vide in AREMORICI & in NEUSTRIA.

BRITOMARUS, apud Florum atque Livium Gallorum Insubrium Dux, videtur vel ex nomine de Britanniâ nostrâ (vel saltem Belgicâ) accersitus. Castrense viro nomen *Brito maür*, Gallorum linguâ *Brito magnus* fuerat.

BROCARA apud Anonymum videtur dici Stincar sive Ard Stincar in Noüantis sive Gallovidiis, quasi dicas *Arx in Rupe*: quæ quidem *Rupes* & nomen dedisse videtur Dynastiæ dictæ Carrict. Nam & *Caer* & *Carrec*, *Rupes* est sive *Saxum*, & *Bro*, *Arx*

vel *Burgus*. Et quid **Stincar** eſt, niſi *Es din caer*, ſive *Arx* vel *Oppidum in Rupe?* *Ardh* etiam pro *Excelſo* eſt, Britannorum priſco ſermone.

BROCOLITIA: In Libro Notitiæ malè ſcribitur *Procolitia*, Ravennati alio vitio *Brocoliti*, tanquam *Arx Coliton* ſive *Colidiorum* vel *Caledonum*. Nam & Otodinia olim fuerat *Caledonum*, utpote in Clientelâ potentiſſimi Brigantum populi. Ad Tinnam amnem eſt hoc validiſſimum munimentum, in quo ſecundum Librum Notitiæ *Tribunus* erat *Cohortis Primæ Batavorum*. Hodie vitioſiſſimo vocabulo **Prudlehaw**, ſive *Arx Procolitiana* appellatur. Camdenus in primâ Britanniæ ſuæ Editione putavit eſſe **Colecester**, quem errorem ipſe poſtea correxit.

BROENIACIS: Ita enim in Ravennate legendum cenſeo pro inquinatiſſimo *Praematis*, quod neceſſe eſt nihili eſſe. In Vaticano MS. Codice vitioſiùs ſcribitur *Pinnatis*. Aremoricis *Junci* dicuntur *Broen*, nobis etiam *Brüyn*; de Subſtantivo etiam *Broen* fit & Adjectivum *Broenec*, quod pro *Juncoſo* eſt, nobis autem *Brüyniaüc*. Erit igitur *Broeniacis* ſolutis verbis *Broeniaüc iſc*, ſive *Juncoſa aqua* vel *amnis*. Vide an *Bramton* in Otodinis poſſit vitioſè proferri pro *Broentun* ibridâ compoſitione, quaſi dicas *Juncoſum oppidum*. Græci noſtri temporis *Juncos* vocant Βρύλλια, quod indicio eſt noſtrum *Brüyn* de Græco eſſe Βρύον. Vide in CANIBROIANA.

BROGMALIUS eſt quaſi *Broch* vel *Brych vael* ſive *Rufo Capite*. Clariſſimus hic erat Britannorum Dux à Bedâ memoratus, & erat cognomento *Eſcithraüc*, ſive *Dentatus*: nam *Yſgithr* erat Veteribus pro *Dente*. Vetere etiam Celtarum linguâ *Brog* ſive *Broch*, pro *Rufo* fuerat; undè *Allobrox* antiquo Gloſſatori redditur *Gallus rufus*. *Mael* autem ſeu *Vael* idem fuerat quod & *Bel*, *Caput* ſcilicet, & figuratè etiam *Princeps*. Sic & *Malen* dicimus pro *Balen*, mutatâ de more vetere Labiali litera; ſic & Græcis denique dicitur Μολγὸς pro *Vulga*, & Latinis etiam

Promul-

Promulgare, pro *Provulgare*. Eſt igitur *Brogmalius*, *Rufus Princeps* ſeu *Capitaneus*.

BROGOMONUM: Ita certè reponendum in Anonymo, pro eo quod vitioſè editum eſt, ſexto etiam caſu, *Brigomono*, quod vel Saxonicum nomen **Burghill** vel **Barhill**, in ulteriore Vallo, arguit. Eſt enim Britannorum *Bro* vel *Brog* idem ferè quod Teutonicum **Burg**, *Arx* ſcilicet, & per hoc quævis *Sedes*. *Mon* etiam idem eſt, ut & *Bon* & *Ban*, & Græcorum Βουνὸς, quod eſt *Collis*: neque multùm abludit Latinum *Mons*, nec Britannorum Oſtidamniorum *Monedh*. Sit igitur *Brogomonum*, vel ſoluto ſermone *Brog o mon*, *Arx collina*, vel **Burghill**. Urbs etiam Flaviæ *Pennobroga*, & *Penbro* & *Penbrog* promiſcuè dicitur. In Belgicâ etiam Primâ *Bruxellæ* dici videntur, quaſi *Brog iſel*, ſive *Manſio* vel *Urbs humilis*: undè & univerſæ Regioni *Brachbantiæ* nomen in hodiernum adhæſit diem; quod Alobritum antiquo ſermone fuerit *Brogbant*, ſeu *Regio* in *Valle*.

BROGRANDIUM: Ita fidenter repoſui pro *Bograndium*, quo conſtaret Etymon; cùm in Ravennate Libro *Bograndium* ſit, nullo commodo intellectu. Eſt autem *Brograndium* ſolutè ſcriptum *Bro grant iü*, *Arx* ſcilicet *curvaturæ amnis*. Et videtur fuiſſe Caſtellum aliquod prænobilis familiæ de **Grant**, ad fluvium *Tuæſim*, ſive **Spey**, in Victurionibus.

BROVONACIS: Ita enim ſcribitur Antonino, etſi in Sexto Itinerario vitioſè legatur *Brocovum*. Notitiæ Libro *Braboniacum* eſt, ubi & *Præpoſitus Numeri Defenſorum* fuerat. Hæc Arx ad ripam eſt fluminis *Lugat Dür*, ſive *Lugatrenæ*: illud enim eſt **Lowther**, vel *Low der*, id eſt, *Loyw dür*, vel *Limpida aqua*, in Occidentalibus Paludibus ſive Weſtmoriâ. Hodie corruptiſſimè **Browham** vocatur, cùm plenè ſcribi deberet *Bro avonaüc*, vel *Arx fluminea*. Certè Saxones Britannicarum Originum ignari, ſæpius mutabant *Avon* in finibus Nominum, in ſuum **ham**, veluti in **Grantham** pro *Grant avon*, & ſimilibus aliis.

In Libro autem Notitiæ pro *Braboniacum*, legendum cenſeo *Broaboniacum*, quaſi dicatur *Bao avoniaüc*, eodem Etymo. De hoc Loco convenit Camdeno mecum.

BULÆUM: In melioris notæ Ptolemæi Libris Βύλαιον ſcribitur, in aliis vitioſè Βύλλεον: & planè aſſentior Antiquariorum noſtrorum Principi Edvardo Luidio, hoc eſſe vetuſtiſſimum Silurum Caſtellum, modò vitioſè dictum *Caer Phyli*, pro *Caer Falach*. Nos ſuperiùs oſtendimus, ad vocem *Banovalum*, quid Veteribus fuerat *Bala* ſive *Fala*. Diximus etiam ad vocem *Bêl*, illud figuratè quidem eſſe *Regem*, propriè autem *Caput*. Tantundem igitur fuerit ſive quis ſcribat veteribus Dialectis *Bâl*, *Bêl*, *Bîl*, *Bôl*, *Bül*; ſive *Mâl*, *Mêl*, *Mîl*, *Môl*, *Mül*; ſive *Uâl*, *Uêl*, *Uîl*, *Uôl*, *Uül*; ſive *Fâl*, *Fêl*, *Fîl*, *Fôl*, *Fül*; ſive denique *Gâl*, *Gêl*, *Gîl*, *Gôl*, *Gül*. De *Gôl*, *Cranium*, Scotobriganticè dicitur *Col*, Anglis **Skull**, & Hebræis *Golgoleth*, unde & Syrorum Γολγολθᾶ, imò & Latinorum *Galea*, atque *Galerus*. *Fal* etiam Scotobrigantibus eſt *Rex*; quod veteribus Siluribus fuiſſe videtur indifferenter *Bûl* & *Fûl*: undè noſtrum *Bulæum* & *Caer Fyli*, vel *Caer Fala*; cùm deberet eſſe *Caer Bulach* & *Caer Falach*, quod *Arx* eſt *Regia*. Certè vel ipſi novimus in Montegomericâ noſtrâ Regione Domunculam antiquâ Rheſi filii Theodori progenie nobilem, vel hodie nominatam *Caer Bulach*, tanquam *Principis* dicatur *Domus*. Quis autem neſciat Theodorum cognomento Magnum Britannorum fuiſſe Principem? Fuerit igitur *Bulæum* antiquiſſima Principum noſtrorum Regia. In Anonymo etiam legimus *Bulſinis* & *Bulterræ*, pro *Volſiniis* & *Volaterræ*, apud Italos.

BUNDUICCA: Vide in VONDICCA.

BURRIUM, *Burnium*, ſive *Brunnium*. Vide in BRENNA: nam vitioſum eſt apud Antoninum; & eſt Giraldi *Caſtrum Oxæ*, noſtratibus *Caer Üiſc*, ſive *Brynbiga*.

BUVINDA

BUVINDA apud Ptolemæum celeberrimum Iberniæ Flumen, nuper etiam fugato Rege Jacobo nobile. Hæc Britannis solutè diceretur *Bu üen dav*, sive *Candidæ Juvencæ flumen*, ob nescio quem sive casum sive superstitiosum cultum. Certè Beda *Inis Boüind* in Galliua sive Naguatâ *Insulam candidæ Juvencæ* reddit. An & *Io* à Brigantibus nostris culta est?

C.

CADMAGON in Camdeni Inscriptionibus planè videtur dici *Deus Terminus*, sive Lapis sacratus tuendis finibus, qualia & Phœnicum Βαιτύλια, & Carthaginiensium *Abadires* fuerant. Siquidem *Câd*, *Tutela* est, de Græco Κᾶδος, & *Magon*, *Agrorum*; qui & Latinis de Celtico sermone & *Magi* & *Pagi* appellati sunt. De Termino Deo apud Romanos ita Flaccus Siculus: "Cùm Terminos disponerent, ipsos "quidem Lapides in proximam terram collocabant, "proximè ea loca quibus fossis factis defixuri eos "fuerant, & unguento velaminibusque & coronis "eos coronabant." Crediderim ejusmodi fuisse juxta Cantabrigiam in **Gogmagog Hill**, uti hodie perversè appellant, atque etiam in Segontiacis Belgis, & in Dumnoniis, in quibus idem durat vocabulum, cum nescio quâ Giganteâ fabellâ.

CADUALLA: Nomen inclyti Dumnoniorum sive Geuissorum Regis apud Bedam. Vide in VELLOCATUS: nam idem & illud nomen valet. Est & alterum Regium nomen *Cadüaladur*, quod est *Imperator Exercitûs*, quo tamen nomine etiam vilissimus quisque hodie nominari solet.

CÆSAREA apud Antoninum, est Insula hodie dicta **Jersey**, corruptè pro *Caesars ey*, eodem modo quo & *Algezir* sive *Algiers*, pro *Iol Cæsarea*, apud Afros. Quin & oppidum est in vicino Litore, quod eodem penè vitio *Cherbourg*, pro *Cæsaris burgus*, à Gallis profertur. Incertum tamen cujus *Cæsaris* fuerit

fuerit & *Insula* & iste *Burgus*. Vide in GARNIA.

CÆSAROMAGUS apud Antoninum, Ravennati vitiosè *Cæsaromagom*, hodie **Dunmaw** est, sive **Dunmawg**, apud Gueppones sive Saxones Orientales; quod me docuit Gibson, Camdeni eruditus Interpres. Forsan etiam *Dunomagus* altero erat nomine, à *Dun* scilicet, quod *Arx* est & *Civitas*, & *Maes* quod, cùm sit *Prædium* & *Campus*, olim etiam prodente Plinio, Celtis & *Urbs* fuerat. Certè ut à *Pagus* fit Gallis *Païs*, ita & Britannis nostris à *Magus*, *Macebes*, & *Maes*, ut & Pannoniis Boici generis **Bezeu**. Crediderim hìc fuisse *Cæsarum* quædam Prædia, quæ olim forsan fuerant Magni Cunobelini. In Tabulâ etiam Peutingerianâ truncato capite scribitur *Baromagi*, Plurativo etiam numero, cùm deberet esse *Saromagi*: In eâdem Tabulâ & *Riduno* est pro *Moridunum*, & *Ravimago* pro *Soravimagus*. Hispani etiam hodie *Saragossam* vocant *Caesaraugustam* Urbem.

CAGER VORAN: Ita enim proculdubio reponendum in Anonymo pro *Tagea Voran*, & numerus Literarum, & res ipsa loquitur, & hodiernum etiam nomen *Caer voran*: atque hoc est solutis verbis, *Munimentum üor aun*, sive *Præ amne*. Litera *G* olim erat liquidiuscula, sicuti nostrum *Y*. *Caer voran* est super fluviolo **Tippal**, sive *Tüi Bêl* (quod *Amnis caput* est) in Otodinis.

CAIUS BERICUS, quasi dicas *Kei Berig*, sive *Caius Hastatus*: nam *Bâr* vel *Beri* Britannis *Hasta* est. Regulus erat hic Britannus, qui à Civibus suis in exilium actus, Aulum Plautium cum Romanis Legionibus sub Claudio, in patriæ suæ pestem atque exterminium, impiâ & crudeli vindictâ armavit. Frequenter occurrit nomen *Kei* in Britannorum Næniis. Forsan & hinc Anglorum nomen **Guy**, quod in medio relinquimus. Hujus *Berici* argenteum nummum vidisse se testatur Luidius noster in Archæologiâ,

cujus

cujus capiti circumſcribebatur BIRIC: & in averſâ parte Porci erat Signum. Verùm oportuit Percuſſorem hujus Nummi fuiſſe Romanum.

CALAGUM: Ita enim in melioribus Ptolemæi Libris legimus, cùm in pleriſque vitioſè ſit Κάλαλον, ut & in Antonino perverſè ſcribitur *Galacum* pro *Calagum*. Hic locus hodie dictus **Kirkby Thor**, ſive *Vicus Fani Jovis*, eſt in finibus Paludium Occidentalium ſeu Weſtmoriæ, quod me Camdenus docuit, & eruditiſſimus ejus Interpres Gibſon confirmavit. Certe *Cal a Güi*, *Nemus* eſt *Jovis*: nam & *Câl* (Græcis Κᾶλον) & *Lignum* eſt & *Sylva*; & *Üi*, *Düi* & *Güi* (adjectis literis Præpoſitivis) *Jupiter* eſt, antiquâ Linguâ: Britannis hodie *Jau*, & Aremoricis *Jou* & *Gou*, & *Jupiter* eſt & *Juvenis*. Vide in JUPAPANIA.

CALAVA Antonini (quæ vitioſè Camdeno ſcribitur *Galana*, atque etiam ipſi Antonino *Galava*) plane nobis dici videtur *Arx ad Vallum*, ſive **Cheſter on the Wall**, non autem **Walwick**, quod videtur Camdeno. Atque hoc quidem ſatis oſtendunt ipſius Antonini Milliaria. Siquidèm verum eſt, ut nobis videtur, *Alionam* (ſive magis *Alaunam*) fuiſſe Caſtellum **Laton**, correptè prolatum pro *Alaunton*. Neſcio an *Calava* nomen ſuum de vicino Lacu trahat, qui ſcilicet ad ſaltum dictum **Lawes** eſt; ut ſit ſoluto ſermone *Cal a üi*, ſive *Nemus ad Aquam*. Imò forſan & ipſum vocabulum **Lawes** correptè dictum eſt pro *Cal a üiſc*, eodem intellectu; niſi ſit *Laü iſc*, *Ad manum aquæ*, quod ſanè verius videtur.

CALBIUM: Vide in BELERIUM & in CARRIUM.

CALCARIA Antonini, Bedæ dicitur Calcaceaſter, ſive *Calcaria urbs*, & de coquendâ *calce* ita appellata eſt. Eruditus Camdeni Interpres Gibſon, plurium acerrimi judicii virorum fultus teſtimonio, oſtendit eam non eſſe **Tadcaſter**, quod nobis *Verdotalia* eſt, verùm fuiſſe juxta **Newton Kyme**, ſive *Novum Oppidum* dictum **Kyme**, (de nomine puto cujuſdam

cujusdam Viri) ad Verbeiam amnem in Segontiacis Brigantum: ubi & plurimi Romanorum nummuli (vulgò dicti **Langborough pennyes** sive *Longoburgenses Denarii)* quotidie eruuntur. Unde conjecerim *Calcariam* Saxonibus fuisse appellatam Langbýrig sive *Longoburgum.* Facilè equidem consenserim egregium illum Nummum, quem Camdeni Interpres Gibson adducit signatum DOMITIANVS CALCAR. AVCI. fuisse percussum *Calcariæ* ab ipso Proprætore Agricolâ: crediderim tamen evanuisse Anni numerum; nam AVCI videtur esse A. V. C. *Anno* scilicet *Urbis Conditæ*, unà cum particulâ characteris Arithmetici jam deperditi.

CALEDONIA, hodie de Scotobrigantibus Iberniæ appellata est *Scotia*, olim autem Romanis de *Valentiniani* Imperatoris nomine *Valentia*, & hoc sub titulo fortissimi Populi. Erant sanè *Caledones* Brigantici generis, atque horum perpetui in bellis Socii sive magis Clientes. Dicti sunt *Caledones* de *Sylvis* quas incolebant, Britannis nostris *Kelydhon* sive *Colydhon*, atque ipsæ eorum *Sylvæ*, *Coit Kelydhon:* neque sanè aliunde peregrini *Brigantes* audiebant Κέλῃ, nisi quòd in *Sylvis* agerent (ut ferè antiqui) sicuti neque *Caletes* Attrebatum *Sylvis* vicinus populus. Scotobrigantibus etiam hodie *Coil* pro *Sylva* est; Græcis etiam Κᾶλον *Lignum* est, ut & Romanis antiquis *Cala*, unde & *Caliga* & *Calones* deducta sunt. Neque Bedæ *Colidii* his videntur diversi. Taciti temporibus *Caledones* ultra Antonini Vallum fuerant, Romanorum armis puto coerciti. Ammiani etiam Marcellini ætate Maiatæ tenebant Laudoniam, Victuriones *Caledones* Pictiam, & *Deucaledones* Scotiam. Post occisum autem Saxonem Æthelredum, Anno scilicet à nato Christo DCCXCIV Scoti tenuêre Noüantiam, sive Galloüidiam, cognatam sibi gentem, Pictique *Caledones* Laudoniam, exceptis solis Alatis Castris, quæ & ipsa expugnata sunt à Scotosaxone Anno DCCCCLX. Vide in SCOTIA.

CALEVA

CALEVA ATTREBATUM, Ravennati Libro *Caleba Atrebatium*, in Vaticano corruptè *Arbatium*, & monstrosè in plerisque Ptolemæi exemplaribus Καλκόα pro Καλήϑα: Antonino etiam scribitur geminato *L*, *Calleva*. In duplici versatur errore magnus Camdenus; & quòd de *Calevâ*, solâ conjecturâ fecerit *Gallena*, & quòd non viderit Wallenford *Trajectum* dici *Gallorum* sive *Attrebatum*. Adde quod *Attrebatios* suos immisceat Bibrocis, nec Oxoniensium Pagum illis tribuat. *Calevam* dici puto quasi *Calai üa*, sive *Lutosam undam*: nam & *Calai* vel *Clai* Britannis est pro *Luto* (quod & Persis est *Caly*) & Þæȝ etiam Anglosaxonibus *Fluctum* sonat, unde & Anglorum Wave, & Italorum *Voga*. Britanni dicebant, variantibus Dialectis, *Üag*, *Üig*, & *Üog*: Anglosaxonum verbum erat Þæȝan, *Movere*. Existimaverim etiam *Abbandunum*, de *Abbatiâ* postero tempore ita appellatum, fuisse Saxonum inclytum locum Ȝleoþeþho, sive *Calevanorum Arcem*; quòd ab his ad tuendos fines munitum fuerit. Inclytum *Oxonium* Romanis temporibus vel viculus vel omninò nihil fuerat, nisi *Rit ochein*, *Ritochion*, Βόατορος scilicet, sive *Boum* tantùm *Trajectus*. Plerisque celebrioribus urbibus Arcem fuisse in vicino positam aliàs ostendimus.

CALUVIUM: Ita reponendum duxi in Anonymo, cùm in Libro geminato errore legeretur, sexto etiam casu *Calunio* & *Gallunio* de eo quod procul omni dubio in Græco fuerat Exemplari Καλοϑίον. Nam & in Vaticano MS. *Caluvio* est atque *Galluvio*. Hoc vel nomen dedisse videtur Dynastiæ cuidam hodie dictæ Cleveland, sive *Terræ Caluvianæ*, quæ in illâ parte Deirorum est, quæ Borealis Brigantum Triarchia dicitur. Videtur etiam urbs *Caluvium* hodie dici Gisborough, sive potiùs Ghestborough, quasi dicas *Spiritalis Burgus*. Satis vetustum hoc oppidum & antiquo monasterio celebre; undè & Saxonicum nomen tractum videtur. Britannicum autem nomen

sortitur,

ſortitur, ut ſuprà *Caleva*, de *Lutoſâ undâ*, ac ſi ſolutè ſcribatur *Calai üi*. Quò ſpectat & popularis Nænia, ab erudito Camdeni Interprete huc adducta:

——————— **Cleaveland** *in the* **Clay**
Brings in two ſoles, and carryes one away.

CAMBODUNUM Antonini, Bedæ mendoſè ſcribitur *Campodunum*. Crediderim in cauſâ fuiſſe Etymologiæ errorem; quòd neſciret Saxo Beda *Cam üog dun* Britannis *Civitatem* dici *ad curvaturam undæ*. Camdeni eruditus Interpres Gibſon docet hunc nobilem Locum ſtetiſſe diverſâ in parte fluminis *Caladurii* ſive **Calder** (quod eſt quaſi *Calai dür*, ſive *Lutoſa aqua*) juxta *Albanoburgum*, vulgò vitioſè dictum **Almondsbury**, in Segontiacis Brigantum, ſive Occidentali horum Triarchiâ, non autem in Arce Montis, in quâ eum Camdenus poſuit, quod ait immanes cineres adhuc demonſtrare. Initio Saxonicorum temporum hæc erat Regum ſedes & Epiſcoporum, uti Camdenus memorat. Magno tamen verſatur in errore quòd non credat Ptolemæi *Camulodunum* alterum (Ravennati dictum *Camulodunum*) huic diverſum; verùm *Camoluduni* nomen ſuppoſitum eſſe *Camboduno*. Certè longè diverſa Ravennatis atque Antonini Itinerum ratio eſt. Hoc enim Eburaco, per Calcariam atque Cambodunum, Mancunium tendit; illud verò Lindo Coloniâ Gabrocentum, per Banovalum, Vainonam, Aquas, Arminexam, Verdotaliam, Mantium, Alaunam, Camulodunum, Caluvium, Medioborgum, Cantuivetrim, atque Tunocenum: ut ſtet *Camulodunum* proximè Caluvium. Neque hercle cuiquam debet mirum videri nullam factam tam clari loci à Ravennate mentionem, cùm univerſum Antonini Itinerarium Blatumbulgio Rutupias Ravennati ſit omiſſum. Sit igitur nobis *Albanoburgus*, *Cambodunum* novum, quando antiquum in cineribus jacet. Potuerit & in monte fuiſſe Arcem *Camboduni* de more Propugnaculum, ut concilietur Camdenus Gibſoni.

CAMBO-

CAMBORITUM, Antonino mendosè *Camboricum*, in alio ejus Itinere *Combretovium* pro *Cambaretovium*; ut & in Peutingerianâ Tabulâ *Convetom* pro *Camvaretum*. Verùm sive *Camboritum* dicas, sive *Cambaretovium* (neque enim diversa sunt, quod sensit Camdenus) tantundem fuerit. Siquidem Britannorum veteri Sermone *Cam üog rit*, *Curvatura* est *fluvialis Trajectûs*, & *Camva ret Tav*, *Curvatura* est *Trajectûs Tavi* sive *Fluvii*. Etsi Antonini Milliaria satis convincant hoc esse nostrum **Chesterford**, sive *Castrum ad Trajectum Tavi*, juxta **Walden** sive *Gallodunum*, ad Guepponiæ sive Orientalis Saxoniæ fines; Camdenus tamen & *Camboritum* putat esse **Grantchester** sive *Grantam urbem* juxta Cantabrigiam quæ nobis est *Ad Tavum*; & *Combretonium* (ita enim ex conjecturâ reposuerat) **Bretenham** sive *Britonum Villam*, in Citerioribus Icenimagnis sive Sudofolcis; quod hercle nollem factum. Obiter hìc advertendum venit *Icenorum Viam* vulgò appellatam **Ikeneld**, sive *Icenorum majorum*, in orbem ferè redire, dum Durolico per Camulodunum, Faustini Villam, & Icianos pertendit *Camboritum*: Quod idem ferè & in Flaviâ Provinciâ cernimus, dum Iter Bonio per Mediolanium, Rutunium tendit. Crediderim in causâ fuisse ingentes sylvas atque paludes, & quòd Itinera ista militum usui magis inservirent quàm aliorum. Existimaverim & olim *Camborigum* appellatum fuisse quod hodie *Cameracum* est sive **Cameriik** in Belgicâ Secundâ, tanquam *Camva rig*, vel *Flexura amnis*.

CAMULODUNUM Antonino simpliciter *Colonia* dicitur, Ravennati etiam vitiosè & sexto casu, *Camulodulo Coloniâ*, & in Vaticano *Monulodulo Coloniâ*. Etiam in veteri Lapide *Colonia* est *Victricensis*; quòd Veterani XIV *Legionis Geminæ Martiæ Victricis*, quos Tacitus Domitores Britanniæ dicit, hìc agebant. In Inscriptione quâdam satis luculentâ *Camalodunum* legitur, at in Ptolemæo Καμυλόδυνον.

Equidem

Equidem non video cur Camdenus majorem fidem habeat imperito marmorario quàm ipsius Cunobelini nummo, in quo planè signatum est CAMV. Quin & Antoninus & noster Ravennas eodem modo scripsêre. Verum voluit Vir magnus *Coloniam Camulodunum* esse **Maldon**, parùm advertens Othonam, validissimam Stationem, esse ferè in conspectu tantæ urbis à se ipso positam; quod sanè inutile foret & supervacaneum. Redeat igitur *Camulodunum* quò & Talbottus & magnus Stillingfleta illud posuêre, *Colecestriam* scilicet; cujus vel ipsum nomen, cum cognomine fluvio **Colne**, *Coloniam* sibi vendicat. Sunt etiam ingentia Castrorum vestigia in vico vel hodie de Legione vocato **Lexdon**, circa duo millia Passuum citra *Colecestriam*; parte tamen maximâ in egregio Ericeto dicto **Stany way Heath**, sive *Lapideæ via Ericeto*, ubi & ingens Puteus, vulgò dictus *Coili Regis Culina*. Etymon hujus urbis planè Britannicum est: nam si solutè scribatur, *Cam a laün üi dun*, *Civitas* erit *ad Alauni* sive *Pleni amnis curvaturam*. Atque hoc confirmant cognomina loca, & *Camalan* in Ostidamniis, & *Camalon* apud Damnios in Valentiâ. Atque hinc quidem constat fluvium hodie dictum de loco *Coloniam*, olim fuisse *Alaunum*. Spectabat hæc urbs ad Trinoüantes Ptolemæi ævo; cùm olim sedes fuerit Cunobelini Icenorum Imperatoris. Vide in OTHONA.

CAMULODUNUM alterum (Ptolemæo vitiosè Καμυλόδυνον Νικηφόριον appellatum, atque Ravennati Libro, sexto casu, *Camulodono*) initio Castra quædam fuerat *Legionis Sextæ* Νικηφόρος sive *Victricis* quæ Eburaci agebat. Et erat ad Derventionem flumen in Limitibus Brigantiæ, ubi hodie **Old Malton** sive *Vetus Camulodunum* est, antiquâ Arce insigne. Hoc diversum esse à *Camboduno* nos suprà ostendimus. Vide in CAMBODUNUM.

CAMULONESSA: Hoc si solutè scribatur erit *Camva laün isc*, sive *Curvatura pleni amnis*: & est ad

ad ripam Corabonæ fluvii in Damniis juxta ulteriorem Prætenturam. Etiam hodie **Camelon** dicitur; unde & in Ravennate Monacho (qui solus hujus meminit) nos levi negotio *Camulonessa* fecimus de *Camulossesa*.

CANDIDA CASA apud Bedam, Episcoporum Sedes est in Noüantis sive Gallovidiis. Ptolemæo vitiosè scribitur Λευκοπίδα pro Λευκοικίδιον: Neque sanè meliùs Ravennati nostro *Lucotion*, quod in Vaticano est *Lucocion*, pro Λευκοίκιον, vel *Leucœcion* dicitur; quorum utrumque *Candidam Casam* valet. Saxonicum nomen **Whithern** pleniùs diceretur **Wht Heeren Huys**, *Candidum* scilicet *Prætorium*, sive *Villa*. Res nota est Celtas antiquos, atque Germanos insigniora tuguria dealbâsse. Quin & in Legibus Hoüelianis Regia Silurum *Ty güynn*, sive *Domus Candida* appellatur.

CANGANI: Vide in CEANGI.

CANIBROIANA apud Anonymum videtur dici quod hodie dicitur **Canoby** in Æsicanâ Valle, apud Selgovas; ac si dicatur *Cand i broen üi*, vel *Caput juncosæ undæ*. Vide in BROENIACIS. In Vaticano MS. *Cambroianna* est, vitiosè puto scriptum.

CANTÆ, Caledoniæ populus in Victurionibus apud Ptolemæum; hodie (uti ego existimo) corruptâ voce **Buchan**, pro *Poü chant*, sive *Pagus Cantarum*. Sæpiùs modò diximus *Cant* dici Britannis *Rotundam* quamvis *flexuram*; quod (sicuti Græcorum Κανθὸς, & Latinorum *Canthus*) de Verbo Κάμπτειν est, quod est *Incurvare* & *Flectere*. *Poü* etiam hodie Ostidamniis sive Corinaviis *Pagus* est, vel *Regio*. Vide in CANTIUM.

CANTENNIS: Ita enim ausus sum reponere in Antonino pro vitioso *Causennis* vel *Gausennis*, ut edidit Simlerus, quod nihili esse necesse est. Solutè quis scripserit *Cant en* (vel *an*) *isc*, sive *Ambitius* vel *Flexura aquæ*. Hæc urbs hodie **Grantham** est in Majoribus Icenis sive Lindensi Conventu. Siqui-

dem idem ſonat Britannis *Grant* quod & *Cant*, ſicuti nos ſupra docuimus in voce *Ad Tavum*: Et **Grantham** etiam ibridâ compoſitione profertur pro *Grant avon*, *Amnis* ſcilicet *curvatura*. Camdeno videtur eſſe **Brig Caſterton**, ſive *Arx ad Pontem*, in Icenorum Dynaſtiâ Rotelandiâ, ſive Regione Putri. Verùm repugnant Antonini Milliaria.

CANTIUM, hodie **Kent**, & Regionis nomen eſt, & Promontorii hodie appellati **The Foreland**, ſive *Prominens Terra*. De *rotundo* Litoris *ambitu Cantium* videtur Veteribus nominatum, ut & Caledonum *Cantæ*. Hodiernis etiam Francobelgis **Kant** pro *Angulo* eſt vel *Extremo*. Quibuſdam Ptolemæi Libris promontorium iſtud Νυκάντιον dicitur, de *Nucantiis* ſcilicet, ſive *Novis Cantiacis*, Belgici generis; ut & Diodoro Siculo Κάριον, quaſi *Cor üion*, *Vertex* ſcilicet *maris undarum*.

CANTII (ſive *Cantiaci*, uti Ravennati dicuntur) *Cantii* populus, Saxonibus dicti Cant-pana, ſive *Cantii Viri*; unde & Cant-pana-byrig ſive *Cantiorum virorum Burgus*, pro *Duroverno*. Crediderim Indigenas dictos fuiſſe ἁπλῶς *Cantios*, novoſque Advenas de Belgio poſtero tempore *Nucantios*, quaſi *Novos Cantios*. Vide in TRINOUANTES & in NOVIOMAGUS. Longè ſunt humaniſſimi qui Cantium incolunt. Cæſar Libro V. Cap. IV.

CANTUIVETRIS: Ita enim in Ravennate reponendum duxi pro prodigioſo *Cantiumeti* (quod in Vaticano Libro eſt *Cantamenti*) quod & ſexto caſu dicitur. Eſt autem ſoluto ſermone *Cant üi üetr*, *Curvatura* vel *ora amnis Vedræ*, ſive *cæruleæ*. Hæc videtur eſſe in Deirorum parte, hodiè dictâ *Epiſcopatu*; Caput ſcilicet univerſæ Dynaſtiæ, in ſinuoſo *Vedræ* ſinu poſitum, & à Deiris Incolis ibridâ voce appellatur **Durham**, cùm deberet eſſe *Deirodunum*; ut vel ex alterâ ibridâ voce **Dunholm**, quod eſt *Urbs inſularis*, manifeſtiſſimè patet. Nihil hìc attinet Monachorum offucias referre. Vide plura in VEDRA, & in VIVEDRA.

CANU-

CANUBIUM apud Ravennatem, Antonini *Conovium* est, in Cornaviorum Æstivis Canganis sive Venedotis, hodie *Aberconüy*, sive *Conovii* fluminis *Ostium*. Britanni veteres variantibus Dialectis *Cand*, *Kend*, *Kind*, & *Cond* dixêre indifferenter: quod & in suâ Linguâ fecêre Saxones. Vide in CONOVIUM.

CARATACUS, & vitiosâ scripturâ *Caractacus*, & Britannorum vulgo *Cradoc* pro *Caradoc*, quod antiquâ linguâ Ἐρᾴσμιος est, sive *Amabilis*. Hic vetusto Libro Triadum *Caradaüc vreichvras*, sive *Caratacus* παχυβραχίων appellatur. Silurum validissimo populo præfectus est à Cunobelino Patre, totius Insulæ Ardirago sive Pendragone, & Uigantum sive Icenorum Rege, sub Augusto Cæsare atque Tiberio. Frustrà foret atque instituto etiam nostro alienum, tam claro lumini facem prætendere, cùm omnibus notum sit quàm fortiter pro patriâ Libertate per novem annos depugnaverit, & quales Triumphos Ostorio Scapulæ atque Imperatori Claudio præbuerit, novercæ suæ Cartismanduæ Brigantum Reginæ perfidiâ proditus. Vir siquis alius veræ Britannicæ virtutis, imò & ὑπερῳφίας.

CARBANTIUM: Vide in sequenti.

CARBANTORIGUM: Ita enim Ptolemæo dicitur, cùm sit apud Ravennatem correptiore vocabulo *Carbantium*; quod tamen ego tantundem esse contendo. Nam & *Carbantorigum*, soluto sermone conceptum, erit *Guar vant o rig*, sive *Super ostio fluminis*; & *Carbantium* etiam *Guar vant iü*, quod est *Super ostio undæ*; planè συνωνύμως. Hoc etsi Camdenus *Glen Car*, sive Britannicâ nostrâ loquelâ *Glyn Gaer* (quod *Vallis* est *munimentum*) esse existimet; ego contenderim illud esse quod hodie dicitur **Mallrosse**, pervetusto Monasterio celebre. Atque hoc præcipuè ob συνωνυμίαν. Nam & *Mel yr ose*, *Caput* est *aquæ* sive *fluminis*, quâdam Dialecto, & *Mant*

ſive *Vant iü*, *Undæ oſtium*. Idem autem fuiſſe *Mêl* quod & *Bêl* nos aliàs oſtendimus.

CARDONIUM: Hoc in Ravennate Libro mendoſè, & ſexto caſu, *Sandonio* dicitur, & in Vaticano *Saudonio*, nullâ commodâ notatione; & eſt in Canganis Cornaviorum ſive Venedotiâ. Neque aliud fuiſſe videtur, quàm quod ſagaciſſimo Antiquitatum Indagatori Edvardo Luidio *Caer y Ddynod*, ſive *Arx Collium* dicitur. Quippe Romana erant Caſtra ad flumen *Alüen*, ſive Alaunum, quorum veſtigia vel hodie exſtant. Eſt & ad ripam Moſellæ vicus **Caerden**, qui Ravennati dicitur *Cardena*.

CARINI apud Ptolemæum populus eſt in extremis Caledoniæ partibus, de quibus Camdenus ſatis ingenioſè fecit *Catini*, quòd populi **Suderland** & **Catnes** Caledonum veteri linguâ dicantur *Catii*, quod confirmat & Branda in Orcadum Hiſtoriâ nuper editâ, niſi illum ſecutus eſt. Nobis tamen & *Carini* rectum videtur: neque enim ſolùm *Cad* & *Cand* idem eſt Celtis quod & Pelaſgis Κότλα & Κόνλα, verùm etiam & *Cor* & *Corin* idem eſt quod Κάρη & Κόρυς Græcis, *Vertex* ſcilicet *Capitis*. Sicuti igitur de *Dar*, *Quercus*, & *Eni*, *Naſci*, *Dareni* dicuntur quaſi *Quercigenæ*; & de *Mor*, *Mare*, & *Eni*, *Naſci*, *Morini* dicuntur tanquam Marigenæ; & de *Lug*, *Liquor*, atque eodem verbo dicuntur apud Ibernos *Luceni* quaſi *Liquorigenæ*; atque denique de flumine *Gada* in Citeriore Caledoniâ *Gadeni*, quaſi *Gadigenæ*: Ita & de *Car* vel *Cor*, *Summus vertex*, ſive *Promontorium*, dici poſſint *Carini* quaſi *ad* Britanniæ *verticem geniti*, ſive *omnium ultimi*. Vide in ORCADES plura huc facientia.

CARIUM: Diodoro Siculo Κάριον dicitur *Cantium Promontorium*; tanquam *Car* vel *Cor iüion*, quod eſt *Caput* vel *Vertex undarum maris*; ſicuti & Pytheæ Maſſilienſi *Calbion* pro *Belerio* eſt ſive *Antiveſtrio*. Vide in CALBIUM.

CARIXA:

CARIXA: Ita proculdubiò reponendum in Anonymo pro monſtro *Canza*; quò ſit antiquiſſimus Portus **Carmouth**, ſive *Carixæ Oſtium*, ad flumen **Car** ſive *Carixam* in Durotrigibus. Eſt etiam *Carixa* de Britannico *Car iſc*, quod *Caput* vel *Oſtium* eſt *fluminis*. Idem autem valet *Car* (ſive *Cor*) quod & *Mouth*, ſicut & in *Herudford* (vulgò **Hertford**) *Rud* & *Ford*; ut ſint ταυτόλογα.

CARNOUACÆ Deucaledoniæ natio eſt apud Ptolemæum, ad Corabonam fluvium, correptè hodie dictum **Carron**. Pagus iſte hodie, de *Ruſſeo* puto graminum colore, **Roſſen** dicitur: nam ejuſmodi Ericeum paſcuum Britannorum vulgo *Rhos* dicitur. Aliàs autem oſtendimus *Corabonam* Britannis dici *Brevem amnem*, eâdem ſcilicet compoſitione quâ & *Corgi*, *Corbedü*, *Cornant*, & ſimilia alia. Apud Ptolemæum diverſâ veniunt ſcripturâ Καρνοκάκαι, Κάρνονες, Κρέονες, & Κέρονες: de quibus Κρέονες certè mendoſum eſt: Κέρονες autem συωνύμως poni videtur pro Κάρνονες vel Καρνοκάκαι. Idem enim *Keron* (vel magis *Coron*) quod & *Coraün* vel *Carron*, ut & *Carnon* quod *Corn* vel *Corryn aün*: nam & *Corn* Aremoricè dicitur pro *Corryn*. Dicuntur igitur *Carnoüacæ* de *Coru üag*, quod *Brevis* eſt *unda*, atque συωνύμον τῷ *Coravon*. Quis credat Κρέονας, Κέρονας, Κάρνονας, & Καρνοκάκας, uno acervo poſitos diverſas fuiſſe nationes, tantùm non cognomines? Quid quòd in pluribus Ptolemæi Exemplaribus deſint duo iſtorum nominum; ut non ſint diverſi *Creones* à *Ceronibus*, neque *Carnones* à *Carnoüacis*? Quin & duplex ejuſdem nominis ſcriptura Ravennati noſtro admodum familiaris eſt; uti cernere eſt in *Epoceſſa* & *Ypoceſſa*, *Mediomano* & *Mediolano*, *Calunio* & *Gallunio*, *Sinetria* & *Smetri*, *Velunia* & *Volitanio*, *Pexa* & *Begeſſe*, & in *Cermo* & *Cermium*. Verùm de iſtis plùs ſatis. Dicuntur & *Bellouacæ Belgæ* tanquam *Bel o üag*, vel *Ad caput undæ*, hodie *Beauvois*.

CARTISMANDUA, famosa Brigantum Regina, magni Cunobelini vidua, Caratacique noverca & proditrix. Arrogabat hæc sibi totius Insulæ Imperium, tam ob Brigantum suorum potentiam atque clientelas Caledonias, quàm ob Cunobelini Pendragonis connubium: Et quòd ipsa vellet, uti prior maritus ejus Cunobelinus, in clientelâ esse Romanorum, per quos Barbarorum Reges tunc temporis regnabant. Caratacum igitur privignum contra jus fasque illis prodidit, cùm ille sumptis pro patriâ Libertate Armis Silurum (imò forsan & universæ Geuicciæ sive Iceniæ) Imperium patris jure sibi vendicaret. Fuerat igitur *Cartismandua* Castrense mulieris nomen: siquidem jactantiùs se *Guaretes mandu* sive *Patriæ suæ Custodem* sive *Procuratricem* appellabat. Ambiebat enim Pendragonis sive Ἀρχιβασιλίσσης nomen. Quanto meliore jure nostris tandem temporibus Inclytissima Regina ANNA universæ Britanniæ, imò & ipsius terrarum orbis Pendragon esse meruit? Vide plura in VELLOCATUS, & in VENUTIUS. Vide etiam in MANDUBRATIUS, & in MANDUESSEDUM.

CARVILII: Vide in CARVILIUS.

CARVILIUM, Oppidum *Caer Guiloü*, sive **Wilton.** Vide in sequenti.

CARVILIUS: Sicuti *Segonax*, Taximaguli Cantiacorum Regis in Cæsarem socius, videtur vel ex nomine *Segontiacis* præfuisse; ita & *Carvilius* suis *Carviliis*. Veterum Celtarum Ducibus, sicuti & Græcorum, Castrensia fuisse nomina aliàs sæpiùs diximus. Quin & inter notissima est etiam hodie Cantiacorum esse in acie signa ferre, & *Carviliorum* agmen cogere. Quis autem inficiabitur dici posse *Wiltunenses*, *Carvilios* de Principe eorum urbe *Caer guilou* (uti Asserio Britanno dictam reperimus) quod quidem, veteri Dumnoniorum Dialecto, *Civitas* dicitur *Salicum?* Etiam communi Britannorum sermone *Güial* dicuntur *Vimina*. Quis ambigat Anglis etiam inde

inde *Salices* dici **Willows?** Certè *Carvilium* pervetustum esse oppidum ostendit Camdenus, etsi non sit illius *Ælandunum*; quod nec sensit Gibson. Equidem existimaverim *Carvilios* fuisse ex parte magnâ Durotrigum Ceangos sive Pastoritiam Pubem; cùm vel hodie ob Camporum vastitatem, huic usui maximè inserviant. Neque minùs apti fuerant bello quòd pastoritiam vitam agerent. Videmus enim & Dumnonios Ceangos sive Somersætas, fortem operam in Ostorium Scapulam navavisse. Imò Campestres Britanni Romanorum Legionibus vel præcipuum facessebant negotium.

CASSII apud Cæsarem iidem sunt, qui & Dioni *Cattivellani*, & Ptolemæo *Cattieuchlani*, aliàs *Cassivellani* appellati; quod vel Regis Cassivellani Castrense nomen indicat. *Cattos* sive *Cassios* Belgicam esse gentem omnibus notum est; verùm Frisicæ sive Britannicæ originis. **Katten,** *Viri insignes* & *Proceres*, inquit Hadrianus Junius in Historiâ Batavicâ. Certè Κόππα & Κότλα & Κότλυς veteri Græciæ *Vertex* fuerat, & per hoc quodvis *Summum*. Sunt autem *Cattivellani*, quasi soluto sermone dicas *Cattieu vêl lan iü*, sive *Catti ad Caput flumineæ ripæ*, Aventionis scilicet, ad cujus caput est Verolanium præcipua *Cassiorum* sedes. Siquidem hi Herudfordiæ Pagum tenuêre, plurimasque gentes, prodente Tacito, Dobunos usque in clientelâ tenuêre, Trinoüantes scilicet, Ancalites, Bibrocos, & Attrebates, unà cum Australibus Girviis horum Pecuariis. Saxonicis tandem temporibus hoc regnum Occidentalibus Saxonibus, Merciis, & Orientalibus Saxonibus, in membra conscissum cessit. Unde & bellicosam *Cattivellanorum* gentem à Romanis fuisse deletam constat. *Herudford* sive **Hertford,** hodie Pagi caput est: ita enim Compositione ibridà *Trajectus* dicitur. Siquidem idem Britannis *Rit*, quod & Anglosaxonibus **Ford,** & *He* pro Articulo est vetusto. Fuerit igitur nostrum *Herudford* temporibus Romanorum *Tra-*

jectus ad Leucam. Princeps hujus Civitatis Cassivellanus Cæsaris terga vidit: nam quod ait Lucanus in Pharsaliâ,

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Vide in SUELLANIACIS.

CASSITERIDES sive *Stannariæ Insulæ.* Vide in SIGDELES, atque in VICTIS. De *Albi Plumbi* fodinis appellatæ sunt *Cassiterides.*

CASSIVELLANUS: Vide suprà in CASSII. Vide in SUELLAN.

CASTRA EXPLORATORUM, hodie Camdeno mecum *Vetus* est *Lugubalum* sive **Old Carlisle**, in Brigantum Ceangis, ubi hodie Cumbrorum Dynastia. Certè plurimæ hìc erutæ sunt Inscriptiones, ex quibus constat *Alam Augustam Gordianam* aliquando hìc fuisse. Hujus Stationis solus meminit Antoninus. Hoc fuisse videtur Propugnaculum quoddam Luguvali.

CATARRACTONIUM Ptolemæi, Bedæ dicitur *Vicus ad Catarractam.* Nam juxta *Catarractam* est fluminis *Vahalis* sive *Süael iü*, quod Britannis *Humilem undam* sonat. Atque hujus situs est in illâ Deirorum parte quæ *Ægmundi Dynastia* (sive **Richmond**) appellatur. Nam, prodente eruditissimo Britanniæ Enarratore Gibsone, juxta viculum de memoratâ *Catarractâ* dictum hodie **Cateric**, villa quædam est nomine **Thornburgh**, sive Διόσπολις, ubi ingentia sunt veteris *Catarractonii* rudera. Ptolemæus Parallelum XXIV per *Catarractonium* describit. Antoninus *Catarractonem* appellat, atque etiam Saxo Beda; Ptolemæus autem Deminutivâ formâ Καταρρακτόνιον. Prodigiosè scribitur in Vaticano scripto Codice *Cactabactonion.*

CATTIEUCHLANI: Ita Ptolemæo dicuntur *Cattivellani*, tanquam *Cattieu uch lan iü*, sive *Catti supra flumineam ripam.* Vide superiùs in CASSII.

CATTIVELLANI: Vide itidem in CASSII.

CAVATA,

CAVATA, flumen **Caud** in Cumbris. Vide in CONGAVATA.

CAUCI, Iberniæ quædam natio apud Ptolemæum. Fuerant & gemini *Chauci* apud Germanos, Majores & Minores; de corporum puto ſtaturâ ita appellati. Idem autem Britannis *Caüc* vel *Coc*, quod & Germanis **Hauch** vel **Hoch**. Vide plura in Voce COCIDIS.

CAUNONIUM: Ita enim planè reponendum in Antonino, pro eo quod in Libris eſt *Canonium*: Nam & in Peutingerianâ Tabulâ ſexto caſu *Caunonio* eſt. Deductum hoc nomen videtur de *Caün* ſive *Caünon*, *Arundines*, & *Iü*, *Unda* vel *Flumen*, ut ſit ſolutè ſcriptum vel *Caünon iü*, vel certè *Caün an iü*, *Cannæ* ſcilicet ſive *Arundines fluminis*. Quod Græcis eſt Κάννη, illud Hebræis etiam קנה *Kanneh* dicitur, & nobis etiam altero numero *Caün*. Antonini Milliaria oſtendunt hoc eſſe **Coggeſhall**, apud Orientales Saxones ſive Gueppones. Suſpicor etiam olim alio nomine veniſſe *Coccilii Villam*, undè & Angloſaxonibus appellari poſſit **Coggeſhall**. Hoc videtur innuere Inſcriptio à doctiſſimo Camdeni Interprete Gibſone huc adducta, COCCILI M. ſive *Coccilii Manibus*. De Camdeni **Canonden** nihil attinet dicere, cùm non ſit hujus Loci.

CEANGI: Ita enim in Lapide ſcribuntur, etſi Tacito dicantur *Cangi*. Sicuti autem de Singulari *Ceang* fit Latinis *Ceangus*, ita & de Plurali *Ceangon* fit illis *Canganus*. Fuêre autem ſingulis ferè Civitatibus ſui *Ceangi*, qui quidem Minorum erant coloniæ ſive Paſtoritia pubes, quique nunc in montanis, nunc in paludoſis locis Pecuariam exercebant. Sic legimus & veteribus Romanis fuiſſe apud Calabros & Lucanos Æſtiva & Hyberna quædam Paſtorum. "Pecora Paſtores nunc in hybernos, nunc in æſtivos "ſaltus trajiciunt," inquit Juſtinus, Hiſtoriarum Lib. VIII. Cap. V. Derivatur autem vox *Ceangus* ſive *Canganus*, de Britannorum *Ceang* ſive *Cang*; quod

quod illis *Ramum* ſignificat, ſimili figurâ quâ & apud Græcos *Adoleſcentes* Poëtis dicuntur Ὄζοι Ἄρηος ſive *Rami Martis*. Videtur etiam huc referri & Saxonicum Geong, quod *Juvenem* ſignificat; imò & Hebræorum חנך *Chanoch* vel חניך *Chanich*, quod *Vernam* ſonat, & per hoc etiam *Scurram*, vel Ἀνθρωπάρεσκον, *Pſal.* lii. *verſ.* 6. Dumnoniis ſive Domniis fuêre ſui *Ceangi* in Regione de Paſtorum Æſtivis appellatâ *Somerſæten*, ſive *Seſſores Æſtivi*; & Britannis etiam eodem intellectu *Gulâd yr hâv*, ſive *Regio Æſtiva*: in quâ & Somerton ſive *Æſtivale oppidum*, ſatis vetuſtum; quod equidem crediderim nominatam fuiſſe Britannis *Habodan*, ſive *Manſionem Æſtivam*. Conſtabat olim hic Pagus Paludibus, & ingenti Sylvâ Britannis appellatâ *Coit maur*, quæ Saxonibus eodem ſenſu fuerat Delpube, ſive *Sylva magna*: unde & univerſo Conventui antiquum nomen Delpub-ſcire. Atque ex his quidem Iberni *Cangani*, qui Ptolemæo mendoſè ſcribuntur Γάγγανοι, originem ſuam trahunt. Unde & *Fir Domnon*, ſive *Viri Domnii* vel *Dumnonii*, incolis appellati videntur. Ptolemæi tamen ævo *Ceangi* iſti parebant Belgis. Crediderim etiam Oſtidamnios ſive Corinavios fuiſſe Dumnoniis pro Paſtorum Hybernis; cùm horum proprius ſit Pagus, & Ocrinum dicatur Ptolemæo Dumnoniorum Promontorium. Fuêre etiam Cornaviis meis gemini *Cangani* ſive malles *Ceangi*; nam & in his Lapis eſt repertus, autore Camdeno, ſub titulo CEANGI. Hyberni Cornaviorum *Ceangi* videntur fuiſſe in Devano Pago, hodie Cheſhire, correptè pro *Cheſterſcire* ſive Caſtrenſi Pago, ubi Ptolemæo eſt *Canganorum* Promontorium, ad Peninſulam Wirral, ſive *Uidr hal*, quod *Aqua* eſt *cærulea ſalſa*. Fuêre etiam Æſtivi *Ceangi* in Venedotiâ, ubi & eidem Ptolemæo eſt *Canganorum* Promontorium, hodie dictum *Llyn*, ſive *Stagnum*, ut adverterat Camdenus; quod tamen in nonnullis exemplaribus pravè ſcribitur Λαγγάνων Ἄκρον, pro eo quod deberet eſſe Καγγάνων. Neque aliunde

aliunde ſanè ipſum *Venedotiæ* nomen. Quid enim nomen *Güinedh* niſi *Servilis Regio*; cùm & hodie *Gueini*, *Servire* ſit, & *Gueinidh* ſive *Gueinidaüc*, *Servus* ſive *Miniſter?* Veteri Bardo Lomarcho dicto Seni Venedoti dicuntur *Wynnion*, corruptè pro *Weinion*, quod eódem redit; atque etiam magis montani *Mæriones* ſive *Pecorum Cuſtodes*, *Gorwynnion*, *Ceangi* ſcilicet *ſuperiores*. Quin & inclyta Dynaſtia *Poüys* appellata ἢ ἢ βυκόλων γλῶ videtur ſignificare. Idem enim veteribus Britannis *Boü* & *Beu*, quod & Saxonibus *Koü* & *Keu*; *Uys* etiam antiquis dicebantur *Viri*, nam *Britanni* & *Saxones* veteribus Bardis *Argoetüys* dicuntur & *Lloegyrüys*. Eſt igitur *Boüys* vel *Poüys* idem quod Anglis dicitur **Cowmen.** Exiſtimaverim etiam Orduicibus fuiſſe Hybernos *Ceangos* in Anonymo Pago, hodie de *Stavano* ſeu Flumineo *Trajectu* dicto *Staveford* ſive **Staſſord**; unde & immenſo Ericeto nomen **Cank-heath**, quod *Ceangorum* eſt *Ericetum*. Æſtiva forſan fuerant in immenſâ Arduennâ Sylvâ, quâ ferè Præſidiarius Conventus ſive Warwiccanus hodie conſtat. Nam & iſte Pagus Ptolemæo eſt ἀνώνυμος; atque ipſum nomen **Warwick**, quod *Præſidium* dicitur *Huicciorum*, ſatis indicio eſt illum fuiſſe Orduicum, ſive Huicciorum. Fuerint & Coriis ſive Coricenis Æſtiva verſus montem Beccum in Derventionenſi Regione; Hyberna autem in Borealis Antonianæ vaſtatis à Gallis campis; nam & iſti Pagi Romanæ Geographiæ ſunt anonymi. Cattieuchlanis Hyberna videntur fuiſſe in *Bedfordiano* Conventu, de *Tabulato Oxæ Trajectu* ita Saxonibus appellato; Æſtiva autem in Auſtralibus Girviis, qui quidem hodie Huntedunenſis Conventus dicitur. Salenæ certè ad Cattieuchlanos ſpectabant Ptolemæi temporibus. Fuerint & Ancalitium immenſæ Sylvæ Attrebatibus pro Hybernis, ut & Bibrocorum pro Æſtivis, cùm harum etiam gentium nulla ſit apud Ptolemæum mentio, qui imperitantium Civitatum tantùm meminit. Icenis majo-

ribus

ribus Hyberna fuerunt apud Icenimagnos, Nordofolcienſes ſcilicet Paſtores, & Sudofolcienſes Bubulcos; Æſtiva verò apud Boreales Girvios, ubi hodie Cantabrigiæ Pagus eſt, & Anguillaria Inſula. Siquidem *Gyrüys* appellabantur veteribus Britannis *Actores pecorum.* Fuerint etiam Orientalis Saxoniæ ſive Guepponiæ Saltus atque Paludes Trinoüantum Æſtiva, Regioque Tranſtameſina (Saxonicè dicta Suðriȝe, ſive *ad Auſtrum fluminis*) Hyberna. In quâ regione & Lætetun ſive **Gatton** forſan fuerat *Caprile Septum*, quod poſſit Britannis dici *Gabrodunum*; certè vel Romanorum nummuli Antiquitatem Loco aſſerunt. Segontiacis ſive Belgis propriè dictis ſufficiebat Anderidæ immenſa Sylva: Durotrigibus etiam Carviliorum campi, qui forſan ob eam rem anonymi ſunt Ptolemæo. Cantiis fuêre ſui Saltus & Solitudines in mediterraneis ſui partibus, hodie **The Wouldſ**, ſive *Nemoribus:* quod idem & de Dobunis affirmare licet in ſuo **Coteſwould**; quod ibridâ voce proferri videtur de Britannico *Coit*, Teutonicoque **Wold** vel **Wald**, quod idem ſonat. Neque enim aliud **Woldſ** quàm **Woodſ**, etſi nullæ hodie compareant illis locis *Sylvæ.* Quin & *Nemus* à *Sylvâ* diverſum eſſe oſtendit in Metamorphoſi ſuâ Ovidius hiſce verbis:

Eſt nemus *Æmoniæ prærupta quod undique claudit*
Sylva, *vocant Tempe* ——

Neque tamen minùs *Nemus* pro *Sylvâ* habendum eſt. Siluribus erant ſui Demetæ ſive Pecorarii, de quibus ſuo loco. Denique Brigantibus fuiſſe *Ceangos* Hybernos in Weſtmoriæ ſive Occidentalium Paludium Regione atque Cumbriâ, vel *Concangiorum* nomen in Imperii Notitiâ ſatis manifeſtum reddit; ut taceam de Deo *Ceango*, Cumbrorum Genio, de quo nos inferiùs dicturi ſumus in voce CONCANGII. Fuêre & Æſtivi Brigantum *Ceangi* in Pariſis. De Caledoniâ nihil attinet dicere, cùm tota eſſet Sylva, quod & nomen indicat.

CEANGUS,

CEANGUS, Cumbrorum Genius. Vide in CONCANGII.

CELNIUS fluvius eſt in Cantis Caledoniæ, in partibus Victurionum, à Ptolemæo memoratus. Videtur ſolutè ſcriptus fuiſſe *Kil ne iü*, quod eſt *Sinuoſus undæ* vel *maris Receſſus*. Et videtur oſtium Dabrianæ amnis ita appellatum; ut ſit magis Æſtuarium quàm Fluvius. Camdeno videtur dici **Killian** flumen in Mergis (etſi contradicat Ptolemæi ordo) tantùm ob ſonum nominis. Nihil obſtat tamen & alterum flumen huic eſſe cognomine, cùm Κέλνιος, ſive *Kil ne iü*, nihil ſit niſi *Aquæ ſeceſſus*, & per hoc *Sinus*. Fruſtra fuerit hic admonere & *Abrianam* & *Sabrianam* & *Dabrianam* Britannorum vetuſtis Dialectis idem valere.

CENA: Vide in CENIO.

CENIMAGNI: Vide in ICENIMAGNI; nam curtatè ſcribitur vel ab ipſo Cæſare, vel certè ab ejus exſcriptoribus. Diverſi ſunt ab his Gallorum *Cenimanni*.

CENIO, Ptolemæo Κενίων, flumen **Geney** eſt in Oſtidamniis: Ravennati Monacho ſcribitur mendoſè *Senua*, cum deberet eſſe *Genua*, tanquam *Geneu üag*, ſive *Fauces fluctûs*. Eidem Scriptori etiam eſt oppidum *Giano*, corruptè ſcriptum pro *Ganio*; atque illud Corinaviorum Dialecto (quibus *Geneu* dicitur *Ganou*) pro *Cenio*, vel magis *Genio*; hodie **Tregeney** ſive *Tre Geneu*, vel *Oppidum Genevæ*. Nam & *Geneva* & *Genua* ejuſdem ſunt Etymologiæ, cujus & noſtrum *Genio* vel *Ganio*. *Cenio* autem *Kend iu* eſt, ſive *Caput undæ*. Eodem eſt Etymo & *Genabon*, hodie *Orleans*; tanquam *Geneu Avon*, ſicuti & in Belgicâ Provinciâ inclyta urbs *Gandavum*, vetuſtâ Belgarum Dialecto *Ganau Dav*, ſive *Fauces Amnis*.

CENIO, apud Ravennatem *Giano*, Oppidum **Tregeney** eſt. Vide in ſuperiore.

CENIO: Eſt & in Noüantis Caledoniæ aliud flumen *Cenio*, quod Ptolemæo vitioſè dicitur Ἰῆνα

pro Κῆνα, vernaculè autem **Ken**, quod eſt *Caput*.

CENIO: Ad oſtium *Cenionis* fluminis eſt & oppidum cognomine flumini, dictum *Cenio*; quod Ravennati neſcio quâ Dialecto ſcribitur *Jano*; verùm voluit dicere *Ganio* (ut ſuprà in Oſtidamniis) quod eſt *Ganeu* vel *Geneu iü*, hoc eſt, *Fauces undæ*. Hoc videtur eſſe oppidum **Wigton**, quod ibridâ compoſitione *Fluctûs oppidum* eſt. Idem enim *Uæg*, *Uig*, & *Ui*, quorum Thema occurrit in Saxonico verbo Þæȝan, *Movere*; quod de Æolico videtur eſſe Ϝάγειν pro Ἄγειν.

CERDANTONA: Ita auſus ſum reponere pro eo quod in Ravennate monſtroſè ſcribitur *Termonin*, cùm deberet eſſe *Cerdonnin*, correptâ & veteri prolatione pro *Cerdantonâ*. Primi Britanni plenis verbis dicerent *Cerdh avon ton*, ſive *Curſus amnis tenti*. Etiam *Antona* in Segontiacis Belgis Ravennati noſtro recentiori loquelâ dicitur *Onna* pro *Annona*, quod eſt *Antona* prolatione illorum temporum. Oppidum autem *Cerdantona* Saxonibus dictum eſt Cridiantune, hodiernoque vulgo **Creditoн**. Satis hic vetuſtus locus in Dumnoniis.

CEROMORUM: Ita enim duxi reponendum pro eo quod apud Ravennatem duplici ſcripturâ venit, diverſâque etiam ſede. Nam & in recto caſu dicitur *Cermium*, & in ſexto *Ceromo*, & in Vaticano *Cermo*. Equidem hunc locum **Chirmers** eſſe ſentio ad ripam **Loch cur** in Noüantis, unde flumen Deva oritur, ut ſit ſolutè ſcriptum *Cür o mor*, ſive *Ora lacûs*: Neque aliud ſanè eſt **Loch cur** Linguâ Scotobrigantica veterum Novantarum ſive Gallovidiorum; & Scotoſaxonicum **Chirmers** corruptâ dicitur prolatione. *Ker* etiam Dialecto dici videtur pro *Cürr*, *Limbus* vel *ora*.

CERONES, ſive *Creones*, ſive *Carnones*: Ita enim in Ptolemæi Libris variè ſcribuntur, cùm non videantur eſſe diverſa à *Carnovacis*. Vide in CARNOVACÆ.

CEROTI

CEROTI INSULA apud Bedam ea dicitur, quæ hodie nobis eſt **Chertſey**, in Tranſtameſinâ noſtrorum Trinoüantum regione. Quis fuerit ille *Cerotus* neceſſe eſt hodie ignorari. Ejus nomen certè non videtur abſimile Britannico *Carataco*. Verùm Dumnoniorum veteri Dialecto *Kêr*, *Carus* eſt; *Ot* etiam ſive *Got* Veteribus erat pro *Adultero*. *Car* etiam Armeniis *Carus* eſt, de Κέαρ vel Κῆρ *Cor*. Videtur & hæc Inſula Ravennati Libro dici, pro *Cerotinas*, vitioſè *Certiſnaſſa*. Nam illud nomen in Vaticano Libro comparet in fluminum Catalogo.

CICUTIO apud Anonymum videtur dici **Stretham Grantham**, ſive magis *Grantavon*, hoc eſt, *Villa Stratæ ad amnis flexuram*; atque hæc eſt in Silurum Dynaſtiâ dictâ **Hereford** ſive Ariconienſi, ad confluentiam duorum fluviorum **Lodden** (ſive *Magnis* vel *Main-iſc*) atque **Frome**, ſive *Fraumæ*. Eſt autem Britannis *Main iſc*, *Tenuis amnis*, quod Saxoni eſt *Lod* vel *Lodden*, & *Frauma*, *Fluor*, à *Freu*, quod eſt *Leniter fluere*. Æoles etiam dicerent Ϝρέειν pro Ῥέειν. Eſt etiam Britannis nomen *Cicutio* tanquam *Keg u Tiü*, quod *Guttur* eſt *undæ* ſive *amnis*. Erat cùm crederem de verbo eſſe *Kydgydio*, *Copulari*. Idem autem erat antiquâ Brigantum Dialecto *Keg* ſive *Kic*, quod poſterâ Belgarum *Pip*: Siquidem Brigantibus, Æolibus, & antiquis Ibernis nullum erat *P*. Eſt etiam natio quædam Hyperborea ſive Americana quæ nullâ utitur Labiali literâ; de quâ videſis Hontani nuperum Itinerarium apud Canadenſes. Certè Articulatio omnis Linguâ fit, cùm de Gutture prodeant ferarum voces atque volatilium: Labiales Literæ tentamina ſunt rudiuſcula, ſive magis infantilia, voce utendi. Vide in DURNOVARIA, & in RIGODUNUM.

CILURNUM in Libro Notitiæ Statio eſt *Præpoſiti Alæ Secundæ Aſtorum*. Ravennati Geographo *Celunno* dicitur vitioſè, & ſexto caſu; in Vaticano etiam *Celumno*. *Cilurnum* iſtud Camdeno mecum

videtur *Fanum* esse *Sancti Osüaldi*, sive **Cilchester**, vel *Arx Cilurnum*, ad citerius Vallum, non ita longè ab utriusque Tinnæ confluentiâ. Si solutis verbis Britannicè scribatur, *Kil Evron* erit, quod *Sinus* est *Aquarum* sive *Fluminum*.

CINDENISCA: Ita enim fidentèr lego in Ravennate pro monstro *Ejudensca*; & numerus literarum, & res ipsa loquitur. Nam *Cindeniscam* **Kinkarden** esse censeo ad Iscam amnem, in partibus Victurionum. Britannis certè *Kind en isc*, Dialecto quâdam *Caput* est *Iscæ* sive *Fluminis*. *Isca* ista Ptolemæo *Tuæsis* dicitur; atque urbs etiam σωνόνυμως *Tuæsis*. Verùm & *Uisc*, & *Tüisc* cum Præpositivo *T*, idem valent. Hodiernum nomen **Kincarden** compositum videtur de *Kind*, *Caput*, & *Caer din*, *Arx urbica*; ut sit quasi *Princeps Arx* sive *Munimentum*. Vide in TÆXALI, & in TUÆSIS.

CINDOCELLUM in Ravennate Libro videtur esse Scotosaxonum **Elsbury-Head**, quod est *Antiquæ Arcis Caput*; in eâ Noüantarum sive Galloüidiorum Dynastiâ, quæ de Sylvâ dicitur **Kyle**, mendosè puto pro Scotobriganticâ voce *Coil*. Quid autem *Cindocellum*, nisi *Kind uchel* sive *Caput altum?* Vide in OCELLUM, & in UANDOGARA.

CINDOUIGLA: Ita enim audacter reposui in Anonymo pro monstroso *Lineojugla*; quod quidem necesse est esse nihili. Atque hoc est quasi dicas *Kind üi üegil*, sive *Principis aquæ* (*Vedræ* scilicet fluminis) *cervix*. Et *Cindoüigla* planè videtur esse quod nobis est **Chester on the Street**, sive *Urbs ad Stratam*, in Deirorum Episcopatu. Saxonibus antiquis ibridâ compositione Concestep appellatur: nam *Cand*, *Kend*, *Kind* & *Cond* variantibus Dialectis efferebant Veteres. Camdeno hæc statio *Condercum* putatur, ob primam puto syllabam. Vide in CONDERCUM.

CINGETORIX, quasi dicas Britannicè *Kenta Rig*, quod *Primus* est *Rex* sive *Ductor*, Germanis Celto-

Celtoſcythis *Hendric*, Britanniſque *Kendric*, & vitioſè *Kynnhurig*. Hic erat Cantiacorum atque Sociorum (Segontiacorum ſcilicet & Carviliorum) in bello adverſus Cæſarem atque Romanos Imperator ſummus ſive Ardiragus. Erat etiam ejuſdem nominis inclytus Rex *Vercingetorix* apud Gallos tempeſtate Cæſaris. Quid enim Ὀυερκιγγετώριξ (uti Straboni ſcribitur) niſi ſermone Celtarum veteri *Ur kenta rig* cum Articulo Britannico? Cùm autem veteribus Britannis, variantibus Dialectis, idem fuerit *Kend* quod & *Pend*, quid vetat & Ἀρχιβασιλέα Britannorum, ſive Ardiragum, nominatum fuiſſe modò *Pend Ragon*, modò etiam *Kend Rig* vel *Kend Ragon*, quod *Caput* eſt *Regum* & *Rex Princeps*, qualis & Βασιλεὺς μέγας apud Perſas? Etiam *Rag* Dialecto quâdam dici poſſe pro *Rig*, vel *Ardiragi* nomen indicat. Imò & hodiernorum Gallorum *Roy*, magis de Celtico *Rag* eſt quàm de Latino *Rex*, ut & *Loy* de Saxonico Laȝa, quod ab *imponendo* nomen habet. Vide in ARVIRAGUS.

CINNOLSA: Apud Anonymum immani vitio ſcribitur *Linnonſa*, & in Vaticano MS. *Linonſa*. Eſt enim **Collonſay** Inſula ex Ebudis; quæ veteribus Brigantibus dicta videtur *Kinnol ſüi*, Dialecto quâdam pro *Canol ſüi*, ſive *Medium Maris*: imò etiam σιωωνύμως *Colan ſüi*, ſive *Cor maris*. Oſtidamniis etiam hodie *Colan* dicitur pro Britannico noſtro *Calon*, quod pro *Corde* eſt.

CLAUANIS: Ita enim certè in Anonymo legendum pro vitioſo *Elaviani*. Ille ſcripſerat geminato *N*, *Clauinnis*. Maxima hæc eſt Ebudarum in *manûs* ſive *brachii* formam protenſa, hodieque **Lewis** appellata. Quid autem Britannis *Clauanis* niſi *Claü inis*, ſive *Brachialis Inſula?* Idem enim Britannis *Lhaü*, quod & Francobelgis **Klauwe**. Hæc olim continebat puto & **Paries** & **Euſt** Inſulas. *Ar ais* Ibernorum hodierno ſermone *Retrò* ſonat: atque *Euſt* forſan *Orientalis* eſt, de voce Teutonicâ **Oſt**. Crediderim hanc dici Ptolemæo κατ' ἐξοχὴν *Ebudam*.

CLAVINIUM apud Ravennatem mihi videtur dictum quod hodie *Portus* **Weymouth** est, sive *Fluctûs Ostium*; nam **Wey** sive *Ui* fluviolo nomen est. Equidem existimaverim datum *Clavinio* nomen de Insulâ *Vindeni* sive **Portland**, de *Clavinio Portu* ita nominatâ. Poterat & hæc Insula de curvati *brachii* figura *Claüinis* nomen mereri. Vide in CLAUANIS, & in VINDENIS. In Vaticano scripto Codice vitiosè dicitur *Clauimo*.

CLAUSENTUM: Vide in ANTONA.

CLED in Ravennate Libro flumen est Iberniæ nobis ignotum, nisi sit (quod sanè videtur) *Deblanensis Amnis*. Siquidem urbs ista dici videtur *Bala Cleach*, correptè pro *Cledach*; ut sit quasi *Ostium Clotæ*. *Cled* autem sive *Clüyd* Britannis dici videtur de *Crate vimineâ*, quâ pisces prehendi consuevêre: nam & *Clüyd* Britannis ejusmodi *Claustrum* est (uti & Scotobrigantibus Iberniæ quivis *Sinus* sive *Angulus*) de verbo *Cloi*, quod & Græcis Κλείειν est. Vide in DEBLANA.

CLOTA: Ita enim Ptolemæo scribitur rectiùs quàm Tacito *Glotta*; crediderim eum cogitâsse de Græco Γλῶττα pro *Lingua*. Nomen hoc insignis fluminis est in Valentiâ, quod vulgò dicitur **Clyde**, cujus Etymon est in priore. Est & altera *Clota* in Venedotis, Veteribus omissa.

CLOTA, Antonino *Glotta*, Insula est *Iberran*; quam vide.

COCCIUM apud Antoninum mihi videtur fuisse in Viâ vicinali, sive in anfractu Itineris, quod à Brennetonaci tendit ad Mancunium, in Seguntiis sive Segontiacis Brigantum, in loco ubi hodie **Adel Mill** est, sive *Vetus Molendinum*. De *Coccio* isto & vicinus locus dictus videtur **Cookridge**, sive antiquiore scripturâ *Cuceryge*, quod *Dorsum* sonat *Coccianum*. Illic sanè plurima rerum vetustarum vestigia dudum reperta sunt; inter quæ & sepulchralia quædam monumenta. Vide *Acta Philosophica* N° 282.

Forsan

Forſan & *Coccium* idem valet quod & *Cuceryge*; poſſit enim Veteribus dici *Coc cevn*, *Conſpicuum dorſum*. In Scotobrigantum Gloſſis etiam adhuc *Coc* reperitur pro *Conſpicuo*. Vide in ſequenti.

COCIDIS: Vetus Inſcriptio apud Cumbros Brigantum Ceangos reperta ſub Titulo DEO COCIDI videtur fuiſſe ex voto facta Genio fluminis, hodie **Coqued**, in Otodinis, quod quidem nomen correptè prolatum videtur de *Coc*, & *Neidio*, *Subſilire*, quod de fluminis fonte poſſit eſſe verum. Idem potuit valuiſſe Brigantum Linguâ *Coc*, quod & antiquis Gothis **Hauh**, & Teutonibus hodiernis **Hoch**: quò referendum & Anglorum **Cock-houſe** & **Cock-loft**. Certè vel Hebræis גג *Gag* dicitur *Tectum*. Vide in FANUM COCIDIS.

COCUNEDA apud Ravennatem videtur dici **Cocburn** in Gadenis Valentiæ; de *Cocneidio*, quod est, *In altum ſubſilire*. Vide in prioribus. In Vaticano dicitur *Cocenneda*.

COGIDUMNUS: Ita enim legendum cenſeo apud Tacitum pro vitioſo *Cogidunus*. Hic erat cui Oſtorius Scapula tanquam inſtrumento patriæ ſervitutis Civitates quaſdam permiſit, ut autor eſt Tacitus. Videtur vel ex nomine fuiſſe Dumnonius, & dictus veteri linguâ *Coc o Dumn*, quod eſt, *Altus Dumnoniæ*, **His Highneſs of Devon.** Vide in ſuperioribus. Fuerant autem Dumnonii (utpote Belgæ & Brigantum hoſtes) perpetui Romanorum ſocii.

COLANICA Ptolemæi & Ravennatis, hodie **Colcester** eſt ad Tinnam amnem in Otodinis, ut rectè advertit Camdenus; neque ita longè à Curiâ eſt. In quibuſdam Ptolemæi Codicibus legimus etiam Κολανία. Dici autem videtur *Colanica* quaſi *Col an uig*, ſive *Punctum* vel *Crepido fluctûs* ſive *amnis*. Extant illic & ingentia Antiquitatum rudera.

COLDANA, ſive *Coludi urbs* ut vocatur Bedæ, hodie **Coldenham** ſive *Coldana Villa* eſt. Et eſt in

Gadenis, nomenque ſuum traxiſſe videtur à *Colidiis* ſive *Caledonibus*.

COLIDII: Vide in CALEDONIA. Fuerant etiam Boïci generis Κόλδοι in Hercynio Saltu, prodente Strabone.

COLOMEÆ: Apud Ravennatem vitioſè legitur *Coloneas*, & in quarto caſu. Nullus dubito quin hoc ſit Anglorum **Camalet**, Nenniique noſtri *Caer Calemion*, juxta flumen **Juel**, quod plenis verbis eſt *Ui vel*, ſive *Undæ caput*, cui σωώνυμον eſt & Anonymi noſtri *Velox* ſive *Belox*. Hoc flumen eſt in Ceangis Dumnoniorum ſive Somerſætis. Quid autem veteri Brigantum ſermone *Coil Omion*, ſive alterâ Dialecto *Cal Emion*, niſi *Paſtorum Sylva?* Nam Francobelgis antiquis *Am* pro *Nutritio* eſt, ſicuti & Græcis Ἄμμα, *Mater Nutritia*, Hebræiſque & Ægyptiis Ἀμμῶν, *Nutritius Pater*, quæ omnia ab Ἀμμὸς deducta videntur: Siquidem & Hebræis אמה *Ammah* dicitur *Cubitus*. Erat autem univerſus iſte Pagus de ingenti Nemore dictus *Coit maür*, Saxonibus olim appellatus Selpuꝺꝛcıꝑe; quod Νόμος eſt vel *Pagus Magni Nemoris*. **Camalet** igitur prolatione inverſâ dicitur pro *Calamet*. Vulgus etiam fabuloſi Arthurii Caſtra hìc fuiſſe crepat. Forſan Arx iſta ab Ambroſio Aureliano communita eſt. Erant autem Dumnonii fidiſſimi Romanorum ſocii, utpote tranſmarinæ originis.

COLONIA: Vide in CAMULODUNUM; neque enim ab illâ diverſa eſt, quod nonnulli ſenſerunt.

COMBRETOVIUM apud Antoninum vel σωώνυμον vel vitioſum eſt: Vide in CAMBORITUM. In Voſſiano Codice dicitur *Compretonium*.

CONCANGII apud Imperii Notitiam, Ravennati turpiſſimè ſcribuntur *Coganges*, & in Vaticano *Ceganges*. In his erat *Præpoſitus Numeri Vigilum*. Solutè ſcriberent Britanni *Cüm Cangon* ſive *Ceangon*, quod *Convallis* eſt *Juvenum Paſtorum*. Siquidem *Cüm* Συνάγκιον eſt, ſive *anguſta* & *profunda vallis*, idemque

idemque penè ſignificat quod & *Cam*, *Incurvum*: nam & Scotobrigantum ſermone & *Cümadh* & *Cammadh* promiſcuè *Recurvum* ſonant. Saxonum **Kendale** vitioſè profertur *Ceang dale*, ſive *Ceangorum Vallis*: Juxta hoc, in viculo dicto **Waterbrook** Britanniæ Enarrator Gibſon veſtigia reperit hujus Arcis. Sit igitur **Kendale** in Weſtmoriâ ſive Occidentali Palude *Concangii* novi. Fuiſſe autem Brigantibus ſuos *Ceangos* conſtat & ex ipſo præmemorato nomine, & ex Votivâ Arâ, quam in Camdeni Cumbriâ reperimus peſſimè exceptam. Nos tandem ita repoſuimus;

DEO.
CEANGO. AVRELIVS. DIOTOVA.
MARTI. ET. MATRI. SVAE. ET.
EBVRACIO. PRO. SE. ET.
SVIS. VOTVM.
LIBENTER. MERITO.

Vide plura in voce CEANGI.

CONDATE Antonini eſt in Ceangis Devanis, hodieque vocatur **Northwiche**, ſive *Borealis Salina*. Hoc & Militaris via illuc tendens & Antonini ipſius Milliaria ſatis declarant, etſi Camdenus ejuſque ſequaces, ducti nominis ſono, ſtent pro **Congleton**. Græcis Ἁλυκίδες dicuntur ejuſmodi Salinæ.

CONDATE Ravennatis Monachi videtur eſſe **Loughborough** ſive *Ligaroburgus* in Coricenis vel Minoribus Icenis, Saxonibus olim dictus Lıȝaꝑbýrıȝ. Hanc urbem olim fuiſſe Regiam Villam, & à Britannis primis Saxonum temporibus direptam, autor eſt Camdenus. Atque hinc equidem conjicere licet *Condate* dictum fuiſſe Britannorum ſolutis verbis *Conda te*, ſive noſtri temporis ſcripturâ *Kynta ty*, *Prima* ſcilicet *Domus*, *Regia* ſive *Prætorium*.

CONDATE etiam in Arâ quâdam occurrit apud vicum quendam nomine **Tonsby** effoſſâ, juxta **Piers Bridg**, ſive *Petri Pontem*, ad flumen Tuæſin in Deiris, quod me docuit eruditus Camdeni Interpres

Gibſon. Atque hujus quidem nominis veſtigium etiam hodie eſt in voce **Consby**, quod correptè profertur pro *Condateſby*, ſive *Condatis vicus*. Eſt quartum *Condate* apud Gallos non longè à Rhodano fluvio, quod nunc *Chana* dicitur, teſte Valeſio. Erat etiam & quintum non ita longe ab altero ſitum; quorum utriuſque & Peutingerianæ Tabulæ & Ravennas noſter meminêre. Denique & ſextum etiam fuerat in Aremoricâ, Rhedonum Caput ſcilicet, hodie *Rennes*, cujus meminit Antoninus; quod & Surita putat *Condati* noſtro dediſſe nomen. Verùm nihil fuit neceſſe, cùm nomina iſta de communi ſermone Brigantum deſumpta ſint. Fuerit forſan & *Condate* oppidum *Condé* apud Belgas.

CONDERCUM in Imperii Notitiâ eſt; cùm Ravennati ſexto caſu ſit *Conderco*, & in Vaticano *Condecor*. Proximus hic Segeduno locus eſt, & prodente Notitiâ, ad Lineam Valli poſitus. Unde conjecerim eum eſſe Arcem **Bolſey**. Certè *Condercum* & **Bolſey** ſynonyma videntur vocabula. Nam & *Bolſii* Britannis *Vertex* dicitur *Undæ* ſive *Fluvii*, & *Condercüii*, *Caput undæ*. Camdeno videtur eſſe **Cheſter on the Street**, ſive *Arx ad Stratam*; quæ tamen non eſt Ad Lineam Valli. Hìc erat *Præpoſitus Alæ Primæ Aſtorum* juxta Notitiam.

CONGAVATA: Hæc in Notitiæ Libro tantùm invenitur. Ingenioſiſſimè conjecit Camdenus hanc eſſe Caſtellum hodie dictum **Roſe-Caſtle**, ad *Cavatam* amnem in Cumbris ſive Brigantum Ceangis. Dicitur enim quaſi *Cüm cavaüt*, ſive recentiori loquelâ *Kyvodi*, quod eſt *Surgere*; quaſi dicas *Roſendale*, ſive *Surgens convallis*: unde & *Cavata* (hodie correptè **Caud**) flumini nomen eſt. Hæc erat Statio *Tribuni Cohortis ſecundæ Lergorum*, prodente Notitiâ. Vide in CONCANGII.

CONOVIUM Antonini hodie **Conwey** eſt ſive *Aberconüy*, in Canganis Venedotiæ. Eſt enim *Condüi*, *Princeps fluvius* Brigantum Linguâ. Hæc urbs

Ano-

Anonymo noſtro *Canubio* ſcribitur ſexto caſu: nam & *Cand* aliâ Dialecto dicitur pro *Cond.* Vide in CANUBIUM.

CONOVIUS fluvius exſcribentium errore apud Ptolemæum Τοισόβιος dicitur, cùm ipſe Ptolemæus feciſſet *Conobius.* Hoc adverterat ante me in Britanniâ ſuâ Camdenus.

CONSTANTINUS, Dumnoniorum Regulus, antiquo Gildæ memoratus. Crediderim Romanæ fuiſſe originis.

CORABONA, flumen **Carron** in Valentiâ. Vide in ABERCORN, & in CARNOVACÆ: nam duæ ſunt *Corabonæ.*

CORDA Ptolemæo & Ravennati Libro eodem modo ſcribitur; & videtur dici quaſi *Cor Dav*, ſive aliâ Dialecto *Div*, ut ſit *Vertex Divæ* amnis. *Dav* autem & *Div*, adjecto Præpoſitivo *D*, *Aquam* ſonat. Unde ſuſpicari licet eam fuiſſe ipſum Lacum, dictum vulgò **Loch cur**, apud Selgovas, ad *Devæ* ſive *Divæ* Caput. Vide ſimile exemplum in LEVINOXANA. Vide etiam in CEROMORUM.

CORGUBA: Ita ſanè legendum in Ravennate pro vitioſo *Corſula.* Monæ appenditur hæc Inſula, quæ vel hodie vetuſto nomine *Caer Gybi*, ſive Scotobrigantica Dialecto *Caer Coib* appellatur. Atque hoc *Munimentum* eſt *Cohortis:* De Latino enim *Copiæ* Ibernorum *Coib* pro *Turmâ* vel *Cohorte* eſt. Sunt etiam hodie in Arce Montis veterum Caſtrorum veſtigia. *Caer Gybi* autem modò *Sacrum* dicitur *Caput* ſive *Promontorium.* Græci Ἱερὸν ἄκρον dicerent; ſicuti & hodiernum vulgus **Holy Head.** Quæ de neſcio quo minorum Gentium Sanctulo crepant ſuperſtitioſi quiſquiliæ ſunt.

CORIGAUNI, ſive malles *Coriceni*, Ptolemæo vitioſè ſcribuntur Κορισταῦοι pro Κορυγαῦνοι, de quo ex Latino Interprete Camdenus fecit Coritani. Hi *Minores* erant *Iceni* ſive *Igauni* ſive etiam *Vigantes:* nam ejuſmodi compoſita in hunc diem Britannis ſunt

familiaria, uti cernere eſt in *Cornant*, *Corgi*, *Corbedü*, atque his ſimilibus. In Ravennati Libro dicuntur *Corii:* In Græcò certè Exemplari Ῥάϑ Κορίων fuerat; unde & Latina Verſio ſuum *Ratæ Corion* traxit. Plurima Ptolemæi Exemplaria habent etiam Ῥάγαι pro Ῥάται, ſimili planè errore quo & Κοριτανοί pro Κοριγανοί, quod & emendationem noſtram præcipuè firmat. Crediderim horum Parentes, *Icenos* ſcilicet *Majores* vel *Lindenſes*, Saxonicis temporibus vocatos fuiſſe **Ikeneld**, cùm & Via quæ Londinio Auguſtâ per Durolicum & Cæſaromagum ad Ventam Icenorum pertendit, illud nomen repræſentet: nam **Ikeneldſtreete**, ſive *Icenorum majorum Strata* in nunc diem appellatur. Nomen etiam Stratæ (ut & hoc obiter moneam) per omnes penè vicos à Londinio per Durolicum ſive **Waltham**, uſque ad **Stratford** quod dicitur *Epiſcopi*, etiam nunc vulgo in ore eſt. Hodie *Coriorum* Pagus Leirceſtriæ dicitur Conventus. Suſpicor etiam Praſutagum, omnium Britannicorum Regum Theſauris locupletiſſimum, in his Regni ſui ſedem habuiſſe, quòd Lindenſes jam coloni eſſent Romani. Ad horum Ceangos ſive Paſtores ſpectâſſe videntur & lati Antoniani Campi, & Derventionenſis etiam Conventus. Quâ de re vide plura in voce CEANGI. Neque prætereundum hoc loco cenſeo *Icenos* in Taciti Libris mendoſè dici *Jugantes*, exſcriptorum vitio pro *Uigantes:* ut ſint *Corigauni* Britannis antiquis *Corüigon*, ſive *Corüigantes*, hodiernâ prolatione *Corüychon*, ſive *Corüychont:* nam & Pluralia in *on* antiquitùs etiam deſinebant in *ont*, quod vel Latinizata nomina oſtendunt. Vide in ICENI.

CORINAVII: Ita puto vocatos fuiſſe Veteribus quos hodie ibridâ voce *Cornüallos* ſive *Corinavios Gallos* dicimus. Video enim de *Corin*, *Vertex*, neſcio cujus *Corinæi* Phrygis ſabellam fuiſſe Monachis confarcinatam; atque oppidum quoddam ad hujus Pagi terminos Ravennati Geographo *Durocoronavim* ap-

pellatum; de quo nos quidem levi negotio *Durocorinavim* fecimus, quò omnia quadrarent Etymologia. Constat autem ex Ptolemæi Tabulis fuisse Pagum istum in partibus Dumnoniorum; cùm ille Ocrinum Promontorium dicat Dumnonium. Imò Pytheæ Massiliensi Græco Scriptori & Ὠριδάμνιοι dicti videntur, tanquam *Ueis ti Duvnon*, sive *Vernæ Dumnoniorum*. Quâ de re vide plura ad vocem OSTIDAMNII. Et forsan hìc fuerant Ceangorum Hyberna, uti nos suprà retulimus ad vocem CEANGI. Utcunque illud fuerit, satis constat, Britannis jam ab Occiduis Saxonibus ultra Tamarum fluvium actis, ortum hìc fuisse novum *Corinaviæ* sive Ostidamniæ Regnum, Latinizantibus Monachis *Cornubiam* appellatum; in quo Lingua Belgica antiqua, quæ & Aremorica, nondum ex toto extincta est. *Corinavia* autem, si solutè scribatur, erit Britannis *Corin aü*, vel hodiernâ Britonum loquelâ *Kern aü* sive *Kern iü*, quod & *Vertex* est, & *Cornu Maris*. Vide in DUROCORINAVIS.

CORINIUM: Ita enim Ptolemæo dicitur, cum Antonino sit *Durocornovium*; quod quidem solutè scriberent Britanni *Dür o corn o üi*, quod *Profluens* est *principis undæ* sive *amnis*; ut sit *Corinium* idem quod *Corn iü*, sive *Princeps unda* vel *amnis*. Siquidem *Corn o üi*, & *Corn aü*, & *Corn iü*, idem ferè sonat quod & *Sav Rian*, sive *Amnis Regina*. Dicitur enim *Corn iü*, *Princeps unda* vel *amnis*, eodem modo quo & *Carn lheidr*, & *Carn buttain*, *Latro* est *princeps*, & *Scortum princeps*. Imò & Hebræis ipsis קרן הפוך *Keren happuch*, quod *Cornu* est *Stibii*, & קרן עמו *Keren gnammo*, quod *Cornu* est *populi ejus*, *Princeps* est *Stibium*, & *Princeps Populus ejus*; accepto scilicet *Cornu* μεωνυμικῶς pro *Capite*. De flumine igitur, quod & *Corinius* erat Veteribus & *Durocornovius*, hodie verò correptè Churn, nomina sua traxit Civitas. Saxonibus antiquis hæc urbs dicta est Cypen-ceaster, quod *Urbs* est *Corinium*. Fuisse autem Roma-

Romanorum temporibus hanc principem Glevani Conventûs urbem vel inde patet, quòd in Ravennate Libro ſcribatur *Corinium Dobunorum*, & in Vaticano MS. vitioſè *Ciromum*. Principem autem modò dico Britannici generis, non Romani. Diverſi enim habitabant initio Britanni atque Romani, quòd minimè inter ſe fiderent.

CORINIUS, ſive *Durocornovius*, **Churn** flumen in Dobunis. Vide in ſuperiori voce.

CORIONDI, gens Ibernica apud Ptolemæum, qui Camdeno ſatis probabili ratione videntur eſſe *Corcagienſes*. Cùm autem veterum Britannorum *Coriaceæ naves* dicantur *Curucæ*, ſatis veriſimile eſt oppidum *Corcach* dici quaſi *Navale*, incolaſque Regionis de *Curucis* iſtis appellatos *Coriondos*, quaſi *Navigatores*. Dici potuerat & ipſum oppidum *Coriondium*, de *Corion Diü*; quod Dialecto quâdam poſſit eſſe pro *Coria Marina*. Certè *Pelles* etiam hodie Britannis dicuntur *Crüyn* de Græco Χρῶς, quò ſpectat & Latinum *Corium*. Vide in CURUCA.

CORNAVII apud Ptolemæum Scrobeſburgenſem Pagum, unà cum utriſque eorum Canganis ſive Ceangis, Devanis ſcilicet & Venedotianis, tenuêre. Et videntur hi fuiſſe primis temporibus unà cum Siluribus cognatis ſuis in Icenorum Clientelâ, quòd hi omnes Geüiccià Provinciâ ſive Britanniâ Secundâ continerentur. Veriſimile eſt etiam univerſam iſtam Provinciam quondam paruiſſe Belgis, armis eorum ſub primum eorum adventum ſubactam; poſtero autem tempore, receptâ patriâ Libertate, potentiſſimum Iceniæ Regnum condidiſſe. Lingua certè quâ hodie loquuntur Britanni Belgobriganticam ſapit originem; nam Literâ *P* utuntur, quâ vetuſtiſſimi Brigantes abſtinebant. Ævo tandem Magni Conſtantini Attacottia noſtra Præſidialis facta eſt Provincia, & Flavia Cæſarienſis de Conſtantino Flavio appellata, ſicuti nos ſuperiùs retulimus in voce BRITANNIA. Validiſſimam autem fuiſſe *Cornaviorum* gentem,

gentem, præterquam quòd *Legio XX Valeria Victrix* huic frænandæ oppoſita eſt, vel inde patet, quòd eâ uterentur Romani in Legionibus. Siquidem legimus in Imperii Notitiâ *Tribunum Cohortis Cornoviorum* fuiſſe *Ponte Ælii* in Otodinis. De flumine autem *Sabrianâ* nomen ſuum ſortiti videntur. Siquidem, uti ſuperiùs diximus ad vocem CORINIUM, & *Corn aü*, & *Corn oüi* idem ferè ſonabat, quod & *Sav Rian*. Fuiſſe autem & *Sabrianæ* fluvio nomen *Cornavio* ſive *Carnovio*, ſatis indicio eſt *Carnaü*, ſive *Carnovius*, inſignis *Sabrianæ* ramus in Dynaſtiâ Montegomericâ; ubi & viculus eſt cognomento *Carnaü*. In Anonymo autem Ravennati *Cornovinorum* legendum cenſeo, pro eo quod in edito Libro eſt *Cornoninorum*, & in Vaticano *Cornoviorum*. Unde novimus eos & *Cornavios*, & *Cornovios*, & *Cornovinos* fuiſſe indifferenter appellatos.

CORNAVII: Erant & in Valentiâ Provinciâ *Cornavii* alteri, quos Ptolemæi Libri & Κορναβίοις & Κορναβίοις diverſâ ſcripturâ appellant. Fuerant iſti in **Strathnavern**, quod quidem correpte dicitur pro *Strath na av Rian*, quod *Strata* eſt (& per hoc etiam *Vallis*) *Amnis Reginæ*, *Abrianæ* ſcilicet ſive *Sabrianæ*. De cognomine igitur flumine & Populus etiam cognominis eſt. Vide in NABRIANUS.

CORNOVINI: Vide in CORNAVII.

CORSTOPITUM: Vide in CURIA OTODINORUM.

COUNENNOS, Ptolemæo Κωυνήνν@, & plurimis ejus Libris nimis correptè *Counos*: Tameſina hæc Inſula eſt, modò continenti ripæ juncta, vulgoque Anglorum dicta **The Iſle of Dogs**, id eſt, *Canum Inſula*. Idem ſane Veteribus *Cün inis* ſive *enis*, quod & Græcis Κυνῶν νῆσ@. Antonino hæc Inſula mendoſè dicitur *Conuennos*; ut & Ravennati inverſâ compoſitione *Inſenos* nimis correptè pro *Iniſecounos*; Britanni dicerent *Inis e cün*, eodem intellectu quo & *Cün inis*. Quid apertius? Faceſſat igitur Camdeni Inſula

Canvey,

Canvey, ſive *Canubia*, quæ & ipſa dici poterat Britannis de *Cand* & *Ui*, *Fluctûs* ſcilicet *Capite*.

CREGIDONA: In Ravennate Libro perverſè ſcribitur *Credigone*, Græco etiam caſu, ſicuti aliàs *Navione* pro *Vainona*. Eſt autem *Cregidon* ſolutè ſcriptum *Cregin don*, *Teſtaceorum* ſcilicet ſive *Cochlearum oppidum*: & videtur eſſe **Creighton** in Maiatiâ ſive Citeriore Caledoniâ. In noſtro etiam Cantio *Cregandunum* ſive *Cregidona* eſt, quæ hodie correptè dicitur **Croydon.**

CROCOLANUM, aliàs mendoſè Antonino dictum *Crocolana*, hodie **Antcaſter-Heath** eſt apud Icenos Majores ſive Lindenſes; quaſi dicat quis *Y Grug lân*, ſive *Ericetum ſpecioſum*: quomodo & in Stadfordienſi Pago *Pennocrucium* eſt *Pen o grug*, ſive *Caput Ericeti*, Anglis vitioſè **Penkridge.** Vide in VENTA ICENORUM.

CROTA, Britannorum Inventum; nam Venantio Poëtæ *Crota Britanna* dicitur: vulgò hæc *Violina* appellatur. *Crôth* ſive *Crüth* Britannis pro *Utero* eſt & quolibet *Ventre*; uti etiam Syris כרת *Crath*. Græcis etiam Κρωσσὸς *Uter* eſt ſive *Hydria*. Dicta videtur etiam Veteribus *Telon*, quæ vox noſtratibus *Citharam* ſonat; cùm contrà Deucaledoniis Scotis *Crüth* hodie *Cithara* ſit. Certè Straboni Κιθαρισὴς dicitur *Telonis* quoddam Promontorium de formâ puto Portûs; qui tamen *Crotæ* magis quàm *Citharæ* figuram refert. Neſcio an Græcum Κιθάρα de voce *Crüth* ſit; certè *Tâl* Armeniis pro *Hymno* & *Cantico* eſt, unde Deminutivâ formâ *Telyn* ſive *Telon* pro *Citharâ* noſtris Britannis.

CROUCINDUM: Malè ſcribitur Anonymo *Croucingo* ſexto etiam caſu. Hodie ibridâ compoſitione Scotoſaxonicè dici videtur **Craghead.** Veteribus autem Britannis *Crug*, *Saxeus tumulus* erat, & *Kind*, *Caput*. Eſt autem **Craghead** in Clotanâ Valle ſive **Clydesdale.**

CRUMON:

CRUMON: Vitiosè in Ravennate dicitur *Cirimon*, & in Vaticano *Eirimon:* nam **Crumstone** hodie dicitur Insula quædam Lindisfarnensis. *Crüm man* Britannicè loquentibus *Curvatus* est *locus:* verùm cùm Insula Anglis dicatur ibridâ voce **Crumstone**, equidem crediderim illam Britannis vocatam *Crüm maen*, quod *Incurvum* est *Saxum*.

CUNETIO apud Antoninum, Ravennati vitiosissimè scribitur sexto casu *Cimetzione*, pro *Cunetzione*. Notissimum est sequiori tempore *tzio* scribi solitum pro *tio*, de corrupto scilicet oris sono; quòd etiam Vocalis *I* haberetur pro Consonâ. Hodie **Marlborough** (sive *Marlburgus* vel *Marlberga)* dicitur; & est in Carviliis sive Wiltunensium Pago, ad cognominem fluvium *Cunetionem* sive **Kennet**, Saxonibus Cynetan appellatum, quasi *Kynnyt avon*. Verisimile est tamen factum ab urbe flumini nomen de more sequioris ævi. Est autem urbs *Cunetio* de Plurativo *Kynnytion*; quo nomine Britannis veteribus *Focalia ligna* appellantur, de *Kynneu* quod *Accendere* est, & *Üydion*, *Ligna*. Videtur hic Locus antiquissimo Bardo Lomarcho Seni, qui sexto sæculo floruisse fertur, in Threnodiâ quâdam, quam in amissos filios composuerat, appellatum fuisse duplici vocabulo, *Rhyt Kynnyt* scilicet sive *Trajectus Cunetionensis*, & *Rhyt Vorlas* sive *Morlais*; unde conjicere licet *Morlais* vetustum fuisse flumini nomen (de *magnâ* scilicet *voce* sive *sonitu undarum* ita dictum) quasi *Grandisonum*, cùm sint in Flaviâ nostrâ alia etiam duo huic cognomina flumina. Equidem existimaverim & de *Morlais* flumine tractum fuisse hodiernum urbis nomen *Marlburgum*. Est & in Britannia Transmarinâ oppidum *Morlaix* sive *Morlais*. Ponitur etiam in veteribus Britannorum Genealogiis nescio quis *Kynyd Kynüidion*, qui forsan *Cunetus* dicendus est *Cunetionensium*, de Loci nomine. Longè latéque temporibus nostris per totum terrarum orbem inclarescit *Cunetionis* nomen cognomento sui Ducis, Gallorum Triumphatoris.

CUNINIS:

CUNINIS: Ravennati correptè extritâ mediâ syllabâ *Cunis* dicitur; & est Insula Kanney in Ebudis. Idem habet Etymon quod & suprà *Counennos*. Quin & ibridâ compositione Kanney dicitur pro *Cün ey*, quod *Canum* est *Insula*.

CUNOBELINUS, hoc est, *Cond velin*, *Capite flavo* sive Ἡλιῶνλι: nam de *Bêl* sive *Belin*, *Sole*, *flavus* color & *Melin* & *Velin* dicitur. Hic sub Augusto atque Tiberio totius Insulæ Ardiragus sive Pendragon fuit, Cartismanduæ Brigantis connubio potens: Portoria tamen, prodente Strabone, Romanis pendebat; unde & vox *Tascia* in nummis ejus vel hodie comparet. Crediderim etiam Icenorum fuisse Regem, adeoque Brigantici generis, quòd Caratacum filium præfecerit Siluribus, & Togodumnum (uti ex nomine conjicio) Dobunis; ut sit antiquissimus Glevanorum Ducatus. Quinetiam, autore Dione, Camulodunum Regni ejus caput fuerat; quod cùm in finibus Icenimagnorum fuerit, illorum juris initio fuisse censendum est, cùm in Ptolemæo sit Trinoüantum. Credibile est Icenos veteris Britanniæ populos, amicitiâ usos Romanorum frænandis Belgis Primæ Britanniæ populis, quibuscum solis Cæsar bellum gesserat. Belgobrigantes isti, ut verisimile videtur, dudum Belgarum jugum excusserant, creato sibi Silure Pendragone. Siquidem gens Silurum, prodente Tacito, omnium Britannorum fortissima habita est, quod & inclyti Carataci gesta satis probant. Erat autem Camulodunum satis opportunè situm, cùm ingens possit esse metus Icenimagnis, Icenorum Pecuariis, à Trinoüantum Ceangis, qui nemora & paludes Orientalis nostræ Saxoniæ seu Guepponiæ obsedêre. Certè Campestres Britanni omnium erant bellicosissimi. Vide in TASCIA.

CUNOGLASUS apud Gildam, Brigantibus dici videtur quasi *Cond glâs*, quod est, *Capite subcano*. Ipse tamen Gildas *Leonem fulvum* reddidit; quod *Keneu* sit Britannis *Catulus* vel Leonis vel cujuslibet

alius

alîus feri animalis, & *glâs* etiam quivis *medius color*. Verùm magis Derisor erat Gildas quàm Grammaticus. Credibile est hunc Cumbrorum sive Brigantum fuisse Regem; quod & ante me conjecerat Stillingfleta.

CURIA DAMNIORUM Ptolemæi, Ravennati nostro monstrosâ planè scripturâ *Coritiotarcelerion* (in Vaticano MS. *Coritiotar celouion*) dicitur; de quo nos felici, uti quidem fidimus, conjecturâ, Græcis Literis (nam & de Græco est Ravennate Itinerarium) Κορία τῶν Ἀρκελεδίων fecimus, quod quidem Latinè proferendum foret *Curia Arcelediorum*; ut sint *Arceledii* sive *Ardcaledones* iidem qui & Ptolemæo *Damnii*, correptè puto pro *Daneu müieu*, vel *Montes maximi*. Quin & *Arceledii* iidem planè videntur (si sedes spectes) qui hodiè *Albani* & *Ardguideli*, *Alti* scilicet seu *Montani Scoti* appellantur. Est autem *Curia* ista ad ulterius vallum posita, hodieque corruptè **Caer-pen-talloch** dicitur, cùm deberet dici Pictorum veteri Dialecto *Caer-bein-taloch*, quod est *Arx* vel *Curia montium sublimium*. Unde constat etiam Deucaledoniæ Monticolas Romani fuisse juris. Constabat *Curia* ista Cohorte sive Comitatu Præfecti illius Alæ quæ Alatis Castris agebat. Atque hinc quidem luce meridianâ clariùs patet Scotos, exeunte jam septimo sæculo, admodum obscuri fuisse nominis in Valentiâ, cùm neque nomen eorum compareat in Geographiâ: Contrà *Arceledii* seu *Deucaledonii Picti* toti *Arguideliæ* nomen dabant. Caroli Magni tandem temporibus Nordanhumbrani Saxones, metu Danorum atque Pictorum, Scotobrigantes (veteres scilicet socios) de Iberniâ accersivêre; cùm antehàc admodùm angusta esset Dalreudinorum portio, neque publicâ memoriâ satis digna. Caledonum igitur Triarchia eâdem ferè tempestate migravit in Monarchiam, quâ & Saxonum Heptarchia, eâdemque de causâ, Danorum, seu Vandalorum metu. Vide in DALREUDINI.

CURIA

CURIA OTODINORUM, quæ apud eundem Ptolemæum eſt, non minori prodigio Ravennati dicitur *Corielopocarium*, de quo nos pari fiduciâ fecimus Græcè Κορίας Ὀτοδανίων, ſervato Literarum numero; ut ſit & Latinis Literis *Curiæ Otodaniorum*. Iidem enim *Otodanii* diverſâ Dialecto qui & *Otodini* & *Bernicii*. *Curia* iſta certè poſteris temporibus *Cohorte* conſtabat ſive Comitatu *Ducis Britanniarum*, quæ jura reddebat Brigantibus atque Otodinis: Dux ipſe forſan Prætorii agebat apud Pariſos. In Anonymo videtur *Curiæ* dici in Genitivo, omiſſo generalitatis nomine, quod idem factum eſt & in *Minervæ*; quâ de re nos inferiùs dicturi ſumus. Hodie, ut oſtendit Camdenus, ibridâ voce Corbridg ſive *Curiæ Pons* dicitur: etſi crediderim & Corbridg corruptè ſcribi pro *Corbyrig*, ut ſit *Curiæ burgus* ſive *Caſtellum*, adjecto generalitatis nomine. Hic locus ad ripam Tinnæ eſt, Henricoque Huntendunenſi Cure dicitur. Unde & pronum eſt credere Antonini *Corſtopitum* vitioſè ſcriptum eſſe pro *Cohortis Oppidum*; præſertim cùm aliàs nulla ſit tam clari loci apud Antoninum mentio. *Cohortem* autem modò dico non militarem, verùm *Curialium gregem*, quam & nos hodie corruptè Court appellamus. De Ravennatis etiam *Corie* nos ideò fecimus Κορίας, quòd crediderimus & Græcum hujus Itinerarii Exemplar retuliſſe Græcis literis Latinum Genitivum *Curiæ*. Neque illud mirum videri debet, cùm & Latini Caſus in ipſo Ptolemæo reperiantur, ut in Ὀυερόβιαμ, Ὀυιρυέδρυμ, & ſimilibus. Nam de Latino quodam Codice multa hauſit Ptolemæus. Crediderim & in Belgio olim fuiſſe *Cohortis Oppidum*, quod hodie appellatur Kortrijk.

CURUCA, navis Celtica *coriacea*, & penè *rotunda*, quales & veterum Saxonum *Giulæ* (ſive Pawles) & Italorum *Liburnicæ*. Romanorum Naves à figurâ *Longæ* vocatæ ſunt: quò referendum Britannorum noſtrorum *Lhong* pro quâvis *Nave*. Vide in BAS-

CAUDA.

CAUDA. Plinio *Curucæ* dicuntur *Vitilia navigia corio circumsuta.* Talibus enim Silures navigâsse scribit ad Cassiteridem Insulam Victim. Quin & Cantabros reliquosque Boreales Hispanos διφθερινοῖς πλοίοις fuisse usos ex Strabone constat; imò & Babylonios ipsos ex Herodoto.

D.

DALREUDINI SCOTI: Hi consedêre in Deucaledoniâ circa annum à nato Christo DIII. & Arguideliam & Drumalbaniam sive Dorsum Albanicum tenuêre. Verum fuerant adeo obscuri nominis, ut jam septimo exeunte sæculo Ravennati Monacho vel ignoti fuerint vel neglecti: nam Arcelediorum sive Ardcaledonum Pictorum tantùm meminit. Neque est ut quis dicat eum Veterum Geographiam descripsisse, cùm Orcadum vera nomina ignorare se prodat, quòd à Barbaris occupatæ sint. Constat etiam eum neque Ptolemæum neque Antoninum unquam legisse; vel si legerit eorum scripta, neglexisse. Est autem *Dal Reuda*, Scotorum antiquâ linguâ *Portio Reudæ* Ducis, ut prodit Beda. Verùm huic contradicit ingeniosissimus Flahertius, qui ostendit Ibernis *Dal Riota* dici Familiam quandam è *Riotâ*, Regiunculâ Septentrionalis Iberniæ. Nam & *Dal* illis tam *Portio* est quàm *Familia*; & possit etiam *Riotæ* nomen idem sonare quod hodie *Rioghachd* sive *Regnum*; unde etiam Anglis nostris **Riot** *Insana* dicitur *lascivientium turba*, & *comessatio.* Britannis etiam nostris *Rhiolty* dicitur opiparus epularum in magnatum prætoriis apparatus: nam *Rhiolty*, *Regia domus* est. Etiam Flahertus cœpisse putat Scotorum Regnum sæculo septimo.

DAMNII: Hi quibusdam Ptolemæi Exemplaribus vitiosè scribuntur Δαμνόνιοι. Deucaledoniæ populus hi fuerant, de quibus nos suprà ad CURIAM DAMNIORUM retulimus. Pro diversis autem

Britannorum Dialectis, *Dan*, *Den*, *Din*, *Don* atque *Dun* indifferenter efferebantur. Quin & ipsis Græcis Δίνη & Δόνος vel Δῶνος, *Vertigo* quædam dicitur.

DANMONII: Vide in DUMNONII.

DANNAVANTRIA, hodie **Daventry**, quasi dicas *Dan avon tre*, quod est *Oppidum intra amnem*. In Antonini Codicibus mirâ errorum varietate *Bannavantum*, *Bennaventa*, *Bennavenna*, *Isannavaria* & *Isannavantia* leguntur; de quibus omnibus nos *Dannavantriam* expiscati sumus. Etenim pronum fuerat scribere *IS* pro *B*; reliquæ verò literæ vel in hâc vel in illâ comparent lectione. Adde quod maxima sint *Dannavantriæ* Romanorum Castrorum vestigia, quod vel ipse advertit Camdenus; etsi in primâ Britanniæ suæ Editione Jovem Lapidem juret *Bennavennam* (quam & ex ingenio *Pennavennam* appellavit) esse *Borealem Antonam*, quæ Ravennati *Eltabon* dicitur; & in novissimâ *Uidunum* sive **Weedon**, etsi nulla Antiquitatum vestigia illud confirment. Verùm in illo falsus est Vir alioquin sagacissimus, quòd crediderit Antoniniani Itinerarii tempore militarem viam processisse per **Stony-Stratford** sive *Lapideum ad Stratam Trajectum*; & quòd non adverterit desertam fuisse ex parte magnâ eam viam, postquam Legiones à Flaviâ nostrâ revocatæ sunt. Unde factum esse existimo quod Ravennati nulla sit hujus *Stratæ* mentio. Nam per Tamesam, Branavim, & Alaunam, Londinio Veroconium tendit. Nobis certè *Durocobrivis* ad Abbatiam **Woburn** est, & *Lactorodum* sive *Lectoretum* ad viculum appellatum **Lathbury**, sive *Lactoburgum* in Ancalitum Agri Limitibus. Certè Antonini Milliaria non multùm abludunt, etsi sint vitiosa. Existimaverim etiam, ob Itinerarii intervalla, militarem viam processisse anfractu quodam *Dannavantriâ* Bennonim per *Dunomorum*; ita enim crediderim Romanis appellatum fuisse **Stretton**, sive *Oppidum ad Stratam* in Pago Præsidiario sive **Warwick**, ob vicinum Ericetum nomine **Dunsmore**.

DANUM (ſive magis *Daunum*) ab Antonino memoratum, hodie **Doncaſter** eſt ſive *urbs Daunum*, ad *Daunum* fluvium, qui Britannis, adjectâ Præpoſitivâ, *Davon* eſt, & correptè *Daun*; quod quidem antiquâ Linguâ *Amnem* tantùm ſignificat. Ravennati Monacho hoc flumen corruptè *Naurum* dicitur. Urbs ipſa Nennio Britanno *Caer Daun*, ſive *Arx Dauni* appellatur; & eſt in Segantiis ſive Occidentali Brigantum Triarchiâ. Statio hæc fuerat *Equitum Criſpianorum*, prodente Notitiâ.

DARENI (in quibuſdam Ptolemæi Codicibus vitioſè Δάρνοι, & in pluribus Δάρνιοι) dici videntur quaſi *Quercigenæ*. Nam *Dâr* Britannis pro *Quercu* eſt, & *Geni* vel *Eni*, pro *Naſci*. Populus hic Iberniæ eſt in *Voluntiâ* ſive **Ulſter**, de quo forſan & Urbs **Derry**, ut & *Dairmach* ſive *Quercea Civitas*, quæ & **Ardmach** ſive *Alta Civitas*, nomina ſua fortita ſunt. Veteres Romani *Daromagum* & *Ardimagum* dicerent, urbemque **Derry**, *Darquam*. Vide in ſequenti.

DAREOGLAS: Ita planè reponendum in Anonymo pro truncato *Daroecla* (quod in Vaticano vitioſè *Daræda* eſt) quò ſit ſolutè *Dareo glas*, ſive *Quercus virides*. Nobis ignoratum hujus Acmodicæ Inſulæ hodiernum nomen: Sed forſan abſorpta eſt. Etiam hodie Oſtidamniorum Dialecto *Glaſtan* dicitur *Quercus*.

DAREOGLASSIS, Anonymo vitioſiſſimè *Poreo claſſis*, Britannis ſolutè poſitum *Dareoü glas*, ſeu *Quercus virides*. Hodiernis Scotoſaxonibus urbs iſta dicitur **Glaſco**, ſive potiùs *Glas coit* ſive *Sylva viridis*.

DAUNUS, flumen **Daun** ſive **Don**. Vide in DANUM.

DAURONA ſive *Dabrona*, fluvius eſt Iberniæ ſatis notus. Ita enim Ptolemæo ſcribitur, cùm Giraldo noſtro ſit *Saverenus*, cùm deberet eſſe *Sabriana*. Idem enim Veteribus noſtris *Dav Rian* quod & *Sav Rian*, & utrumque *Amnem Reginam* ſonat. Ibernis

eodem intellectu *Avon Mor*, ſive *Fluvius Magnus* appellatur, Brigantico ſcilicet ſermone. Ravennati Libro *Sodiſmam* dicitur, ac ſi dicatur Scotobriganticè *Süi Diſman* ſive *Fluctus Diſmond*. Quid autem *Dis mam*, vel *Düiſc mam*, niſi *Aqua matrix?* Forſan etiam & Regioni *Momoniæ* nomen à *Moü mam* vel *Poü mam*, quod eſt *Regio mater*. Erant autem *Moü* & *Poü*, eadem quæ & *Magus* & *Pagus*, *Maes* & *Païs*.

DEBLANA: Ita enim planè reponendum in Ptolemæo pro truncato *Eblana*. Siquidem princeps ita Iberniæ urbs flumini Brigantibus appellato *Avon Lif*, ſive *Flumineo profluenti* (quod alio nomine *Duv lun* fuerat) nomen ſuum debet. Unde & de vitioſo *Eblani* & *Blani*, nos levi negotio fecimus *Deblani*. Eſt autem veteri Britannorum ſermone *Duv lun*, *Niger liquor*: atque ipſum *Lun* correptum eſt de *Lugan*, *Lugaün* & *Lugavon*; quo nomine *Limpidus* dicitur *Amnis*. Literæ initiales frequentiſſimè in Locorum Nominibus apud Geographos deperduutur. Sic & *Epiacum* & *Epidii* in Ptolemæo legimus pro *Pepiacum* & *Pepidii*, in noſtrâ Britanniâ; atque etiam apud Dalmatas *Ulcinium* pro *Dulcinium*, hodie *Dulcinio*; ut nihil dicam de Antonini *Etocetum* de quo nos fecimus *Letocerum*.

DEBLANI, Iberniæ populus: Vide in ſuperiore.

DECHA apud Anonymum Arx quædam eſt ad flumen *Decham* hodie vitioſè appellatum **Teith** ſive **Teich**, in Regiunculâ Deucaledoniæ hodie dictâ **Menteith**; quæ poſſit eſſe quod hodie dicitur **Doun-Caſtle** ſive *Duni Caſtellum*. Britannorum veterum verbis *Ment* vel *Mant Tech av*, *Oſtium* eſt *Techæ* ſive *Dechæ* vel *Fugacis aquæ*. *Techu* enim Britannis *Fugere* eſt, de Græco puto Τήκειν, *Colliqueſcere*, ſatis vicino ſono. Ejuſdem notationis videtur eſſe & Luſitanorum flumen *Tagus*: nam & hi, prodente Strabone, Celtici erant generis ſeu Brigantici. Imò

&

& Parisiorum nobile Caput *Lucotecia* appellatum videtur (tanquam de altero Secuanæ fluminis nomine) *Lug o Tech iü*, quod est *Liquor Amnis Fugacis*.

DEIRI apud Bedam, totam Brigantiæ Borealem Triarchiam, unà cum Episcopatu, complectebantur. Qui quidem *Deiri*, unà cum Berniciis sive Otodinis, Saxonibus pro Nordanhumbranis fuerant; etsi Nordanhumbranorum Regnum universam ferè Brigantiam, unà cum Romanorum in Valentiâ castellis sequentibus temporibus contineret. Latinum nomen *Deiri* (ut & nostrum Britannicum *Deivir*) Dialecto quâdam dici videtur pro *Duvn üyr*, *Profundi* vel *Vallici viri*; sicut è contrario *Bernicii* sive *Otodini*, quasi *Collini* appellati sunt. Scotobrigantes Iberniæ *Dumnan Fir*, & *Dovain Fear* appellarent. Brigantes autem nostri alio forsan prolatu *Deiv üyr*.

DELGOVICIA Antonini, Camdeno videtur vicus esse hodie vocatus **Wighton**, juxta fluviolum **Fouinesse** sive potiùs *Vol inis*, id est, *Caput Insulæ*: Insulam enim efficit versus Abontri Æstuarium, in Parisis. Hoc nomen, si solutè scribatur, Britannicè efficiet *Delgüe* sive *Delüe üicion*, quod est *Simulacra sacra*. Quid enim vetat *Uic* sive *Uych* Britannis dici etiam *Sacrum*, cùm illud sonet Gothis, Saxonibus, & Francis? *Delgü* autem sive *Delü* Britannis dici *Imaginem* inter notissima est. Imò vel ipsi Servio *Delubrum*, *Simulacrum ligneum* est sive Ξόανον. Fuit autem insigne Idoli cujusdam Templum in vico quodam inde dicto **Godmundham**, ut ostendit ex Bedâ Camdenus. Possit igitur videri istud **Godmundham**, sive *Divini oris villam*, esse veterem *Delgoviciam*. Possit & apud Ravennatem *Deuouicia* (quod in Vaticano libro vitiosè scribitur *Deuovitia*) non minùs rectè scribi; ac si planè dicendum foret *Deüioü Uicioü*, sive *Dii Sancti*, antiquâ Britannorum Declinatione, quibus Pluralia exibant in *oü*, ut & hodie nostris Ostidamniis atque Aremoricis Britannis. Atque ex eodem Ravennate didicimus imperitè scribi in

Antonino *Delgovitia* per *T*. Quid autem in Ibernis **Wexford** nisi *Sacer Trajectus* (Scotobriganticè forsan *Rit iiic*) cùm juxta fuerit Ptolemæi Ἱερὸν ἄκρον sive *Sacrum Promontorium*.

DEMETÆ, Ptolemæo Δημῆ (& in quibusdam libris vitiosè Διμῆ) gens est Britannica Pennobrogensem, Muridunensem, & Kereticanam Dynastiam complectens; imò etiam, ut mea fert sententia, & Brechiniacam & Radnorianam, cùm in his vix ulla sint Romanorum Arcium vestigia: unde constat eas Pecuarias fuisse Silurum. Certè res nota est Historias nostras legentibus, vel ipsum Pennobroganum Agrum ad Henrici Primi tempora mansisse incultum, atque eum fuisse peregrinis de Belgio Francis à Rege permissum; qui de sylvis & paludibus exiguo temporis spatio cultissima prædia effecêre. Vel ipse Plinius universam hanc Regionem Siluribus tribuit, quod videtur & à Tacito confirmari. Huc facit vel maximè quod *Oves* dicantur Britannis *Deveit*, quódque ipsi *Demetæ* hodie dicantur *Dyveit*: *Damh* etiam sive *Dav* Ibernis pro *Bove* est. Quid quod vel ipsum gentis caput *Muridunum* sive *Murdhin* dicatur? quæ quidem vox etiam hodie ad *Havodas* sive *Æstiva Pastorum* spectat; quibus castellula quædam esse solent, tumultuario opere congestis lapidibus munita; atque illud quidem & nomen *Murdhin* significat. Vide in MURIDUNUM.

DERVENTIO: De verbo Britannico *Derüent* (præsenti Dialecto effertur *Dirüyn*, ut & Francobelgis **Deur-winden**, quod Latinè est *Pervolvere*) quivis *Volubilis Amnis* Britannis *Derüent iii* (atque aliâ etiam Dialecto *Gerüynt iii*) appellatur; quorum magnus in Britanniâ cùm sit numerus, quatuor cum cognominibus oppidis in Romanâ Geographiâ hodie comparent. Anonymo autem Ravennati, in Fluviorum Catalogo, *Dorvatium* mendosè legitur pro Δορυαντίων sive *Doruantio* aliâ quâdam Britannicæ Linguæ Dialecto. Imo verò existimaverim vitiosè fuisse exscriptum,

tum, & pro *Dorvatium antrum* legendum esse *Doruantio Mantium*, duabus vocibus. Quin & *Coantia* scriptum puto turpissimo errore pro *Trovantio*, atque illud etiam Dialecto quâdam dici pro *Troventio*, quod nobis nimis correptè dicitur **Trent.**

DERVENTIO STATIO (nam Anonymo falsò scribitur *Statio Deventia*, & in Vaticano *Stadio Deventia*) Portus **Dertmouth** est sive *Derventionis Ostium* in Dumnoniis, satis vetustum oppidum.

DERVENTIO itidem Ravennati ponitur ad amnem *Derventionem*, in Agro *Derventionensi*, juxta urbem **Derby**, in viculo dicto **Little-Chester**, sive *Parvâ Urbe*; ut sit etiam **Derby**, *Derventio* nova.

DERVENTIO eidem Scriptori ponitur ad *Derventionem* amnem, in Deirorum Episcopatu; quam equidem crediderim esse *Urbem Sanctæ Ebbæ* sive **Ebchester**, satis antiqui nominis. Hìc erat *Præpositus Numeri Derventionensis*, juxta Notitiam. Vide in VINDONORA.

DERVENTIO Antonini est in Parisis sive Orientali Brigantum Triarchiâ, ad *Derventionem* itidem fluvium, ut adverterat Camdenus. Hodie vocatur **Auldby**, sive *Antiqua Statio*. Est & in Allobrogibus flumen *Druentia*, eâdem puto Etymologiâ; ut & in Piceno *Druentinus* amnis. Ad Cantiacum *Derventionem*, hodie **Darent**, oppidum est **Dartford**, sive *Trajectus ad Derventionem*.

DEVA, nomen est nobilissimi fluminis, quod Venedotiæ Canganos sive Ceangos perfluit Coloniam *Devanam* usque; quæ cum Ptolemæo sit Δηϋάνα, tamen in Septimii Getæ Nummo DIVANA est. Antonino dicitur *Deva XX. Legio Victrix*; & Anonymo Ravennati vitiosè *Dena Victrix*; & in Vaticano *Deua uictris*; verùm error est exscribentis. Fluvius ipsi Ptolemæo in cognomine loco Δηϋά est, & Civitas vulgo Britannorum *Caer Leon Vaür* sive *Civitas Legionis Magnæ*; atque etiam *Caer Leon ar dhür Düi*, sive *Civitas Legionis ad profluentem Düi*, *Aquæ* scilicet

ſive *Amnis*, adjectâ Præpoſitivâ *D*. Dicitur & alio nomine Veteribus *Dûr Donüi*, ſive *Profluens Tinuæ* ſive *Tinnæ* ſive *Tenti Amnis*. Fuiſſe & *XX.* huic *Legioni Aureliæ* nomen oſtendit Vir doctus ad Camdenum. Romanum hoc erat Cornaviorum Caput, ſicuti & Vereconium Britannorum.

DEVA ſive *Dea*, ab eodem Ptolemæo in Selgovis poſita: etiam hodie dicitur **Dee.**

DEVA, Ptolemæo (uti ſuprà monuimus) Δήβα, fluvius eſt apud Victuriones Caledones, in eâ Cantarum parte, quæ hodie de *Mor* puto ſive *Mari*, *Magno*, & *Marria* & *Morria* dicitur. In confluentiâ hujus fluvii, atque Dauni, urbs erat Ptolemæo dicta Δηβάνα, hodie **Old Aberdeen.** Quid autem Britannicum (ſive malles Picticum) **Aberdeen** niſi ſolutis verbis *Aber deu aün*, ſive *Oſtium duorum fluviorum?* Ravennati noſtro inquinatiſſimè ſcribitur *Devonimemanturum*, pro *Devanina*, *Manturum*; ut ſit & *Devana* & *Devanina* urbis antiquum nomen.

DEVANA vel DEVANINA: Vide in ſuperiore voce.

DEUCALEDONES: Ita enim in Ammiano Marcellino reponendum pro *Dicaledones*, cùm in Ptolemæo de eodem Populo *Virgivium Mare* ſit *Deucaledonium*. Erant autem *Deucaledones* ad Libonotum poſiti, ubi Ravennatis ævo Arceledii fuerant, hodieque Scotobrigantes Iberni, qui & veri Scoti. Nam Britannorum veterum ſermone *Dehoü* ſive *Dehen*, & *Dextra* eſt & *Auſter*, ſicuti & Hebræis ימין *Jamin*. Vide plura in CURIA DAMNIORUM, & in VICTURIONES.

DEUTIONISSUM: Ita planè reſtituendum in Anonymo, pro eo quod ſexto caſu *Devioniſſo* dicitur; quò ſit **Totenes** in Dumnoniis, pervetuſtum atque inclytum Oppidum. Interamnia eſt Urbs iſta; unde & *Deutioniſſum* dictum cenſeo, quaſi *Deu ti an iſc*, ſive *Utrinque flumini*. De *Deutioniſſum* Barbari fecêre ſuum **Totenes.**

DICTIS

DICTIS apud Notitiam, Ravennati corruptè *Dixio* eſt, & Camdeno falsò *Dictum* ſcribitur, & ad Canganorum Venedotiæ oppidum *Diganwy* indictâ cauſâ relegatur, etſi conſtet Notitiæ ævo Legiones ab Iſcanâ & Devanâ Coloniâ ad Antonini Pii Vallum, & Saxonicum Limitem tuendum fuiſſe amandatas. Videmus enim *Præpoſitum Legionis Secundæ Auguſtæ* apud Notitiam eſſe Rutupiis; conſtatque ex Lapide antiquo, ab erudito Equite Sibbaldo adducto, *Vexillationem Legionis XX. Valeriæ Victricis* fuiſſe Victoriæ, ultra Antonini Vallum. Unde exiſtimaverim & occaſionem Attacottis noſtris, unà cum Saxonibus, Pictis, & Scotis datam, Provinciam immaniter devaſtandi, quod apud Marcellinum legere eſt. Verùm ad *Dictim* revertendum eſt. In eâ Brigantiacorum Ceangorum parte quæ hodie de Paludibus Weſtmoria dicitur, prægrandis eſt Lacus, hodie **Winander-Mere**, vitioſè puto pro *Ÿion üedr môr* appellatus, quod Britannis quidem valet *Undarum cœrulearum* ſive *marinarum lacum*. Ad fauces hujus Lacûs præclaræ Stationis veſtigia, prodente Camdeno, vel hodie comparent. Vernaculum Loci nomen eſt **Ambleſide**, quod nequeo ſatis mirari Virum doctum pro *Amboglannâ* habuiſſe, cùm illa ad Lineam Valli fuerit, cúmque vel ipſi alio in loco ſui immemori **The Bank-End** ſive *Ad finem Valli* putetur. In Lacu autem præmemorato *Ictis* eſt ſive *Parva Inſula*, quæ appoſitâ Præpoſitivâ conſonâ, & *Dictis* & *Sictis* appellari poſſit. Forſan etiam Ravennatis *Dixio* ſive *Dizio* ſexto caſu eſt pro *Dictio*, quod poſſit de vitioſâ vulgi prolatione ita ſcribi, quomodò & ſuperiùs *Cunetzione* pro *Cunetione*. Neque ſanè noſtrum **Ambleſide** quicquam aliud videtur quàm *An bêl ſict*, ſive *Caput parvæ inſulæ*, vel Νησιδιν· ut nihil ſit in hâc re negotii. In hâc Arce fuit Notitiæ tempore *Præpoſitus Numeri Nerviorum*. Vide in SIGDELES.

DOBIA ſive DOVIA, in Ravennate malè ſcribitur *Rovia*, & in Vaticano *Novia*, nullâ commodâ

Etymo-

Etymologiâ. Videtur dicta veteri linguâ *Dov iü*, *Profunda aqua:* nam veteri Scotobrigantum linguâ *Dovain* hodie pro *Profundo* eſt, quod nobis eſt *Duvn*. In Demetiâ eſt *Aber Dyvi* ſive *Dov üi*, id eſt, *Oſtium Dobiæ* vel *profundæ aquæ*. Huic cognomine eſt & flumen *Dobia* in Agro Stavefordienſi ſive Ordüicum Hybernis Ceangis. Eſt & in Burgundiâ flumen *Duba* apud Ravennatem. Fuiſſe etiam *Scharpæ* flumini in Belgio nomen *Dobia* ſive *Dovia*, oſtendit vicina Urbs *Doüay*, Latinizantibus appellatum *Duacum*, pro *Dobium*.

DOBUNI apud Ptolemæum hodie dicuntur *Glevani*; & cùm *Duvn* (quod Aremoricis eſt *Doün*) Britannis ſit *Profundum*, credibile eſt *Dobunos* de *Vallibus* quas incolunt fuiſſe nominatos, quod & ab altero nomine *Bodunni* (quod vide ſuo loco) videtur confirmari. *Dobuni* videntur in Clientelâ fuiſſe Icenorum, quòd ad Britanniam Secundam ſpectent. Nonnunquam etiam, florente ſcilicet illâ Civitate, Cattieuchlani *Dobunos* uſque imperitavêre. Forſan etiam *Togodumnos*, inclyti Cunobelini alter filius, illis fuerat à Patre præfectus. Quid enim *Togodumnus* niſi *Tog o Duvn* vel *Dubn* ſive *Dux Dobunorum?* Etiam hodie Celtoſcythis Germaniæ **Tog** pro *Duce* eſt; quò ſpectare videtur & Britannorum *Togüis*, vel hodiernâ ſcripturâ *Tyüys*, quod eſt *Ducere*, ut & *Tyüyſaüc*, *Ductor*.

DOLA Nennio Britanno dicitur noſtrum **Deal**, de *Curvatura* puto litoris: illud enim Britannis eſt *Dôl*, ut ferè Græcorum Δόλος. Eſt & altera *Dola* apud Aremoricos Britannos, quò Galfridus noſter prodit Archiepiſcopalem Iſcanæ Coloniæ Sedem à Sampſone Epiſcopo fuiſſe tranſlatam, ob quandam peſtem Britannis dictam *Y Vâd Velen*, Deæ puto *Andraſtæ* Nemeſin, de quâ nos ſuprà retulimus.

DOLOCINDO: Vide in DUNOCINDUM.

DOMNII: Vide in DUMNONII.

DORCADES: Vide in ORCADES.

DRUIDES

DRUIDES ſive *Druidæ*, veterum Gallorum atque Britannorum *Theologi* ſive *Aruſpices* & *Magi*, atque etiam pro veteri more *Magiſtratus*. Britannicâ linguâ appellati ſunt *Derüidhon*, quaſi dicas *Perſapientes*. Idem enim Celtis *Der* vel *Dre*, quod & Germanis Celtoſcythis **Deur** vel **Door**; ut ſint & illis *Druides*, **Deurwitten**. Altera notatio de *Quercuum* Cultu, etſi ferri poſſit, minùs tamen videtur probabilis. Hi tradidêre Chaldæis atque Perſis Magiam, prodente Plinio. Certè Orpheus, qui & ipſe Thrax erat ſive Phryx vel Brigas (& per hoc de numero *Druidum* atque Bardorum) & Muſicam & Theologiam Græcos docuit. Ex Athenagorâ etiam didicimus hunc mundi Ὠογονίαν tradidiſſe; quod vel præcipuum erat Magorum atque Ægyptiorum Dogma. Σαρώνιδες veteri convicio Græcis dicuntur de veterum *Quercuum* Cultu, ob vulgarem puto τῶν Δρυΐδων notationem.

DRUMABON: Ita cenſeo legendum in Anonymo, pro vitioſo *Rumabo* ſexto caſu; quò ſit Arx **Drummond** in Abrianâ valle, ſeu **Strathern**. Eſt autem *Drum Avon* antiquâ Britannorum atque Pictorum linguâ *Dorſum Amnis*: hodierni Scotobrigantes *Druim Avan* dicerent. **Drummond** igitur ibridâ voce profertur pro *Drum Avon*: Certè *Rumabo* nihil eſt.

DUBRIS, Antonino *Portus Dobris*, ut & Anglis hodie **Dover**. Hic eſt ſatis notus locus in Cantio; & eſt de Britannico *Duvr iſc*, ſive *Aquæ tractus*: Siquidem antiquis temporibus valdè portuoſum fuiſſe illic mare oſtendit Camdenus ex Eadmero. Tempore Notitiæ *Præpoſitus Militum Tungricanorum* hìc agebat, qui *ſub Comite* erat *Saxonici Limitis*.

DUI in quâdam Camdeni Inſcriptione *Jupiter* eſt. Etiam adhuc Dialecto quâdam *Deus* Britannis dicitur *Dyü*, ut & Aremoricis *Dûe*. Vide plura in JUPAPANIA.

DUMNA

DUMNA apud Ptolemæum ex Orcadum numero eſt, quod quidem vocabulum videtur correptè prolatum pro *Deumona*; ut ſit & Dey truncatè dictum pro *Debeu*, *Dextra* ſive *Auſtralis*: quod de Pomonâ ſit verſus *Auſtrum*. Vide in MENAVIA, & in POMONA.

DUMNANI Solino dicuntur *Dumnonii* ſive *Domnii*. Vide in ſequenti.

DUMNONII: Ita enim Antonino ſcribuntur, cùm Ptolemæo vitioſè dicantur Δαυμόνιοι, Librariorum puto incuriâ; nam ipſe levi vitio fecerat Δαμνόνιοι. Solino dicuntur *Dumnani*, Ravennati noſtro *Domnii*; Monachiſque eorum Regio, *Dompnonia*. Verùm *Domnii* de Singulari tractum eſt *Dumn* vel *Duvn*, & *Damnonii* de Plurali *Dumnon* ſive *Duvnon*, vel etiam antiquiori Declinatione *Duvnont*, unde & Britannis dicuntur *Dyvneint*. Crediderim eâ voce Veteribus dictos fuiſſe *Geüiſſos* ſive *Occidentales*; tam quòd Saxonia *Occidentalis* originem ſuam illis videatur debere, quàm quòd Δύσις ſive Δύμη, Græcis etiam *Occidentem* vel *Solis Occaſum* ſignificet, de verbo ſcilicet Δύειν, quod illis *Mergi* eſt. Neque aliunde ſanè eſt Britannorum *Duvn*, quod pro *Profundo* eſt; unde & altera gens, *Dobunorum* ſcilicet, nominata eſt. Gens iſta Saxonici belli tempeſtate (Ambroſio Aureliano Romano Duce, in Pendragonem ſive Ardiragum erecto) patriam libertatem ſtrenuè tuebatur. Horum Hyberni Ceangi ſive Corinavii Pytheæ Maſſilienſi apud Strabonem dicuntur *Oſtidamnii*. Vide in CORINAVII & OSTIDAMNII.

DUNBLISSIS: Anonymo levi vitio dicitur *Duabliſis*, uti & hodie Dunbaſſe ibridâ pronuntiatione. Arx quædam hæc erat ad Antonini Pii Vallum in Valentiâ. Eſt autem *Dunbliſſis* Britannico ſermone, *Dun bêl iſc*, quod eſt, *Arx ad caput aquæ*. In Vaticano Codice ſcribitur *Duabſiſſis*.

DUNCLIDUM: Anonymi Exſcriptor de *Simetria* atque *Dunclidum* monſtroſè fecerat *Sinetriadum*,

Clidum

Clidum (& in Vaticano Libro *Clindum.*) *Dunclidum* autem nobis eſt **Dunbriton**, ſive *Arx Britonum*, ad ulteriorem Prætenturam. Atque illud erat Saxonicis temporibus validiſſimum Noüantarum contra Scotos munimentum. Veteri ſcriptori Bedæ *Alt cluid* Britannicè dicitur, tanquam *Clotanus clivus*; ut ſint *Alht* & *Dun* σωωνύμως dicta. Idem autem Celtarum linguâ *Dun*, quod & Teutonicum **Berg** ſive *Burgus*, *Collis* ſcilicet *Arce munitus*.

DUNIUM: Ita enim in Ptolemæi Libris ſcribitur, de quo Camdenus fecit *Durnium*, quo conveniret hic Locus cum *Durnovaria*. Verùm *Durnovaria* urbs erat quæ hodie dicitur **Dorchester**; & Δύνιον (cujus ſolius meminêre Ptolemæus atque Ravennas) Arx in excelſo monte poſita, ad mille ferè Paſſuum à *Durnovariâ*. Hodiernum Loci nomen eſt **Maiden-Caſtle**, quod Caſtellum eſt *Mai dun*, ſive *Ingentis collis*, & per hoc *Arcis* etiam ſive *Burgi*. Confirmant ſententiam meam inſignia Caſtrorum veſtigia in hunc diem ibi comparentia. Anonymi Exſcriptoribus mendoſè *Dolocindo*, etiam in ſexto caſu, pro *Dunocindum* dicitur: Erat autem *Dun kind* veteribus Britannis *Montis caput*. De mendoſo autem *Dolocindo* facilè conjecerim Itinerarium iſtud initio conſcriptum fuiſſe majuſculis Græcorum Literis. Siquidem tam proclive erat ΔΟΛΟΚΙΝΔΟΝ legere pro eo quod erat ſcriptum ΔΟΥΝΟΚΙΝΔΟΝ, quàm alibi ΚΑΜΟΥΛΟΔΟΥΛΟΝ ΚΟΛΩΝΙΑ pro ΚΑΜΟΥΛΟΔΟΥΝΟΝ ΚΟΛΩΝΙΑ, fallente Literarum ductu. Vide in CAMULODUNUM. Hujuſmodi Arces extra urbes poſitæ etiam veteribus Hebræis appellatæ ſunt מגרלי נוצרים *Migiddelei notzerim*, ſive *Vigilum turres*. Vide 4 Reg. xvii. 9.

DUNOCINDUM: Vide in Voce ſuperiore.

DUNOMORUM: Vide in DANNAVANTRIA.

DUNUM Sinus eſt Ptolemæo ad Iſcam fluvium in Deirorum Triarchiâ, ubi vel hodie **Dunsby** ſive *Duni vicus* eſt, Saxonibus Ðunreonep-healh, & poſtero

tempore **Strenshald** appellatus: Beda *Phari Sinum* interpretatur. Certè **Steirn** etiam hodie Thulensium Dialecto dicitur *Lapis*, & *Hale* vel *Heale* pro *Cavitate* est *valleculæ* & pro *Curvaturâ sinûs*; ut possit dici figuratè Streoney-heale, *Titulus* vel *Phari sinus*. Veteribus etiam Francobelgis **Hael** pro *Furno* fuerat, ob formam puto excavatam: sicuti & Germaniæ Saxonibus **Hale hand** pro *Vola manûs* est. Hic Locus nobilitatus est vetustissimo *Strenshaldano* Cœnobio atque inclytâ Abbatissâ Hildâ, de quâ vide Historicorum nostrorum Principem Bedam. Pro Streoneyheale hodie dicitur **Whitby**, quod est *Candidus vicus*. Vide in AD LAPIDEM TITULI. Fuisse videtur & huic cognominis Locus in Morinis, qui hodie **Duynkerck** dicitur.

DONUM eidem Ptolemæo Urbs est Iberniæ, in Voluntiis, etiam hodie **Down** appellata, eodem penè sono.

DUR apud Ptolemæum fluvius est Iberniæ in Momoniâ: etiam hodie caret proprio nomine. Nam & *Dür* Britannis *Aqua* tantùm est: Est autem idem illis *Doür* quod & Græcis οὖρον, apposito Præpositivo *D*: unde & Romanis *Urina* & *Urinator* deducta sunt. Sunt & in nostrâ Britanniâ plurima flumina appellata *Es dür* sive *Sturæ*, Anglorum sermone **Stour**. **Doydrecht** in Belgio videtur fuisse *Trajectus ad Dür*. Et in Gallæciâ & in Subalpinâ Galliâ flumen *Duria* est.

DURBIS apud Antoninum fluvius est, quem de nomine conjecerim esse *Dür Güi*, sive flumen vulgò dictum **Wy**, in Siluribus. Quid autem *Dür Üi*, nisi *Profluens Aquæ?*

DURNIUM: Vide in DUNIUM.

DURNOVARIA apud Antoninum hodie urbs est **Dorchester**, in Durotrigibus, Pagique universi Caput, ad quam spectabat & Arx *Dunium*, vitiosè Camdeno *Durnium*. Britanni solutè dicerent *Dür na Üar üi*, quod est *Profluens Varii* sive *mansuetæ*

undæ.

undæ. Qui quidem fluvius & συνωνύμως Fnau dicitur & **Frome,** de antiquâ Scotobrigantum Dialecto, quibus *Freuv*, & *Freum* eſt pro *Fluento* & *Rivo.* Britannis noſtris etiam *Fraü* dicitur eodem intellectu, atque etiam quâdam aliâ Dialecto *Rhig* & *Rhiü*; quibuſcum convenit & Latinorum *Rivus*, de Græco Ῥέειν, quod Æolicè foret Ϝρέειν, pro *Fluere.* Fuiſſe autem & *Fraü* flumini nomen oſtendit Camdenus ex Aſſerio. Eſt etiam *Freu* Britannis pro *Fluere*; unde & antiqua Principum noſtrorum Regia apud Monam Inſulam, appellata eſt de vicino fluento *Aber-Fraü*, tanquam *Fraumæ Oſtium.* Fuiſſe etiam *Fraumæ* Durotrigum, nomen *Vario* oſtendit *Moriconii* vernaculum nomen **Warham,** quod eſt tanquam *Ad Varium.* Eſt & flumen *Varus* in Allobrogibus Gallorum. *Durnovariæ* autem vel præcipuam Antiquitatem aſſerunt plurimi Romanorum nummuli illic effoſſi, qui Regis *Dorni* vulgò feruntur. Conditor hic fuit *Durnovariæ*, quo tempore Ludus regnabat Londini, Ebraucus Eboraci, & Coilus Coloniæ Camuloduni, imò & Brutus Britanniæ. Sunt autem ejuſmodi ſomnia omnium vetuſtiſſima & miſerrima ignoratæ Antiquitatis ſubſidia. Vide in RIGODUNUM.

DUROBIUS: Ptolemæo excuſabili linguæ noſtræ imperitiâ *Tuerobius* dicitur. Demetiæ hoc flumen eſt, & in Dynaſtiâ Kereticanâ. Britannis ſolutè dici potuit *Dür ov iü*, vel *av iü*, vel *ev iü*, quod eſt *Profluens avidæ undæ:* hodie eodem intellectu dicitur *Teivi*, *Deiviü*, vel *Teiviü.* Vide in EBIUM.

DUROBRIVÆ apud Antoninum Ravennati mendoſè ſcribuntur *Durobriſin*, exſcribentium certè errore; nam ipſe fecerat *Durobriga*, quod *Urbs* eſt *ad profluentem.* Saxones dicebant Dunmund-ceaſtep, *Caſtra* ſcilicet ſive *Urbs ad Durmant*, quod Britannis *Aquæ profluentis os* eſt ſive *ora.* Hic Locus ſequioris ævi Britannis correptè *Caer Dorm* appellatus eſt, Angliſque hodie ἁπλῶς **Caſter** ſive *Urbs:* & eſt

juxta

juxta **Dormford** ſive *Trajectum Durmant*, ad flumen Antonam, Antinam vel Anninam (Ravennati *Nainam*) in Auſtralium Girviorum finibus atque Antonenſium. Superiùs oſtendimus quid Britannis ſit *Dûr:* eſt etiam idem illis *Bre*, *Bri*, *Bro*, ſive pleniore ſono *Breg*, *Brig* & *Brog*, quod & Celtoſcythis Germanis **Berg, Byrig, Borg** & **Burg**, Phrygibuſque antiquis Πέρſα & Πέρſαμος, *Arx* ſcilicet & *Montis* & *Urbis*; figuratè etiam *Civitas*, & quivis *Habitandi locus*, ſive *Sedes:* neque abludit Græcorum Πύρſος. Fuiſſe etiam Βρία veteribus Thracibus pro *Urbe*, iſta Strabonis verba ſatis declarant: Τῆς δὲ πόλεως Βρίας καλουμένης Θρᾳκιστὶ, ὡς καὶ ἡ Σήλυος πόλις Σηλυμβρία προσηγόρευτο. Idem igitur *Bria* quod & *Briva* & *Briga* & *Bro*, variantibus ſcilicet Dialectis.

DUROBROVIS, pro variantibus Dialectis Antonino dicitur *Durobrivis*. Bedæ *Durobrevis*, Ravennati Libro *Darobrabis*, & Peutingerianæ Tabulæ corruptiſſimè *Rarabis* pro *Brabis*. Hoc inter omnes conſtat Cantiorum eſſe urbem, ad fluvium Madum ſive Maduiacim ſitam; quam Saxones truncato nomine Hroꝼe-ceaꝼtep appellavêre: unde & Latinizantes Epiſcopum hujus urbis *Roffenſem* nominavêre. Siquidem ſequiori tempore & *Rabis* & *Reibis* & *Robis* dicebatur. Vide in ſuperiore quod ad Etymon ſpectat.

DUROCINDUM: Ita enim repoſui, ad nominum Analogiam, cùm in Bedâ noſtro vitioſè ſcribatur *Dorcinca* pro *Dorcinta:* Urbs hæc in Attrebatibus fuerat, olim Epiſcoporum Sedes; hodie verò Viculus antiquo nomine **Dorchester**; quod de Britannico *Dür* eſt, & Latino *Caſtra*. Eſt autem *Durocindum* de *Dür* & *Kind*, quod *Caput* eſt *Aquæ*.

DUROCINDUM alterum: Vide in ſequenti.

DUROCINONTE: Antonini Libris turpi vitio ſcribitur *Duroliponte*, & Ravennati etiam Monacho correptè *Durcinate*, vel forſan *Durcinante*. Oppidum hoc eſt Saxonibus ibridâ voce Huntanbun appel-

appellatum; cùm, si plenè scriberetur, deberet esse *Durocinontedun*. Siquidem ipsum vetus *Durocindum* possit esse *Garmonceaster*, de Germanis Incolis ita appellatum; *Durocinonte* autem, quod Girviis Britannis cesserat, *Huntedun*, sive magis *Ontedun*. Idem enim *Hunte* vel *Onte* (quod & Britannis *Ante*, *Unte*, & *Hünt*) quod Saxonibus etiam Leon.ɔ est, Anglisque Ponꝺ, sive *Ultra* & *Ulterior*. Sit igitur *Durocindum* nostrum Gormanchester, & *Durocinonte*, *Huntendun*, sive Huntington. De Gormundo sive Guthruno Dano, quærant quibus fabellæ placituræ sunt.

DUROCOBRIVIS: In sexto Antonini Itinere *Durocobrium* exscribentium vitio dicitur; cùm in secundo & octavo sit *Durocobrivis*. Equidem existimaverim urbem istam fuisse in Pecuariâ Cattieuchlanorum, quæ hodie de *Tabulato* Oxæ *Trajectu* Bedfordshire appellatur; Oppidum scilicet Woburn, nobili Abbatiâ insigne. Turbatum autem esse Antonini ordinem Itineris vel inde patet, quòd secundo ejus Itinere Magiovinium distet Lactorodo M. P. XVII; sexto verò Lactorodum *Durocobrivi* XVI: ut non intersit inter Magiovinium atque *Durocobrivim* nisi Milliare unum, quod nemini probabile videbitur. Quin & Saxonicum Woburn convenire videtur cum Britannico *Dür o güog*, quod *Aqua* est *motitantis paludis*. Quid enim Woburn nisi Þæg burn, quod idem sonat? Quid quod & Ibernorum *Bog* convenire videtur cum Anglorum Ꝺuagg, sive magis *Gewæg*, cum & Aremoricis Britannis *Güac*, *Tenerum* sit & *Molle*? Ipsis etiam *Woburni* Indigenis Ꝺuogs dicuntur *Woburnici* fluvioli *paludosi fontes*. *Güogr* etiam Britannis nostris idem ferè est cum Thulensium Wo gur, *Salum* scilicet sive Σεισμὸν undarum: quin & ipsis Aremoricis *Goagüen* & *Guagren* *Unda* est, altero etiam numero *Goagou*; unde & Italis *Voga* pro *Fluctu* est. Certè Æoles facilè dicerent Ϝάγειν pro Ἄγειν, quò referendum & Anglosaxonicum

Verbum ꝑæꝿan, *Movere*, quod Anglis hodie eſt, **To wagg.** Adjecto igitur *Briva* (de quo nos modò retulimus) *Dür o güog bria* vel *briva*, *Civitas* erit *paludoſi profluentis.* Conſtat etiam ex ipſo Ravennate Viam militarem vulgò appellatam **Watling-ſtreet**, poſteris Imperii temporibus fuiſſe neglectam (ſicuti ſanè hodie ex parte magnâ) ſubductâ jam de Devanâ Coloniâ Legione; ut non ſuppeterent militum manus, quibus poſſet refici. Ravennatis enim Iter Londinio Veroconium Cornaviorum tendit per Tameſam, Branavim, & Alaunam, hodie **Thame**, **Banbury**, & **Alceſter.** Antonini verò temporibus Iter tendebat Magiovinio Vennonim per noſtram *Durocobrivim*, Lectoretum ſive Lactorodum, Tripontium, Dannavantriam atque Dunomorum. Wetelinga autem Strata (ut & hoc ex occaſione moneam) videtur ab ipſis Britannis adornata, quâ tenderetur à Galliâ verſus Iberniam: nam à Portu Dubri Devam uſque proceſſerat. Neque quicquam aliud ſanè Anglorum ore *Weteling* quàm *Oedeling*, *Originarius* ſcilicet *Civis* vel *Ingenuus.* Eſt & in Cornaviis noſtris Viculus quidam nomine **Wattlesburgh** vulgò appellatus pro *Oedelſburgh* (quomodò & *Avenæ*, *Wats* dicuntur pro **Oats.**) Hic idem Vicus Britannis dicitur eodem planè intellectu *Trev rydh*, ſive *Oppidum liberum* & *ingenuum:* cùm fuerint Britannis noſtris (quod ex Hoüeli Regis Legibus conſtat) diverſi generis Vici; *Trev rydh* ſcilicet ſive *Manſum ingenuum*, *Trev gordh* ſive *gorydh*, ſive *Manſum libertinum*, & *Trev gaeth*, ſive *Manſum vernile:* imò atque ipſis Saxonibus & *Oedelenmentun* fuerat, & *Horentun* diverſis in locis. Verùm hæc in mantiſſam adjecta ſunt.

DUROCOGIS, fluviolus **Woburn:** Vide in ſuperiore. Videtur alterum fuiſſe & *Durocogim* & *Durocobrivim* in Cumbris ſive Brigantum Ceangis, ubi & flumen **Cocker** & oppidum **Cockermouth.** Quid ſi & Gallorum flumen *Sequana*, Ravennati *Sigugna*,

Sigugna, eodem veniat Etymo, tanquam *Si güog Avon*, de paludosis fontibus apud *Sequanos?*

DUROCORINAVIS: Videtur fuisse vetustissimum Castellum hodie dictum **Tre-maton**, sive *Mansum virorum bonorum* vel *nobilium*, ad fluviolum **Liver** (seu *Profluentem brevem*) in finibus Ostidamniorum sive Corinaviorum: Quem quidem Rivum conjecerim initio fuisse appellatum *Dür o Corinaüon*, sive *Fluvium Corinaviorum*, cui & Arx ista, ut videtur, limitanea cognominis fuerat. Atque hoc quidem in causa fuit, quòd de Ravennatis *Durocoronavis*, permutatâ unâ literulâ, fecerim *Durocorinavis*. Vide in CORINAVII. Vaticano dicitur *Purocoronavis*.

DUROCORNOVIUM: Vide in CORINIUM.

DUROLANIS: In Ravennati sexto casu *Durolani* dicitur (in Vaticano *Durolam* vitiosè) cùm plenis Britannorum verbis *Dür o lân isc*, sive *Profluens plenæ aquæ* dicendum foret. Neque aliud nobis videtur quàm flumen **Lan** sive **Lon**, ad *Lugandinum* sive *Lancastrum*, Segontiorum caput. Vide plura in BRENNETONACIS, & in LUGANDINUM.

DUROLEUCA: Vide in LEUCA.

DUROLEVUM Antonini, malè Camdeno scribitur ex ingenio suo *Durolenum*, quo sit **Lenham**, sive *Prædii villa* in Cantiis, cùm reverà sit vetustum oppidum **Sittingbourn** sive *Sittenburn* appellatum, quod *Indigenarum fontem* significat. In Alfredi Regis Vitâ *Cantiani fontes* appellati sunt. Mirè huc facit de Britannicâ Linguâ peritum Etymon. Siquidem *Dür o leü üi*, sive hodiernâ Linguâ *Dür y gloyü üi*, *Profluens* est *Aquæ limpidæ*: idem enim *Glevum* quod *Durolevum*, sicuti & *Leuca* & *Duroleuca*, de quo & oppidum *Durolicum*. Vide in GLEVUM.

DUROLICUM: Levi errore in Antonino legitur *Durolitum*; sicuti vice versâ aliàs *Camboricum* pro *Camboritum*. Posset & *Duroleuca* nominari, cùm positum sit ad amnem *Leucam*. Verùm crediderim *Durolicum* Romanis dictum, cùm plenè

Britannis diceretur *Dür o lugaün*, ſive *Profluens limpidi amnis*. Hoc flumen etiam Saxonibus appellatum eſt Lizean, de Britannico *Lugaün*, vel *Lugavon*. *Durolicum* autem in finibus erat Trinoüantum ad ſpatium XII. M. P. à Londinio: nam in Antonino levi admodum mendo legimus XV. M. P. pro XII. ut ſit Oppidum **Waltham**; quod quidem veterum Saxonicorum Regum *Nemorenſem* fuiſſe *Villam*, non tam ex nomine **Waltham** conjecerim, quàm quòd Haraldus Rex de Prædio ſuo, ante commiſſum cum Normannis prœlium, Abbatiam ibi dedicaverit in ſpem futuræ victoriæ. Peccatum autem fuiſſe à Librariis in Antonini numeris vel inde patet, quòd cùm in Itinere à Londinio ad Luguvalum Cæſaromagus diſtet Londinio M. P. XXVIII. cúmque in alio à Ventâ Icenorum ad Londinium *Durolicum* diſtet Cæſaromago M. P. XVI. & Londinio M. P. XV. (unde conficitur ſumma Milliarium XXXI. à Cæſaromago ad Londinium) ſuperſint tamen primo numero M. P. III. unde manifeſtum eſt illud quod modò diximus, pro M. P. XV. legendum eſſe M. P. XII. Camdenus igitur noſter magno verſatur in errore; cùm *Durolicum* habeat pro viculo **Leighton** ſive *Leucoduno*, & M. P. V. reponat pro XV. deleto ſcilicet charactere X. Quid quòd manifeſta ſint Icenianæ Viæ veſtigia, cùm per omnes penè vicos Londinio Cæſaromagum uſque Stratæ nomen adhuc perduret?

DUROTRIGES: Britannorum Civitas eſt apud Ptolemæum, etiam Saxonibus ibridâ compoſitione Dor-ſæten ſive *Aquatici Seſſores* appellata. Certè *Trigo* Britannis *Habitare* & *Morari* eſt, & *Dür* etiam *Aqua* & *Fretum*. Credibile eſt hos olim fuiſſe in Dumnoniorum Clientelâ, & Pecuarias habuiſſe in Carviliis, quòd hi omnes poſtero tempore ad Occidentales Saxones ſive Geüiſſos pertinuerint. Elegantiſſimus iſte Pagus plurimis Romanorum Caſtellis communitus eſt.

DURO-

DUROTUOBRIGA: De monstroso *Punctuobice* apud Anonymum ita ex ingenio reposui: quid enim non audendum in tali monstro? Antonino hic Locus *Trajectus* dicitur: & quando *Trajectus* iste distet Abonâ sive Alabo in Dobunis M. P. IX. non potuit esse Camdeni **Oldburgh** sive *Antiquus Burgus*; sed oportet (nisi me graviter fallit ariolatio) è regione fuisse **Newenham** sive *Villæ Novæ*, ubi hodie **Framelod-Passage** sive *Parvæ Fraumæ Trajectus* est, ad confluentiam Sabrianæ atque **Stroud**: quod quidem **Stroud** de nomine *Trajectûs* Britannis videtur dici *Es traud*, quod idem sonat. *Dür dou briga* autem veterum Britannorum solutis verbis *Duarum Aquarum* erit *Civitas*. Quin & ipsum nomen **Newenham** indicio est fuisse etiam alium locum in viciniâ se vetustiorem. Equidem existimaverim in ipso Ravennati Autographo fuisse ΔΟΥΡΟΤΟΥΟΒΡΙΓΗ. Si cui conjectura nostra minùs arrisura est, licet per me ut commodiorem inveniat.

DUROVERNUM Antonini, vitiosè scribitur Ptolemæo Δαρόβερνον, Bedæque aliquantò meliùs *Dorobernum* & *Dorobernia*; apud Anonymum autem nostrum sexto casu *Duroverno* (& in Vaticano *Duroaverno*) *Cantiacorum*. De Peutingeriano autem monstro *Duroaverus* nihil attinet dicere. Saxonicis tandem temporibus Cantuapa-býrig, quod est solutis verbis *Cantiacorum virorum burgus* vel *castellum*, appellatum est: nam hoc semper fuit genti Caput. Cùm autem veteri Brigantum sive Celtarum sermone *Vern*, *Sanctuarium* fuerit (de Pelasgico antiquo Ϝιερὸν pro Ἱερὸν) & cùm *Dür* etiam sit Ὄυρον sive *Aqua*; quid vetat sacram istam Sedem Latinè reddi *Fanum profluentis amnis* sive (sicuti Fluvius iste vulgò appellatur) *Sturæ*, de Britannico scilicet *Es dür* sive Τὸ ὕδωρ? Vide in VERNOMETUM.

DUROVERNUM etiam Anonymo est in Dumnoniis; quod in edito Libro mendosè concipitur *Duriarno*, sexto etiam casu, cùm ille fecerit Dialecto

quâdam *Duruarno*. Suſpicor hoc eſſe **Dulyſhe**, inter Stenam atque Uxelim ſitum, quòd à *Dür*, *Aqua* vel *Fretum*, & *Lis*, *Curia* nominatum videtur. Poſſit etiam *Lis* idem dici quod & *Vern*, cùm Veteribus omnes *Curiæ* dedicatæ fuerint in *Templa*. Eſt autem Britannicum *Lis* idem ferè quod & Græcum Λεὼς ſive Λαὸς, Saxonicumque Leob, de quo & Anglorum noſtrorum **Leet**, quod *Conventum populi* ſonat, ſive *Mallum*. Quid quod & Latinorum *Lis* huc videatur pertinere?

DUROVIGUTUM Anonymo ſoli notum, ſexto caſu *Duroviguto* dicitur. Idem tamen hic Locus Antonino nomine Latino *Ad Pontem* nominatur; & eſt hodie **Paunton** *Magna* ad flumen *Victium* ſive *Vigutium* (hodie **Witham**) in Majorum Icenorum Pago ſeu Lindano. Quid autem *Vigutum* niſi *Üigot Avon* ſive *Üigantum flumen?* Nam & *Üigot* & *Üigont* Plurali numero dicebant Veteres. Erit igitur *Dür o Üigont*, *Aqua Vigantium* ſive *Icenorum*. Etiam *Venta* Icenorum dicitur Nennio *Caer Went Güic*, quod eſt *Civitas Ventæ Huicciorum*, ut Bedano utar vocabulo. Denique advertendum in Ravennate Geographo Durobrigam occupare locum *Duroviguti*, manifeſto exſcriptoris errore.

DUROVIGUTUS, fluvius *Vigutus*, Anonymo noſtro correptè *Victius*. Vide in ſuperiore.

E.

EBIUM: *Ebio* Anonymo ſexto dicitur caſu: in Græco Libro forſan fuerat Ἤβιον. Arx hæc ad Antonini Pii Vallum erat, loco ſcilicet qui vitioſè dicitur vulgò **Achindevy**, de Britannico *Aüch an düi*, quod *Acritudo* eſt *undæ* ſive *amnis*. Tantundem autem fuerit ſive *Ebium* dicas ſive *Debium*, ſublatâ ſcilicet vel adjectâ Præpoſitivâ. Certè Britannorum verbum *Deivio*, *Avidiſſimè abſumere* eſt tam *radendo* quàm *uſtulando*; quin & *Aüch* (ſive productiùs *Avüch*.)

Acri-

Acritudo est & *Celeritas*. Est & Latinis *Avidus* & *Aviditas*, de nostro *Aaydh*. Crediderim etiam antiquis Belgis *Deviam* sive *Doviam* fuisse fluvium qui hodie Francobelgis dicitur **Scharp**, eodem planè intellectu, quod vel confirmat nomen Urbis *Douay* sive *Dobium*.

EBLANA: Vide in DEBLANA.

EBUDA: Vide in CLAVANIS. Ravennati dicitur *Evania* pro *Ebonia*.

EBUDÆ vel *Ebudes*, vulgóque vitiosè *Hebrides* (sicut & Jordani *Mevaniæ*) Insulæ sunt ignoto numero in Deucaledonio Mari sitæ. Hodie Scotobrigantibus Ibernis *Inseu Gal*, sive *Brigantiæ Insulæ*, appellantur: nam & *Brigantes* Iberniæ pro *Gallis* sive *Peregrinis* fuêrunt antiquis Eriis sive Scotis. Neque sanè *Evaüd* vel *Evon* (nam & *Eboniæ* & *Evones* nonnullis dicuntur *Ebudæ*) quicquam aliud significat quàm *Insulas*: Nam *Aü* vel *Eü* Veteribus tam *Mare* quàm *Insula* fuerat, ut & Saxonum ſeȝe vel eȝ. Hodiernis autem Ebudarum incolis **Au** esse pro *Oceano* ostendit harum Insularum diligentissimus descriptor Martinus. Plinio hæ dicuntur *Hæbudes*, & Marciano apud Stephanum Byzantinum Ἀιβῦδαι, Ptolemæo verò rectiùs Ἐβῦδαι.

EBURA flumen *Eura*: Vide in EBURACUM.

EBURACIUS, in veteri Inscriptione apud Brigantum Ceangos sive Cumbros repertâ, pro *Genio* est *Eburacensium*. Veteres nostri & Genios & Deos sibi finxêre de Locorum nominibus, ut & Monachi, longè his insulsiores, Sanctulos. Vide in CONGANGII.

EBURACUM: Ita enim & Antonino & Anonymo scriptum reperio, cùm Ptolemæo sit *Eboracum*, quod tamen tantundem esse scio. De Britannico *Eur* vel *Ebr*, quod ipsis Græcis est Ὄυρον (unde adjectâ Præpositivâ de more nostro fit *Dür* & *Dovr*) Adjectivâ formâ fit *Evraüc*, *Aquosum*, unde & urbi Britannicum nomen *Caer Evraüc*, sive *Aquosa Civitas*.

Quin & ipsis Romanis *Ebrius* est *Benè madidus*. Vicinum etiam flumen *Eura* (sive *Ebura*) dicitur; cujus nominis & fluvius est in Galliis, ut & populus *Eburones*; de quibus & insigne cognomentum D'Evreux, atque oppidum etiam *Eburodunum*, hodie vitiosè *Embrun*. Videtur etiam Belgarum *Ypres* vel Yper eodem esse Etymo tanquam *Ebura*, atque etiam flumen hodie *Yper Le*, *Eburoleuca*, ac *Ebura*, atque *Lega* vel *Leuca*. Vide in LEUCA. Hæc Statio fuerat *VI. Legionis*, nomine *Victricis*, frænandæ Brigantiæ atque Valentiæ positæ. Nequeo sanè mirari unam Legionem suffecisse, cùm duæ opponerentur Siluribus & Cornaviis nostris. In veteri quâdam Inscriptione Urbi nomen est COLONIA EBORACUM, cùm in Aurelio Victore dicatur *Municipium*; verùm impropriè hoc, quo sensu scilicet *Coloniæ* omnes dici solent *Municipia*.

EBUROCASSUM: Hoc in uno Ravennate hodie occurrit, estque ad *Alauni* ostium in Otodinis, & de flumine *Alauno* nomen habet Alnwick; juxta quod & viculus est etiam hodie dictus Eberwick, quo nomine Saxones dixêre nostrum *Eburacum*, ibridâ scilicet compositione. Nomen autem *Eburocassum*, sive *Evraüc Assü*, *Sinistrum* sonat *Eburacum*, & per hoc *Septentrionale*. Siquidem veteribus Britannis *Dehou*, *Dextrum*, & *Assü* sive *Chüith*, *Sinistrum*, pro *Australi* fuerant atque *Boreali* mundi *parte*. Hinc constat moris fuisse primis temporibus *Orientem Solem* præcipuè adorare. Hebræis etiam cæterisque Orientis incolis ימין *Jamin* sive *Dextra* pro *Austro* est. Contrà Græcis, quorum Auguracula spectabant Austrum, *Oriens* erat pro *Manu sinistrâ*, atque *Occasus Solis* pro *Dextrâ*; quæ omnia contrà erant Romanis, quorum scilicet augurandi loca spectabant *Boream*: nam illis *Dextra* felicis erat Augurii, ad quam fuerat mundi *Latus orientale*; & contrà *Sinistra* infausti, quòd à partibus esset *Syderum occasûs* sive *Inferorum*. Græcis verò *Sinistra manus*, quòd boni esset Auspicii Εὐώνυμος appel-

appellata eſt, & *Dextra* contrà infauſta, quòd Dii Manes ab illâ eſſe ferrentur. Rudioribus autem populis, cùm nullæ eſſent Deorum Imagines, vel ſanè Templa, his *orientia Sydera* ſummis excipiebantur honoribus, cultibus, atque poppyſmis. Scitè igitur Virgilianus ille Paſtor ut agreſtis loquitur;

Daphni, quid antiquos Aſtrorum *ſuſpicis* ortus?
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris Aſtrum.

EDROS: Vide in ADROS; nam vitioſè in quibuſdam Ptolemæi Exemplaribus legimus Ἔδρος ἔρημος.

ELAVIANI: Vide in CLAUANIS.

ELCONIUM: Sexto caſu in Ravennate legimus *Elconio*, & videtur ex ordine Itinerarii antiquiſſimus eſſe locus in Corinaviis, ad Alauni amnis caput ſitus, hodie **Camelford** appellatus, ibridâ compoſitione; olim autem *Camalan*, tanquam *Cam a laün üi*, quod eſt *Pleni amnis flexura*. *Elconium* autem ſolutis verbis dici potuit *Ael cond iü*, ſive *Supercilium principis amnis*. Nihil attinet quicquam mutire de fabuloſi Regis Arthurii prœlio apud *Camalaunam* commiſſo; niſi idem ille fuerit qui & Ambroſius Aurelianus, de quo nos ſuprà retulimus.

ELETA: Anonymo hæc Græco caſu *Elete* ſcribitur, & videtur eſſe Inſula **Bramſman** (ſive veriore ſcripturâ, *Brads man*) in Lindisfarnenſibus ſive Acmodis. Dicta autem videtur Britannis *Eü letan*, ſive *Lata Inſula*. Neſcio an & vernaculum nomen ibridâ ſit compoſitione de **Brad**, quod *Latum* eſt, & *Maen*, *Saxum*.

ELTABON: Hoc eidem Anonymo truncatè & ſexto caſu eſt *Eltabo*, & videtur eſſe *Petroci oppidum*, vulgò correpto vocabulo **Padſtow** pro *Petrocſtow*, in Oſtidamniis ſive Corinaviis. Arx hæc olim erat munitiſſima, & ad Alauni oſtium poſita. Erit autem *Eltabon* ſolutè ſcriptum *Ael tavon*, ſive *Amnis ſupercilium*. Idem enim *Avon*, *Davon*, & *Tavon*, uti ſæpiùs memoravimus.

ELTABON

ELTABON ſive *Eltavon:* Ita enim planè reponendum in Anonymo pro vitioſo *Eltanuri* (in Vaticano *Eltauori)* nullâ omninò Etymologiâ. Hoc vel ex Itinerarii ordine dici videtur hodie *Borealis Antona.* Saxonicè dicitur *Northaventun*, unde facile eſt colligere & *Avontonam* ſive *Antonam* fuiſſe alio nomine vocatam. Flumen etiam quod præterfluit urbem, *Antina*, *Annina*, & *Nina* appellatum videtur, cùm & Ravennati ſit *Naina.* Vide in ANTONA & in NAINA.

EPIACUM: Vide in PEPIACUM.

EPIDII: Vide in PEPIDII. Utrumque truncato capite eſt.

ERDINI apud Ptolemæum Iberniæ populus, & dici videntur ſolutè *Eri dineu*, ſive *Erigenæ montium.*

ESSEGRADENAS: In Anonymo, deperditâ unâ literâ, dicitur *Eſſegradena.* Hæc videtur eſſe **Holy-Iſland**, ſive *Sacra Inſula* in Lindisfarnenſibus ſive Acmodis. Quid enim aliud *Eſſegrad Enas*, niſi Dialecto quâdam veteris Linguæ, *Sacrata Inſula?* In Vaticano ſcripto Codice geminatâ voce dicitur *Eſſe, Grandena.*

ETOCESSA: Ita proculdubiò corrigendus eſt Anonymus, cùm duplici errore & *Epoceſſa* & *Ypoceſſa* repræſentet. Hæc urbs in Dobunis eſt ad confluentiam Sabrianæ atque Abonæ, unde & *Etoceſſa* nominata eſt, tanquam *Etoc iſceu*, ſive *Faux aquarum* ſive *fluminum.* Poſſit enim Antiquis dici *Etoc*, pro eo quod hodie Britannis eſt *ÜthÜc* vel *Güthuc*, & Novæ Angliæ Barbaris, *Cuttuc.* Hic locus Saxonibus dicebatur Theocrbỳpıʒ, hodieque **Tewksbury**, tanquam *Etoceſſæ Arx* vel *Burgus.* Quæ de neſcio quo minorum gentium Sancto *Theoco* crepantur vulgò minus nihilo ſunt. Crediderim etiam alteram fuiſſe *Etoceſſam* in Ceangis Ordüicum ſive Stavefordiano Pago, quæ hodie **Attoxeter** eſt. Vide in ANITOCIS. Haud abſimili Etymo dici videtur *Eburonum Caſtellum* apud Belgas nomine *Atuacuca*, tanquam

At

At ütüc av ſive *Ad fauces undæ*, quod modò eſt *Leodium* ſive *Leodicum*. Ptolemæo vitioſè hoc ſcribitur Ἀτȣάκȣλον.

ETOCETUM Antonini vitioſè ſcriptum puto pro *Letocerum*, quod vide ſuo loco. Cauſa erroris quòd non ita longè abeſſet *Etoceſſa* ſive Utoc-ceaſter, hodie **Attoxeter**, in confluentiâ duorum fluminum, Dobiæ ſcilicet atque alîus cujus nomen modò non occurrit. Si quis tamen mallet & illud magis *Etocetum* fuiſſe nominatum quàm *Etoceſſam*, non me repugnantem invenerit: Potuit enim *Letoceri* nomen altero *Etoceti* obſcurari. Sit igitur & *Etocetum* Britannicè *Etoc e Tüi* ſive *Düi*, quod *Faux* eſt *Amnis* ſive *Dobiæ*. Antonini Milliaria, ipſiuſque Itinerarii ratio nunquam ſinent aliud judicium ferri, niſi me multùm fallit ariolatio.

EXOBANES: Penè jurarem ita ſcripſiſſe ipſum Anonymum, etſi in edito Libro ſit *Exoſades* prorſus nullo cum Etymo. Idem enim veteri ſcripturâ *Exob* quod & *Eſcob*, quod Britannis dicitur *Epiſcopus*, ut & *Anes* ſive *Inis* ſit *Inſula*: Ut planè ſit ipſa **Farn** ſive **Fern** Inſula, veteribus Britannis *Medicante*, quod me docuit Camdenus primùm. Nam & *Fern* vel *Vern* Brigantum veterum linguâ fuiſſe *Sacrum*, nos in DUROVERNUM & in VERNOMETUM oſtendimus. **Lindisfarn** autem de *Lindiſſâ* Amne appellata eſt. Sanctæ iſtæ Inſulæ Monachis illorum temporum ſatis erant accommodæ, neque enim longè aberant Bannâ Nordanhumbranorum Regiâ; & opportuna fuerant perfugio, ſi quid à litore incommodi ſuboriretur. Videtur autem Britannicum nomen *Inis Medic Ante* ſive *Unte*, interpretari poſſe *Inſula Regis Ulterioris*: Siquidem Regulus Berniciorum (cujus mentio eſt apud Stephanum Heddium Bedæ coævum, in Vitâ Epiſcopi Wilfridi) potuit dici Briganticè *Medic Ante*, ſeu *Rex Ulterior*. Certè Oſcè ſive Celticè loquentibus Italiæ populis *Meddix* fuerat pro *Magiſtratu ſummo*, qualis & veteri Græciæ dicebatur Μέδων.

Ita

Ita enim Pompeius Festus; "*Meddix* apud Oscos "nomen *Magistratûs* est." Ennius etiam,

Summus ibi capitur Meddix, *occiditur alter.*

Sin autem hoc longiùs videatur petitum, proclive foret reponere *Medhic Anse* seu *Pratenses Insulæ*, quod vel nomen *Acmodarum* aliquatenùs confirmat. Verùm *Inis Medicante* priori adstipulatur Ἐτυμότητι, cùm Singulari dicatur numero. Hæc Insula fuerat è regione Bannæ, sicuti modò retulimus. Vide in LINDISFARNE & in ACMODÆ.

F.

FANUM COCIDIS: In MS. Regis Galliarum curtatè scribitur *Fanocodi*, & in Edito vitiosiùs *Fanocedi*, cùm in Vaticano Codice plenè scribatur sexto casu *Fanococidi.* Possit hoc videri locus ille celebris ad Amnem *Cocidem* in Otodinis, ubi Paulinus ille tot millia baptizâsse fertur, nomine **Palyston** sive *Sacer lapis*, forsan ob Στήλην aliquam Amni *Cocidi* sacram. Vide in COCIDIS.

FRAXULA: Fluvii nomen apud Ravennatem (in Vaticano vitiosè *Traxula*) hodie correptè **Froshwell.** Et est in Orientali nostrâ Saxoniâ sive Guepponiâ. Britanni solutis verbis dicerent *Fraü süael*, sive *Fluctus brevis:* Siquidem *Fraü* Britannis *Fluor* est, & *üael*, *Güael* & *Süael*, *Vilis* & *Bassus.* Sunt autem in Britanniâ plurima flumina nomine **Swale** sive *Vabalis*, sive etiam malles *Fraxulæ.* Vide in IDUMANTIUS & in MANTIUM.

G.

GABRANTUICON PORTUS, de commoditate suâ Ptolemæo Ἐυλίμενος Κόλπος appellatus, Latinoque Interpreti *Portuosus Sinus*; unde, prodente Camdeno & vicinus Viculus hodie dictus est de securitate loci **Sureby** sive *Securus vicus*, qui in

sinu

ſinu eſt **Burlington**; quem quidem Sinum ille mecum habet pro *Grabrantuicon Portu.* Quid autem *Gabrantuicon* Britannis niſi *Gavr ant* (vel *gant*) *üigon*, quod *Capella* eſt *exadversùm maris fluctibus? Fluctus* enim *maris* veteribus Britannis & *Uigon* erat & *Uion*, uti & Saxonibus de *motu* **Pæzen**, Angliſque **Waves** vel **Waven.** *Kent* etiam hodie Corinaviis & Aremoricis pro *Ante* eſt, de *Kent*, *Caput*; ſicuti & noſtratibus *Gan* vel *Gant*, *Apud* eſt: *Gavr* etiam *Capra* eſt. Fuerit igitur *Gavr ant üigon* Inſigne alicujus ad hunc Portum noti Hoſpitii publici, ſicuti & ſequens *Gabrocentum* etiam hodie **Gateshead**, ſive *Ad caprina capita.* Falſus eſt igitur Camdenus cùm de *Gabrantuicon* Genitivum fecerit Pluralem, cùm nullus fuerit ejus nominis Popellus. Adde quod in nonnullis melioris notæ Ptolemæi Libris Γαβραντικον legatur, non verò Γαβραντικων. Quid quod vel ipſum nomen *Burlintun* (nonnullis vitioſè **Bridlington**) ibridâ dicatur compoſitione pro *Büch ar lin*, quod *Caper* eſt *ad marinum liquorem?* Quid apertiùs?

GABROCENTUM: In Anonymo ſexto caſu legitur *Gabrocentio*, & in Notitiæ Libro *Gabroſentum*, levi vitio; quod & nobis jam olim deprehenſum eſt, cùm nondum ederetur Ravennas qui *Gabrocentium* ſcripſit, quòd videremus *Gabr cent* Anglorum vernaculâ dici **Gateshead**, uti ſuperiùs monuimus. *Tribunum Cohortis Secundæ Thracum* Stationem habuiſſe *Gabrocenti* ex Notitiâ didicimus. De ruderibus autem tam antiquæ urbis nobis *Novum Caſtellum* in viciniâ ortum eſt, meliori quidem, uti ſperamus, auſpicio; atque hoc nobis *Gabrocentum novum* ſit.

GADA, flumen **Jed** in Citeriore Valentiâ. Vide in ſequenti.

GADENI: Ptolemæo ita dicuntur Maiatæ in Valentiâ. Hi orientale Valentiæ latus tenuêre, de Bodotriâ Sinu Otodinos uſque. Veſtigia hujus gentis etiam hodie exſtant in **Keddonbourn**, atque etiam in flumine **Jed**, & in urbe **Jedburgh** ſive *Gadoburgo.*

Quid

Quid enim *Gadeni* nisi ad *Gadam* amnem *geniti?* Ejusdem formæ occurrunt *Carini*, *Morini*, *Dareni*, & *Luceni*, uti nos priùs monuimus. Ignotum non erat Britannis *Gadæ* nomen; nam *Gadam* sive *Gadessam* fuisse illis fluvioli nomen ostendit vicus **Gadesden**, sive *Gadessodunum*, ad fluviolum *Gadam* in Cattieuchlanis. Est & flumen **Gheete** in Belgicâ Primâ seu Brachbantiâ, quod & *Gadam* Veteribus appellatum equidem existimaverim. Ravennati forsan erat *Gata:* Nam de vitioso *Catalumis* feci *Gata*, *Lumis*; quò *Lumis* sit alterum nomen fluminis *Dilæ*, quod ita dicitur à *Dilin*, *Insequi.* Vide in LIMIA. Certè *Gadaü* Britannis *Relinquere* est, & per hoc etiam *Fugere*; unde & Aremoricis *Gadoü* dicuntur *Lepores*, tanquam *fugaces.* Quid quod & Sarmatis & hodiernis Persis *Chod* dicatur *Profectio*, quò referri possit & Græcum Ὁδὸς, *Via*, & Borealium nostrorum **Gate?** Persis etiam *Choda* pro *Summo Numine* est, quod Veteribus *Sol* erat, tanquam Ὑπερίων; nam pro *Aurigâ* habebatur. Vide plura in MAIATÆ.

GALGACUS: Caledonum hic erat Ardiragus, Argetotoxus, sive Imperator summus, temporibus Proprætoris Agricolæ. Videtur autem vel ex nomine fuisse Noüanta sive Gallovidius. In vetusto Libro Triadum *Galaüc ap Llienaüc* dicitur. Est autem *Llienaüc* Britannis *Parthenius*, sive *furtivo toro genitus*; nam *Lhian*, *Puella* est vel *Virgo.* Unde conjecerim eum notho fuisse patre. Est autem *Galaüc* tanquam *Peregrinus*, *Gallicus*, vel *Scotobrigas.*

GAMBOGLANDA: Ita conjicio legendum pro *Amboglanna*, quod vide.

GANGANI: Gens hæc Ibernica est apud Ptolemæum. Vide in CEANGI.

GANIO: Vide in CENIO.

GARIENUS apud Ptolemæum, fluvius est in Icenimagnis ulterioribus sive Nordofolcis, hodie correptè **Yare** appellatus. Videtur mihi ostium hujus amnis *Garienum* tanquam *Garü üi eneu* sive *Asperæ*

undæ

undæ os appellatum. In Vaticano Ravennatis Exemplari hoc flumen vitiosè scribitur *Anava*.

GARIONENUM: In Libro Notitiæ mendosè scribi videtur *Garionnonum*: atque hæc quidem Statio fuerat *Præpositi Equitum Stablesianorum sub Comite Limitis Saxonici*. Et planè videtur fuisse nostrum **Yaremouth** sive *Garieni ostium*. Ipsi Camdeno visum est in primâ Britanniæ suæ Editione fuisse **Caster** sive *Castra*, non longè à nostro **Yaremouth**. Verùm **Caster** illud nihil aliud fuerat quàm *Castrorum locus* extra urbem positorum, qualis & **Lexdon** est extra Camulodunum. In alterâ Britanniæ suæ Editione Arx quædam insignis, Bedæ (de Tuberculo puto in quo sita est) dicta Cnobheperburg, Camdeno habita est pro *Garioneno*: Hodiernum loci nomen **Burgh Castle** est sive *Castellum collinum*. Sunt autem illìc immanes vetusti operis reliquiæ. Erant sanè hujusmodi Arces veteribus Romanis frequenter commodioribus locis extra urbes positæ, qualis & suprà Dunocindum extra Durnovariam. Dicatur igitur Arx ista in præsentiarum Arx *Garionena*, atque ipsum **Yaremouth**, *Garionenum*; quod quidem solutis verbis Britannicè dicatur *Garü aün eneu*, sive *Garumnæ* vel *asperi amnis ostium*. Aquitanorum flumen *Garumna* Straboni dicitur Γαρουνᾶς: Siquidem Literæ *mn* Veteribus proferebantur ut *nn*.

GARNIA: Hæc Insula in Antonino turpi vitio *Sarnia* dicitur, cùm nobis hodie sit **Garnsey**, quasi *Guaronum* sive *Baronum Insula*: Siquidem Celtis sive veteribus Brigantibus & *Uaron*, & *Baron* & *Güaron* dicebantur *bellici* Gallorum *Clientes* sive *Soldurii*. Sit igitur **Garnsey** Britannorum plenis verbis *Güaron inis*, vel etiam *Güaron iü*, quod idem valet: Ut sit probabile Insulam istam datam fuisse quibusdam Militibus, qualiter hodie Melita.

GAUSENNIS: Vide in CANTENNIS.

GEBANNIUM: Antonino vitiosè scriptum esse *Gobannium* ostendit hodiernum urbis nomen **Abergevenny**,

benny, ſeu potiùs *Aber geban iü*, quod eſt *Alti fluminis oſtium:* Oſtendit etiam mons *Gebenna* (Straboni Κέμμενον) in Galliis, hodie *Les Cevennes* ſive *Montes præalti.* Erat autem Syllaba *Ge* Veteribus (uti & hodie Germanis) Articulare quid ſive Augmenti loco, quod & vitioſè ſcribitur noſtratibus *Y*; ſicuti & priori ſæculo Anglis dicebatur **Phon** pro **Gehon**, & ſimilia multa. Eſt autem hic locus in Siluribus ad cognominem fluvium *Gebannium.* In Ravennati noſtro ſexto caſu & truncatè dicitur *Bannio*, quod tamen tantundem eſſe ſcio. Idem enim Britannis *Ban iü* ſive *Altum flumen*, quod & præmiſſo Articulo *Geban iü.* Vide in BANOVALUM.

GEBANNIUS: Vide in voce ſuperiore.

GENUA: Vide in CENIO.

GEUICCIA: Apud Pauſaniam monſtroſo verbo dicitur ΓΕΝΟΥΝΙΆ, vitio certè exſcribentium, pro eo quod ipſe fecerat ΓΕΥΟΥΙΚΙΆ, oculos fallente literarum ductu, ut ferè fit in ignotis nominibus. Hæc fuerat olim Icenorum, Ꝿicciorum ſive Ꝿigantum latum Imperium; ut & Britannia Secunda Romanorum. Incolæ Belgobriganticæ fuêre originis, uti nos ſuperiùs memoravimus. Camdenus inſcitè pro *Genunia* repoſuit *Guinethia*, quod barbarum nomen eſt Venedotiæ, & nuperrimè ad aurem tantùm ab imperitis confictum; quod quidem nollem à tanto Viro factum. Vide in BRITANNIA & in ICENI.

GIRVII, Britanniæ quædam natio apud Bedam; ſive potiùs Icenorum Majorum non tam Ceangi quàm Vernæ. Auſtrales tamen *Girvii* ſive Huntedunenſes videntur fuiſſe Æſtiva Cattieuchlanorum; & Boreales tantùm ſeu Cantabrigienſes, Icenorum. Tandem verò, Saxonum puto temporibus, de immanibus iſtis paludibus & ſylvis erecti ſunt duo Pagi ſeu Conventus, qui tamen uni parent Vicecomiti. Certè inſtructiſſimus Camdeni enarrator Gibſon oſtendit non niſi ſub Henrico Tertio Huntedunenſes ſervilem conditionem exuiſſe. Credibile eſt igitur *Girvios*

iſtos

istos fuisse Icenorum & Cattieuchlanorum Civitatibus pro Helotis, atque tales etiam in Saxonum jus transiisse, adeóque Britannici fuisse generis. Certè vel *Ivonis* nomen, cujus in tutelâ est oppidum *Sleppa* sive *Nova Ritomagus* (ut de Neoto Ainulphoburgi Numine nihil dicam) indicio est eos esse Britannos. Hi enim *S. Joannem* etiam hodie *Ivanem* dicunt. Fabella de *Ivone* Persâ de Monachorum venit cerebellis. Quin & Ostidamniorum Britannico populo est etiam alterum oppidum *Ivoni* dedicatum. Videtur & Urbs *Sleppa* Britannicæ planè originis. Siquidem in Hoüeli nostri Legibus *Ysleppan* dicitur Britannicè Παγὶς sive *Decipula*. Quod ad *Girviorum* nomen attinet, planè de Britannico *Gyrwys* est, quod veteri linguâ est *Pecorum Actores*; vetustiori etiam scripturâ *Giriis* atque *Girüir*. Vide in RITOMAGUS.

GLANNOBANTA: In Imperii Notitiâ legitur *Glannibanta*, & in Antonino pejus *Glannoventa*, de quibus nos levi negotio fecimus *Glannobanta*. Britanni vetere linguâ solutè dicerent *Glen* sive *Glyn o bant*, quod est *Vallicula loci pandi* vel *subsidentis*. Hæc Statio fuerat *Tribuni Cohortis Primæ Morinorum*; quod ostendit Notitia. Et cùm hæc Arx fuerit ad Lineam Valli (quod nos docet Notitia) neque potuit esse **Bainbridge** in Agro Brigantico, quod primò visum est Camdeno; neque ad flumen **Wensbeck**, ut idem Vir magnus posteà conjecerat; neque denique *Caer Voran*, quod eruditissimo Camdeni Enarratori placuit, cùm *Caer Voran* suo sub nomine compareat in Anonymo: Equidem existimaverim *Glannobantam* fuisse **Routchester** ad Vallum, quòd & Antonini intervalla hoc confirment, & quòd in Notitiâ hæc Statio proxima stet à Tunoceno. Quid quòd nomen **Route** etiam *Iter* significet? Nam & hodiernis Gallis ea vox in usu est, & Britannis etiam *Rhodio* pro *Ambulare* est. Antonini etiam XI Iter ab hâc Statione orditur. Est igitur **Routchester** tanquam *Castra Itineris*.

GLEVUM Antonini, Ravennati Libro *Glebon Colonia* eſt: Britannis hodie *Caer Gloyü*, correptè puto pro *Caer gloyü üi*, vel *Civitas amnis limpidi*. Græcè ſcribebatur Γλῆβον, unde & Anonymo dicitur *Glebon*. Confirmat etiam Camdeni Inſcriptio Aquis Calidis reperta *Glevum* fuiſſe *Coloniam*. Vide in DUROLEVUM.

GLOTTA apud Tacitum, Ptolemæo veriùs ſcribitur Κλῶτα. Vide in CLOTA.

GRAMPIUS Caledoniæ mons Tacito memoratus, hodie dicitur Grantz-Bein ſive *Granni Colles*, Γρυναίκ βκνοὶ, de antiquo ſcilicet Beli ſive Beleni vel Apollinis *Granni* cultu. Notiſſimum eſt antiquiſſima Sacra in *Montium* apicibus fuiſſe celebrata, quò ſcilicet Dii immortales faciliùs exaudirent precantes.

GRANNUS: *Beleni* vel *Apollinis* cognomentum hoc fuiſſe apud antiquos Brigantes ſive Celtas ex pluribus Velſeri Inſcriptionibus conſtat. Atque inde novimus Caledones noſtros fuiſſe eâdem origine quâ & Galli veteres, quòd Mantovii ſive Muſſelburgi reperta ſit Ara ſub hoc Titulo, APPOLLINI. GRANNO. Q. LUCIUS. SABINIANUS. PROCOS. AUG. Atque hic etiam antiquis Doribus Κάρνειος, Phrygibuſque Γρυναῖος appellatus eſt, de Γρυνὸς ſcilicet ſive Γρκνὸς, quod Veteribus idem fuerat quod & Κορμὸς, nempe *Truncus arboris*. Sub eâ enim formâ Veteres colebant ſumma Numina, ante inventum Statuarum uſum. *Aquæ Granni* dicuntur Belgarum Fontes, hodiernis Gallis *Aix la Chapelle*, & Francobelgis Aken. Atque hinc eſt quòd etiam hodie *Grein* Ibernis Scotobrigantibus ſit pro *Sole*.

GRUCIUS, fluminis nomen in Ordüicibus. Vide in PENNOCRUCIUM.

H.

HABITANCUM, **Risingham** in Otodinis, Antiquitatum reliquiis celebre. Hoc ex veteri Inscriptione ostendit Camdenus. Nescio an Brigantice dictum fuerit *Havot an cüm*, quod est *Mansio Æstivalis in convalle*. Situm est hoc oppidum ad flumen **Read** sive *Rit*, de *Trajectu* ita appellatum; nisi & *Rit* sit etiam pro *Cursu*, quod vix credo. Vide suprà in BREMENIUM.

HAVNUM: Ausus sum ita reponere in Anonymo pro vitioso *Daunoni* (quod in Vaticano est *Dannom*) quòd ipse videtur scripsisse *Haunom*, vel magis etiam Græcâ Declinatione *Haunon*. Hodie **Hownam** esse videtur in Gadenis sive Maiatis, unde & Camdenus docet Viam militarem procedere versus Tuæsin nostram sive Borgovicum. Ingenuè fateor me nescire quid ea vox sibi velit, nisi Dialecto quâdam sit idem quod *Hunnum*.

HEBRIDES: Vide in EBUDÆ.

HERCULIS PROMONTORIUM apud Ptolemæum **Hertland** est sive *Litus Herculis* in Dumnoniis. Vide plura in JUPAPANIA.

HESUS, *Mars* sive *Orcus*, Celticis gentibus idem fuerat qui & Germanis Celtoscythis (quod in Islandorum Edda cernere est) *Omnipotens As* appellatur. Sarmatibus *Os* pro *Patre* est, quod (apposito Præpositivo *T*) Britannis & *Tâz* fit & *Tât* eodem intellectu. Phrygibus Asiæ Deus iste & Ἄτις erat & Ἄσις, & Μηνοτύραννος, *Deus* scilicet *Lunus* sive Phrygium Pantheon, Thracibus dictus Ἄτης sive Ἄτης υἱής, vel *Pater Filius*, quod idem Romanorum est *Liber Pater*. Hic erat & Syrorum *Aziz*, qui pro *Marte* illis fuerat: Ἄρης Ἄζιζος λεγόμενος ὑπὸ τῶν οἰκούντων τὴν Ἔδεσσαν, inquit Imperator Julianus. Neque diversus sanè Græcorum *Dis Pater* sive Ἀϊδωνεύς, sicuti neque Germanorum *Odin*, qui & Hyperboreis Canadensibus dici

videtur *Odcon* non absimili significatu. Quid enim Germanorum *Odin* nisi *Ot kind*, sive *Pater Filius* correptè prolatum? Erat hic igitur antiquissimis populis pro Summo Numine tam Cœlesti scilicet quàm Infernali; *Superis Deorum gratus & imis*, quod ait de Mercurio Horatius. Vide in TEUTATES. Oppidum est in Belgio hodie dictum **Dudenaerd** Francobelgarum sermone, quasi dicas Anglosaxonum Dialecto *Odin geard*, quod *Odini Septum* est sive *Arx* vel *Domus*. Equidem contenderim hoc non esse diversum à *Fano Martis*, quod in Libro Notitiæ & in Antonini Itinerario Tabulisque Peutingerianis occurrit. Veteres Belgæ *Asgardh* appellaverint.

HIBERNIA: Vide in IBERNIA.

HORESCI: Ita enim apud Tacitum legunt Eruditi pro eo quod in Libris vitiosè scribitur *Horesti*, etsi Sibbaldo placeat suum Ὀρέσται. Populus hic erat Caledoniæ, ad flumen Iscam, Tuiscam sive Tuæsin, in Dynastiâ quâdam de *An güisc* sive ἡ Ἴσκα, hodie **Angus** appellatâ. Adeò nihil est quod de nescio quo *Ængus* sive *Æneâ* vulgò crepatur. Dicuntur autem *Horesci* de *Gor üisc*, quod est *Supra Iscam* sive *Flumen*. Hi Ptolemæo *Tæxali* dicuntur. Vide in TÆXALI.

HUICCII: Ita Bedæ nostro dicuntur Ordüices. Vide in ICENI, ORDUICES, & in UIGANTES & GEUICCIA.

HUNNUM: Statio hæc est in Notitiæ Libro *Præfecti Sabinianæ Alæ*, ad Vallum Hadriani; unde vel hodie **Sevenshales** corruptissimo vocabulo appellatur, uti Camdenus satis doctè monuit. In Ravennate Libro legimus *Onno* sexto casu, ut sit admodum credibile traxisse sibi nomen de aliquâ *Fraxino*, quæ Britannis dicitur *Onnen*.

I.

IBELNIUM: Anonymo noſtro pravè ſcribitur ſexto etiam caſu *Ibernio*, mutato ſcilicet *L* in *R*, quod quidem aliàs haud rarenter fieri ſolet. Videtur hoc fuiſſe vetuſtum oppidum in Durotrigibus, hodie ibridâ compoſitione vocatum Blandford. Nam & Itinerarii ratio illud poſcit, & pronus eſt lapſus in ignotis vulgo vocabulis. Britanni noſtri ſolutè dicerent *I bêl na iü*, quod & *Caput* eſt & *anterior pars undæ*, ſive *amnis*. Poſſit & pleniùs efferri *Ibelanium*, imò etiam (dempto Præpoſitivo *I*) *Belanium*, quaſi *Bêl an iü*, quod tantundem valet. Unde & Saxonibus effictum Blandford, tanquam *Belanienſis Trajectus*. Vide in BLATUM BULGIUM, quod & *Belanium*.

IBERNIA, Græcis Scriptoribus Ἰβερνία, Ἰβέρνη & Ἰέρνη, Diodoro etiam Siculo Ἴερις. Vulgò hæc vitioſè ſcribitur *Hibernia*, tanquam de Latino. Veteres ſolutè dicerent *Iü Erion*, tanquam *Inſula Terrigenarum* ſive Αὐτοχθόνων. Siquidem *Aü*, *Eü* & *Iü* tam *Inſula* erat quàm *Aqua* Veteribus: quæ & pleniùs ſcribebantur *Aug* vel *Og*, ſicuti & Teutonibus Æge atque *Ooghe*, de Græcâ voce Αὐγὴ, quòd omnis Aqua *ſplendeat*; unde etiam & alterum nomen *Lug*, de Λύκη, quod *Lux* eſt: Quin & Ὠγὴν veteribus Græcis dicebatur *Oceanus*, unde & Plutarcho Ὠγυγία pro *Ibernia* eſt. Ἔρα etiam antiquæ Græciæ *Terra* eſt, ſicuti & Britanniæ noſtræ *Er*, & Syris ארעא *Arnga*. Certè ipſi *Iberni* & *Erin* ſive *Erion* ſe appellant; unde & *Erigenæ* Scoto nomen, tanquam *Ereiniaüc*, quod ab *Er*, *Terra*, eſt & *Geni* vel *Eni*, *Naſci*. Videtur ſanè gens iſta ante appulſum noſtrorum Brigantum ſive Phrygum univerſam Galliam, Hiſpaniam, atque Britanniam tenuiſſe: nam & Vaſcones & Cantabri etiam hodie ex parte magnâ (ſicuti & olim univerſa Aquitania, prodente Strabone, Garumnam

usque) veteri *Eriorum* Linguâ utuntur; quod ostendit Antiquariorum Britanniæ facilè Princeps Edvardus Luidius in luculentâ suâ Archæologiâ. *Ibernorum* autem hodiernus sermo ferè tertiâ sui parte Briganticus est sive Britannus; unde & Scotobrigantes hodiernos *Ibernos* nomino, cùm & ipsi se Gallos seu Peregrinos vocent. Primi autem Mortales ideo & *Terrigenæ* & Αὐλόχθονες habebantur, quòd ad instar cuniculorum Τρωγλοδύται & *Antricolæ* fuerint; unde & Scythæ Γέται sive Γεάται Græcis appellati sunt. De nostris certè *Ibernis* notissimus est Propertii versus,

Ibernusque Getes, *pictoque Britannia curru.*

Firmatur hoc vel maximè antiqui Gildæ dicto; "Prorepsêre è *cavernulis* suis fusci vermiculi *Iberni.*" Neque sane ab his videntur diversi qui vulgò etiam hodie feruntur nobis antiquiores, *antrisque* & in sylvis vitam egisse; & *Coüri*, *Milryr* & *Güidhonod* appellantur. Singulari certè numero *Caür* dicitur *Gigas*, correptè pro *Cau ür*, quod *Homo* est *speluncaris*; qualis *Cacus* & *Cyclopes* veteribus feruntur fabulis. *Milür* etiam *Vir ferinus* est vel *sylvestris*, & per hoc *Venator*, sicuti *Milgi*, *Venaticus canis:* nam Britannis *Mil*, *Fera* est, ut & Græcis Μῆλον pro quovis *Pecore*; atque huc spectare videtur Ibernorum *Clanna Miledh.* Denique *Gigas fœmina*, *Coüres* dicitur & *Güidhon*, quod est *Saga.* *Antricolas* Scythiæ prodit Strabo, Libro suæ Geographiæ XI. *Troglis* suis frigus devitâsse: Τρωγλοδύται (inquit ille) ἐν φωλεοῖς οἰκοῦντες διὰ τὰ ψύχη. Vide plura in BRIGANTES, SCOTI, & UERGION.

IBERNI: Quibusdam Ptolemæi Libris corruptè dicuntur Ὄυτερνοι, nisi sit illud συνωνύμως positum; sicuti & suprà Αὐτειροι seu *veteres Iberni.* Populus hic erat *Iberniæ*; ubi & *Ibernus* fluvius, in extremâ Momoniâ. Ita autem videntur appellati à Britannis, postquam bona *Iberniæ* pars a Brigantum & Belgarum colonis occupata est. Vide in AUTEIRI & in ERDINI.

IBERNIS

IBERNIS Ptolemæo urbs eſt *Iberniæ*, ad *Iberum* flumen poſita. Si **Dunkeran** eſt (ſicuti Camdeno mecum veriſimile videtur) nomen ſuum ſortiri poſſit de *Corinaviis*, Dumnoniæ Colonis, quaſi *Dun Kernaü* ſive *Corinaviorum urbs*. Certè antiquitatem arguit, quòd Epiſcoporum Sedes olim fuerit.

IBERNUS; Fluvius hic Iberniæ eſt apud Ptolemæum. Vide in ſuperiore. Ptolemæi Libris Ἴέρνος dicitur.

IBERRAN apud Anonymum, Inſula *Clota* eſt, & Caſtellum hodie correptè dictum **Arran**. In Catalogo Inſularum apud eundem Scriptorem vitioſiſſimè ſcribitur *Uinion*, cùm deberet eſſe *Iuerion*, vel, uti priùs ſcripſerat, *Iberran* pro ipſâ Arce, hodie etiam **Arran** appellatâ. Eſt autem Brigantibus *Iü Erion*, *Inſula Erigenarum*, Noüantarum ſcilicet ſive Gallovidiorum, qui origine erant Scotobrigantica vel Iberni mixto genere. Vide ſuprà in IBERNIA.

ICENI, magna Britannorum Civitas atque inclyti Praſutagi atque Vondiccæ Regnum, quorum Clientelis univerſa Geüiccia, Üigantia, ſive Britannia Secunda conſtabat. Venerabili Bedæ gens iſta *Hüiccia* dicitur; & *Venta* etiam *Icenorum*, primis temporibus Britannici generis Caput Nennio noſtro *Caer Üent Güic* appellatur. Unde conficitur ex facili eoſdem fuiſſe omnino *Icenos* & *Hüiccios*, niſi quòd *Hüiccii* dicantur de Singulari nomine *Üic*, ſicuti & ſuprà de *Ceang*, *Ceangi*; & *Iceni* contrà de Plurali *Üicon*, ſicuti & de *Cangon*, *Cangani*. Erant autem *Üicon* (hodiernâ ſcripturâ *Wychon* & *Gwychon*) Tacito dicti *Uigantes* (nam *Jugantes* manifeſtò vitioſum eſt) quod quidem vocabulum *Viros fortes* & *ſtrenuos* ſignificare videtur. Unde & σωωνύμως olim *Kedyrn* ſive *Strenui* appellati ſunt Britannis, ut & univerſa Inſula *Inis y kedirn*, ſive *Inſula virorum fortium* σωεκδοχικῶς de *Uigantum* populis. Certè vel hodiernis Francobelgis **Wiig** pro *Prælio* eſt, & **Wiigand** pro *Bellatore ſtrenuo*: Nec multùm ſanè abludit Anglicum

nomen **Quick** quod pro *Vivido* eſt; quod Scotoſaxones efferunt Britannico adhuc ſono *Huick* ſive **Whigg**: neque abſimili ſignificatu eſt Latinum nomen *Vigor*. Videntur iſti poſt Belgarum appulſum fuiſſe his pro Provinciâ; verùm proceſſu temporis, orto neſcio quo civili tumultu, virtute præcipuè Silurum atque Cornaviorum, novum ſibi condidiſſe Geüicciæ Regnum. Certè vel hodiernis Britannorum ſermo originem ſapit Belgobriganticam. Fuiſſe etiam veterem Belgarum Linguam Teutoniſmis quibuſdam inquinatam, ſicuti & contrà Teutonum Celtociſmis, multa declarant quæ non ſunt hujus loci. Erunt tamen duo Exempla inſtar omnium. Unde noſtri homines *Proditorem* dicerent *Bradür* de Teutonico **Ver-raeder**, ſicuti & *Proditionem*, *Brâd* de **Ver-raed**; unde etiam *Anudon*, *Perjurium*, eſt de Teutonico **Aneed-doen**, quod eſt *Falſum juramentum facere*, niſi ea vocabula à veteribus Belgis accepiſſent? Neque enim antiqui Saxones ita locuti ſunt; atque ipſæ voces compoſitionis ſunt planè Teutonicæ. Fuiſſe autem Belgicæ & Tranſmarinæ factionis *Icenos* noſtros vel inde patet, quòd ſocietatem Romanorum etiam ſub Claudio libenter amplexi fuerint. De his enim ita Tacitus Annalium ſeptimo; "*Iceni* valida "gens, nec prœliis concuſſa, quia ſocietatem noſtram "volentes acceſſerant." Verùm de diverticulo redeundum eſt. Habuit hic populus utroſque Icenimagnos, Corios ſive Coricenos, Boreales Girvios, Ordüices, Dobunos, Silures cum ſuis Demetis, & Cornavios, unà cum utriſque eorum Canganis in fide & clientelâ, vel certè in ſocietate. Temporibus autem Conſtantini Magni de Attacottiâ noſtrâ ſive Walliâ facta eſt nova Præſidialis Provincia, nomine Flavia. Verùm ruente tandem Romanorum militum poteſtate, Britannia Secunda, ſive Geüiccia, in tria diſſiluit Regna, Britannorum ſcilicet ſive Walliſcorum, Merciorum, atque Orientalium Anglorum; ita tamen ut Mercii antiquo jure Principatum tenerent.

Auguſti

Augusti atque Tiberii tempestate Icenorum Rex Cunobelinus, amicitiâ Romanorum adjutus, & Cartismanduæ Brigantis nuptiis auctus, universæ Insulæ Pendragon sive Ardiragus factus, Caratacum filium Siluribus præfecerat, atque alterum etiam nomine Togodumnum Dobunorum sive Glevanorum creavit Ducem, ni me fallit ariolatio. Ante Romana autem tempora præcipua Regum Sedes videtur fuisse Lindi Coloniæ, postea etiam Archiepiscoporum illius Provinciæ. Postero verò tempore, occupato jam à Romanis Colonis Lindo, Cives quidem migravêre Crocolanum, quod exinde Ventam sive Μηλρόπολιν dicebant *Icenorum:* Reges verò jam facti vectigales, ad Coricenos seu Minores *Icenos*, Bennonim atque Ratas sese recepêre. Neque prætereundum censeo vetustum Monasterium Icanhoe sive *Icenorum Arcem* appellatum, quod in Lindensibus est, Lindensem Conventum planè *Icenis* vendicare, meæque Geographiæ fidem facere. In Ptolemæi Tabulis gravi mendo pro Ὀικενοι hodie legimus Ὀιμβροι, quod oportuit hoc loco subnotari. Tacito in Vitâ Agricolæ *Iceni* Brigantibus accensentur; unde constat eos Brigantici fuisse generis.

ICENIMAGNI: Clientes hi fuerant *Icenorum Majorum.* Constabant enim initio horum Ceangis sive Juventute Pastoritiam rem apud Nordofolcas & Sudofolcas faciente. Vel ipse Camdenus censet *Icenos* dici à Cæsare *Cenimagnos*; verùm non advertit truncatum esse eorum nomen vel ab ipso Cæsare, vel certè à Librariis. Ratio autem hujus nominis altiùs repetenda est. Britannis priscis, pro diversitate Dialectorum, vel *Magn* vel *Mogn* (Aremoricis hodie *Moan)* vel etiam *Megn*, liquidiusculâ scilicet *G*, efferebatur pro nostro *Main*, quod pro *Parvo & Tenui* est; sicuti & Armeniis *Mân*, Latinis *Manis* (ut in voce *Immanis)* atque etiam Græcis Μανός. Qui igitur hodie dicuntur Gallis *Le menu peuple* (uti etiam Francobelgis De Menigh, atque ipsis etiam Roma-

Romanis *Minuta Plebes)* poterant & Britannis dici *Megni*; nam & hodie *Plebecula* dicitur *Y Meini*, quod Veteres ſcriberent *Gemegni*. E diverſo de alterâ voce *Magn*, *Icenimagni* dici videntur quaſi *Parvi* vel *Juvenes Iceni*. Neque ſanè abludunt *Icenimagnorum* Saxonica vocabula; ſiquidem hodie **Norfolk** & **Suffolk** nominantur, quæ quidem novimus Romanis ſonare *Borealem* & *Auſtralem Pubem*. De **Fole** enim, ſive *Pullo* vel *Parvulo*, fit **Folk**; ſicuti & de **Tale, Talk**; de **Stale, Stalk**; & de **Hull, Hulk**, Deminutivâ quâdam formâ: Et nomen *Folcach* etiam hodie Britannorum eſt de *Plebe minorum gentium*. Verùm de iſtis plùs ſatis. Fuerint igitur *Nordofolcæ*, *Icenorum* Paſtores, & contrà *Sudofolcæ* (quod vel hodie ſunt ex parte) *Bubulci:* Atque hæc quidem primis fuerant temporibus. Cæſaris autem ævo ſatis ampla Civitas hæc fuerat, etſi (ut videtur) Icenorum in fide; cùm nulla ſit apud Ptolemæum tanti populi mentio. Tandem etiam ſub Saxone Victore Orientalium Anglorum Regnum fuit; quod ſatis indicio eſt fuiſſe *Icenimagniam* jam anteà ſui juris, non minùs quam Flaviam noſtram ſive Attacottiam: neque enim ut fungi naſcuntur Regna. Apud Germanos etiam fuêre Chauci *Majores* atque *Minores*.

ICIANI apud Antoninum, urbs eſt in Borealibus *Icenimagnis*, hodie dicta **Ickborough**, ſicuti Talbotto mecum videtur. Dicebantur autem *Iciani* de *Populo*, tanquam *Ic ceangi* vel *Üic ceangeu*, quod *Pubes* eſt *Icenorum* ſeu *Uigantum*; ut ſit & **Ickborough**, *Icianorum Arx* ſive *Burgus*. Crediderim & noſtrum *Nordovicum* fuiſſe alicujus nominis Romanorum tempore: nam & locus Caſtrorum (hodie etiam **Caſter**) ad tertium lapidem eſt ab inclytâ urbe, & Saxonicum nomen Norðric, *Boreales* ſonat *Icianos*. Si quis in re tam obſcurâ conjecturæ locus, equidem divinaverim duplices, imò triplices fuiſſe *Icianos*, Occidentales ſcilicet ad *Icburgum*, & Boreales ad Nordovicum, & Auſtrales etiam ſive Orientales (reſpectu habito

ad

ad priores *Icianos*) ad Gypeſ-wic ſive **Ipſwich.** Britannis enim & *Güippa* & *Güeppa* pro *Ore* & *Facie* eſt, & forſan etiam pro *Mundi facie* ſive *Oriente.* Cùm enim *Chüith* ſive *Siniſtra manus* ſit pro *Boreâ*, & *Deheu* ſive *Dextra* pro *Auſtro*; quin poſſit & *Güeppa* dici pro *Oriente?* Ut poſſint & *Saxones* noſtri *Orientales*, *Gueppon* ſive *Gueppones* Britannis appellari; imò & *Guepponum nemus* dici quod Anglis eſt **Epping-Foreſt.** Etiam Sarmatis *Geba* eſt pro *Ore* & *Buccâ*; Scotobrigantibus vitioſè *Gulba.* Eſt & *Guepponium* oppidum **Epping.**

ICTA: Vide in VICTIS.

IDUMANTIUS, Orientalis Saxoniæ Æſtuarium, Ptolemæo vitioſè appellatum Ἰδυμάνιος. Hoc erat Fraxulæ atque Anſæ vel Axæ fluminum oſtium, quod & Ravennati truncatè dicitur *Mantium*, & in Vaticano monſtroſè *Intraum*, *Antrum*; unde mutatâ literâ Labiali vitioſum *Pant* pro *Fraxula* eſt, cùm deberet dici *Mant.* In Ravennate tamen Libro mendoſè ſcribitur *Mantrum*, pro eo quod deberet eſſe *Mantium* ſive *Mant üion*, quod *Oſtium* eſt vel *Os fluminum.* Quin & ipſe *Idumantius*, ſi ſolutè ſcribatur, erit *I deu mant iü*, ſive hodiernâ loquelâ *Y dheu vant wy*, hoc eſt, *Duo fluminea ora.*

IENA: Vide in CENIO; nam Ptolemæo vitioſè Ἰῆνα dicitur pro Κῆνα, quod & ipſum eſt quaſi *Kend âv*, vel *Caput aquæ.* In Vaticano MS. *Lano* eſt vitioſiús.

ILA apud Ptolemæum fluvius eſt in Carinis Caledoniæ, qui quidem hodie pleniùs **Wiſle,** tanquam *ÿi bel* vel *Aquæ Os* vel *Caput*, appellatur. Fuerat igitur magis Æſtuarium quàm Flumen.

IMMANUENTIUS, Trinoüantum Rex, Cæſari memoratus, & à Caſſivellano obtruncatus. Neſcio quid hoc nomen ſibi velit, niſi ſit (quod equidem ſuſpicor) *Hynav y Noüanteu*, ſive antiquiore ſcripturâ *Hinam a Noüantou*, *Trinoüantum* ſcilicet ſive *Noüantum natu maximus*, quem & nos hodie dicimus

Majorem

Majorem Londinii. Vide in NOUANTÆ, & in TRINOUANTES.

INISECOUNOS: Ita enim proculdubiò in Anonymo legendum pro eo quod in Libro eſt nimis curtè conceptum *Inſenos*; cùm ſit in Antonino *Counennos*, quod vide.

IRIS Diodoro Siculo Inſula *Ibernia* eſt, quomodò & nobis hodie **Ireland** ſive *Eriorum Terra.* Vide in IBERNIA.

ISACA: Ita enim in quibuſdam Ptolemæi Libris vitioſè ſcribitur pro *Iſca.* Flumen hoc eſt ad Dumnoniorum Iſcam.

ISAMNIUM, Ptolemæo Ἰσάμνιον ἄκρον ſive *Iſamnium Promontorium*, hodie *S. Johannis* in Voluntiis Iberniæ, ut Camdeno mecum videtur. Certè Scotobrigantibus *I ſavn iü*, *Oſtium* ſive *Os* eſt *undæ* ſive *maris.*

ISANNAVARIA: Vide in DANNAVANTRIA.

ISCA, hoc eſt *Aqua*; atque hæc veterum Brigantum ſermone *Üiſc* erat, & hodiernis etiam Pannoniis ſive Boiis **Uiis.** *Üiſc* autem proprio poſitum intellectu, *Tractus* quidam eſt ſive *Agmen aquæ.* Certè verbum *Üiſco* ſive *Güiſco* Oſtidamniis eſt *Adigere*, & Britannis noſtris *Induere.* Erant *Iſcæ* in Britanniâ penè innumeræ: Apud Belgas etiam flumen **Eſch** vel **Aſch** eſt, quod pro *Iſca* venit. Quin & flumen *Axona*, quod in Belgicâ Secundâ eſt (modò dictum *Aiſne*) dici videtur tanquam *Aſc avon* vel *Aſc aün*, quod *Tractus* eſt *amnis.*

ISCA AUGUSTA: Ita enim in Anonymo dicitur celeberrima urbs Silurum; cùm Antonino ſit *Iſca Legio Secunda Auguſta*, de *Legione Secundâ*, quæ & *Britannica Secunda*, ex quo eam Claudius de Germaniâ traduxit, Veſpaſiani ductu. Ab hâc igitur *Legione* urbs iſta ad hunc diem *Caer Leon ar Üyſc* ſive *güar Üyſc* appellatur; atque hoc eſt *Civitas Legionis ad Iſcam* ſive *ad aquæ tractum.* De cineribus tantæ urbis

urbis Newport ſive *Nova porta* in viciniâ ortus eſt. Ptolemæus egregiè lapſus eſt dum *Iſcam* noſtram cum *Iſcâ Dumnoniorum* confuderit. Hæc fuit primis temporibus Archiepiſcoporum Provinciæ Flaviæ Sedes, quæ modò, prodente Galfrido, Dola eſt in Britanniâ Tranſmarinâ.

ISCA DUMNONIORUM, Saxonibus Eaxanceaſtep, tanquam *Iſcana civitas*, & Latinizantibus Monachis *Exonia*. Nequeo ſatis mirari conveniſſe Ravennati cum Antonino in inquinatiſſimo errore: Siquidem utrique horum *Scadum* Urbis nomen eſt, Antonino verò *Nanniorum* vel *Nunniorum*, Populi, quod Ravennati eſt *Namorum*; alio tamen loco aliquantò rectiùs *Scadomorum* poſuit, cùm deberet dici *Iſca Domniorum*. In MS. Regis Galliarum *Scadoniorum* eſt; malè editur *Scadomorum*. Poterat enim de Singulari *Domn* (antiquâ ſcripturâ pro *Duvn*) Plurali numero dici *Domnii*; ſicuti & de Plurali *Dumnon*, *Dumnonii*. Peutingerianæ etiam Tabulæ *Iſcadum Nomorum* eſt. Ipſa Regio Monachis *Dompnonia* dicitur. Liquet inde quid audendum ſit in veteri Geogrrphiâ purgandâ, cum veterum Locorum nomina prorſus fuerint ignota Librariis.

ISCALIS apud Ptolemæum urbs eſt in Ceangis Dumnoniorum, ad flumen Iſel ſive *Guivel*, quod ſolutum erit *Gui bel*, vel *Fluvii os* & *caput*; unde Florentio dicto Wigorienſi urbs hæc *Givelceſter* appellatur. Nennio verò Britanno *Pen ſâv vêl coit* eſt, quaſi dicas *Ad caput fluminei oris in ſylvâ*. *Coit* autem dicit Nemus dictum *Coit maür*, *Ingentem* ſcilicet *ſylvam*, vel Delpude, quâ conſtabat olim univerſus iſte Pagus. Erit autem *Iſcalis* ſolutè poſitum *Iſc vêl*, ſive *Os* vel *Oſtium fluminis*. Hoc Ravennati inverſè dicitur *Velox* ſive *Belox*; quod vide ſuo loco.

ISCALIS; Flumen Iſel: Vide in ſuperiore.

ISURIUM BRIGANTUM: Ita enim & Antonino & Ravennati dicitur. Caput hoc erat *Brigantum*

Britan-

Britannici generis, ſicuti & Eburacum, Romanorum; nam diverſi habitabant Britones & Romani primorum temporum, quòd minùs inter ſe fiderent. Hodie dicitur Aldburg ſive *Urbs vetus*, & eſt ad Eburam amnem poſitum. Imò dictum videtur *Iſurium* tanquam *Is eur*, quod eſt *Infra Eburam* ſive *aquam*. Atque hoc quidem fuerat Ptolemæi *Brigantium*; non verò (veluti Camdeno & ſequacibus videtur) *Colonia Eburacum*. Vide in BRIGANTIUM.

ITUCODON apud Anonymum hodie Wester-Cowdon eſt ad ulteriorem Prætenturam in Valentiâ. Forſan autem *Itüc üi don* ſolutè ſcriptum *Arx* erit *ad fauces undæ*. Siquidem *Den*, *Din*, *Don* & *Dun* pro diverſis Dialectis *Arx* eſt, atque etiam *Oppidum*: *Etoc* etiam vel *Itüc* (quod hodie eſt *Üthuc* vel *Güthüc*) *Faux* eſt ſive *Guttur*; etiam Novæ Angliæ Barbaris *Cuttuc*: neque aliunde Romanorum *Guttur*. Vide in ETOCESSA, ETOCERUM, ANITOCIS; & in BRANDON & LUBDON.

ITUNA, Ptolemæo flumen Eden eſt in Brigantum Ceangis, hodie Cumbris. Hoc ſi ſolutè ſcribatur erit *I tun üi*, hodiernâque ſcripturâ *Y tynn wy*, ſive *Tentum flumen*; cujus nominis plura ſunt per Britanniam flumina. Vide in ANTONA & in TINNA.

ITYS Ptolemæo flumen eſt Deucaledoniæ, ſicuti Camdeno mecum videtur. Hodie dicitur Allint, tanquam *Aſc hynt*, quod *Aquæ iter* eſt. *Itys* autem ſolutè poſitum videtur eſſe *I tüiſc* vel *Y twyſc*, ſive *Aquæ tractus* vel *fluvius*. Vide in TUÆSIS.

IVERION: Vide in IBERRAN, & in IBERNIA.

JUGANTES: Vide in UIGANTES.

JULIA STRATA quæ Nechamo Poëtæ dicitur, juxta Camdenum Via militaris eſt ad Iſcam Auguſtam, à *Julio* Frontino Silurum ſubactore conſtrata. Hìc autem advertendum ἐν παρόδῳ, Saxonicum vocabulum Ꞓꞇꞇꞇæꞇ, *Stratam* dici *militarem*; ſiquidem

ſiquidem **Hermen** Teutonibus dicuntur *Milites* ſive *Bellatores*.

JUPAPANIA: Non dubitavi apud Anonymum ita reſcribere; cùm in Libro ſit (nullâ planè cum Etymologiâ) *Jupania*, eliſâ ſcilicet repetitâ Syllabâ. Siquidem (quod advertit Placidus Porcheron, eruditiſſimus Ravennatis Editor atque Interpres) ſæpe evenit in MSS. Codicibus, ut Syllaba, cùm bis debeat conſequenter, à Librariis ſemel tantùm ſcribatur. Atque equidem exiſtimaverim hanc fuiſſe vetuſtiſſimam Silurum Urbem, hodie duplici nomine inſignitam, *Caer Dyv* ſcilicet, de amne *Tavo* ſive *Rhatoſtaubio*; & *Caer Dydh*, de *Jovis* vel *Herculis* cultu. *Aü*, *Eü*, *Iü*, *Oü* & *Üi* vetuſtiſſimis Briganticæ linguæ Dialectis pro *Liquore* fuerant *aquæ*; imò & pro quovis *Nitore* & *Lumine* ſive *Aquæ* ſive *Diei*, ſive etiam figuratè ipſius *Juventæ*. Appoſitis etiam Præpoſitivis Literis *D*, *G*, *S*, *T*, fit Græcis atque Britannis Δεὺς, *Deü*, *Diü*, & *Düi*, tam pro *Die* quàm pro *Deo*: Nam & Cretes olim *Diem* dicebant Δία, ſicuti vel hodie Scotobrigantes *Deum*; imò & Romanis ipſis idem eſt *Jupiter* qui & *Dieſpiter*. Sicuti & Britannis noſtris *Diü* vel *Dyü* etiam hodie & *Dies* eſt & *Deus*. Armeniis ſeu veteribus Phrygibus *Tiü* eſt *Deus*, appoſitâ alterâ Præpoſitivâ *T*; quod ſi apponatur *S*, fiet Lacedæmonium Σιὸς, & commune Ζεὺς; ſi *G* vel *I*, Aremoricum *Goü* vel *Ioü*, quod & *Jupiter* eſt & *Juvenis*. Britannis verò *Güi* pro *Unda* eſt, & *Düi* pro *Aqua* & *Deus*. Celtoſcythis autem ſeu Teutonibus pleniùs dicitur **Dags** & **Daeg**, Armeniis tamen hodiernis *Te*. Denique antiquis Phrygibus, Argiviſque & Ægyptiis horum Colonis, Ἰάω, Ἰαὼ atque Ἰὼ pro *Juvene* erat *Deo*, *Baccho* ſcilicet ſive *Attide Menotyranno* & *Apolline*, qui quidem & *Deus Lunus* fuerat & Κόρος & *Liber*, & Ἡρακλῆς ſive *Hercules*; quem & Ægyptii, prodente in Iſide Plutarcho, Conchâ ſive *Lunari* ſcaphâ circumvectum ferebant. Erant autem Græcis Διοκλῆς, Ἡρακλῆς, cum ſimilibus

aliis ejusdem ferè formæ, cujus & apud Romanos *Marcipor* pro *Marci puer*, atque ejusmodi alia. Siquidem Ἡρακλῆς est quasi *De Junone nominatus* vel *Junonius*; uti & Διοκλῆς, *De Jove* vel *Jovius*; & Διονυσικλῆς, *De Dionysio* vel *Dionysius*. Certè Μηνοτύραννος iste puer Phrygibus pro *Matris Magnæ* erat *Amasio* sive *Deliciis*; Græcis verò rudiori populo, contrà pro *Calone* vel *Ministro*. Idem Numen & Thracibus dictus est Υἱὸς Ἄτης, eodem sensu quo & Romanis *Dius Fidius*, quod est Διὸς υἱὸς, *Lunosolare* scilicet *Numen* sive Phrygium Pantheon; quod cùm (ut Paphia Venus) Ἀρσενοθήλυ fuerit, utroque sexu & Ἰὼ & Ἰώα dicebatur: *Solem* enim in *Lunâ* colebant Veteres. Hic *Minor* erat *Jupiter*; sicuti *Cœlum* vel *Æther*, *Major*. Videbatur enim Veteribus hic Mundus non unius Opificis Δημιούργημα, quod nos docent & Philosophi & Sacri Judæorum libri; verùm Familia quædam Deorum, quibus *Cœlum* & *Terra* pro Parentibus fuerant, *Sol* autem & *Luna* pro Majoribus Liberis; atque hi quidem fuerant Divipotes, Dii magni, Samothracumque Cabiri, sanctissimus idemque vetustissimus cultus. Et Phrygibus etiam & Thracibus Ἰάω Σάβε sive Ζεὺς Σαβάζιος, *Juvenis* erat *Bacchus*, Choreæ repertor. Ἦσαν δὴ καὶ ἔθνος Θρᾳκικὸν Σάβαι, ὅπερ τοὺς Βάκχους δηλοῖ Φρυγίᾳ διαλέκτῳ, inquit Eustathius ad Dionysii Περιήγησιν. Βάκχους autem Κορύβαντας dicebant Veteres, hoc est, *spiritu vini percitos*, & *insanos* Διονύσου χορευτὰς; quales & Arabibus Σαβαῖοι dicebantur Διονυσιακοὶ, imò vel Judæis ipsis סבאים *Sobeim* sunt Οἰνοφλυγεῖς. Atque hinc videtur & Mohammedes Arabibus suis interdixisse *Vini* usu, quo *Dionysiaca* eorum aboleret Sacra. In Gemmâ quâdam quæ in nupero Cornelii Itinerario ad Orientem est, reperimus Phrygum Ἰάω Σάβε alati Cupidinis formâ de Leonis dorso (qui ad *Magnam Matrem* spectabat) sagittas jaculantem: Et in aliâ etiam ejusdem Scriptoris Gemmâ duo sunt Cupidines, se invicem quasi confodientes sagittis; qui quidem de geminâ *Lunari* Phasi

interpretandi videntur. Atque hi fuiſſe videntur Græcorum Ἔρως & Ἀντέρως. Cùm autem veteribus Phrygibus, Thracibus & Celtoſcythis Πάπα ſive Παπαῖος & *Jupiter* ſit & *Pater*, inde factum eſt quòd *Hercules* iſte ſive *Apollo* Græcis dicatur Παίαν & Ἰὼ Παίαν, quod *Juvenis* eſt *Pater* ſive *Deus*, qui & Κόρος & *Liber Pater*, & Teutonibus hodie eodem planè intellectu **Sohn** ſive (uti noſtri ſcribunt) **Sun**, quod Participium eſt *Satus*: Britannis etiam veteribus *Jau Papan* idem ſonat. Nam & *Jau* etiam hodie noſtrati populo tam *Juvenis* eſt quàm *Jupiter*, ut & Aremoricis *Joü* & *Goü*; & *Papan* eſt pro *Filiolo*, etiam Novæ Angliæ Barbaris *Papus*. Neque tamen hoc nos morari debet, cùm notum ſit etiam hodiernis Saxonibus *Pueros* atque *Puellas* dici **Faderkinden** & **Moderkinden**, ſicuti & Arabibus *Aben* dicitur *Filius*, quaſi *Paterculus*, de אב *Ab* vel Ἄππα, *Pater*; quod quidem aliàs truncate dicitur *Ben* tam Arabibus quàm Judæis. *Papan* autem veteribus Britannis & *Belenum* Jovis filium fuiſſe vel inde patet, quòd in vetuſtâ eorum Mythologiâ ipſum *Cœlum* (quod ſæpe à natu Majoribus, harum rerum peritis, audivimus) *Bugarth Papan* ſive *Bovile Papæi* appellatum eſt. Firmatur etiam vel inde Anonymi Monachi emendatio à nobis inſtituta, quòd è regione Silures, in Dumnoniis, *Herculis* Promontorium ponatur. Quod quidem ſatis bono argumento eſt iſta Sacra non fuiſſe Britannis veteribus peregrina. Imò & Artemidorus apud Strabonem Libro IV. Geographiæ, ait Inſulam eſſe juxta Britanniam, in quâ ſimilia Samothracibus, Cereri atque Proſerpinæ fiebant Sacrificia. Hanc equidem exiſtimo fuiſſe *Malenon* ſive *Minervæ Inſulam* Pytheæ dictam *Uniſamam*.

JURA: De duabus Inſulis *Saponis* & *Suſura*, quæ hodie in Ravennati Libro ſunt, nos levi negotio fecimus *Pepidioniſſa* atque *Jura*; quod neminem improbaturum ſcimus, cùm *Jura* ſit vel hodie in Ebudarum numero. Ipſe verò Ravennas non *Pepidioniſſam*

ſed *Papidioniſſam* ſcripſerat; cùm neſciret quid eſſet Græcum Πεπιδίων νῆσος, diverſâque forſan uteretur Britannicæ Linguæ Dialecto. Neque dubitandum cenſeo quin *Jura* Britannis ſolutè dicatur *Jau Rig*, vel alterâ etiam Dialecto *Jou Rag* quod eſt *Jovis Regis*; præſertim cùm vicina *Mula* ſive *Malenos* dicatur Ravennati *Minervæ*, & cùm Gallorum mons *Jura* ſive *Juraſſus* huic Inſulæ ſit cognominis. Vide in ſuperiore.

JUTÆ: Hi apud Bedam perverſè ſcribuntur *Uitæ*, erantque in vaſtandâ Romanâ Provinciâ Saxonum & Anglorum ſocii. Etiam hodie horum Patria dicitur *Jutia* apud Danos, quorum veteri Linguâ **Jot** vel **Jotun** pro *Gigante* eſt vel *Homine ſylveſtri*, *Getâ* ſcilicet vel *Geatâ*, *Troglodyticam* vitam agente. Eſt etiam *Danus* à Saxonicâ voce Þegn, quod illis *Vir ſtrenuus* eſt, & *Miniſter*, & *Servus*, atque etiam *Miles*, **Kemper**, ſive *Cimber*. Etiam Britannis noſtris *Dên* ſive *Dyn* idem ferè ſignificat, nam uſquequaque *Hominem* ſonat.

L.

LABERUS, Ptolemæo Λάβηρος, locus quidam fuerat in mediâ Iberniâ nobis hodie ignotus. Equidem conjecerim Curiam fuiſſe Brigantum ſive Κοινοβύλιον vel Parliamentorum Locum, quòd Britannorum Linguâ *Lhavar* ſit *Sermo* ſive *Concio*. De Camdeni **Kil-lair**, quod Caſtrum dicit eſſe in mediâ Iberniâ, alii melius judicabunt. Hujuſmodi Curiam fuiſſe crediderim & **Stone-henge** ſive *Penſiles* dictos *Lapides* in lato Carviliorum Campo, modò dicto Sariſcano ſive Sorbiodunenſi.

LACTORODUM: Hoc in pleriſque Antonini Libris vitioſè *Lactodorum* ſcribitur, Ravennatique aliâ Dialecto *Lectoretum*; ita enim legendum cenſeo pro *Lectocetum*, quod in Vaticano eſt geminâ voce *Lecto Ceto*. Antonini Milliaria indicio ſunt hoc fuiſſe

quod

quod hodie ibridâ compositione **Lathbury** sive *Lactoburgus* dicitur; & est ad Oxam sive Icam flumen in finibus Ancalitium, inter Durocobrivim atque Dannavantriam. Valet autem *Lactorodum* sive *Lectoretum* solutè scriptum *Lhaith ryd* (antiquâ scripturâ *Lact rit*) quod *Trajectus* est liquoris. Britannis etiam hodie *Lhaith* pro *Humido* est; & Veteribus *Ret*, *Rit* & *Rot*, variantibus Dialectis, dicitur *Trajectus*. Etiam Gallorum urbs inclyta *Arelate*, *Supra liquorem* sonat. Etiam *Lac* Britannis dicitur *Lhaeth*, de Græco Γάλα, Γάλακτος, quod & Aremoricis *Leth* dicitur. Hic locus Camdeno videtur fuisse juxta Lapideum dictum Trajectum ad veterem Stratam; quod quidem nobis eò minùs placet, quòd Nova Porta *Lactoburgo* vicina bono indicio sit, juxta fuisse aliam urbem se ipsâ vetustiorem. *Nova Porta Paganelli* hodiernum est *Lactorodum*.

LAGENTIUM: Ita enim Ravennati scribitur quod in Antonini Itineribus duplici errore & *Lagecium* & *Legeolium* dicitur. Hæc Statio fuerat in Segontiacis Brigantum, ad confluentiam fluminis *Garüii*, **Are** (sive *Arü üi*, vel *Asperi amnis*) & *Caladurii*, **Calder**, sive potiùs *Calai dür*, vel *Lutosi amnis*. Hodie *Lagentium* ibridâ linguâ **Castelford** (Mariano verò **Casterford**) sive *Castra* vel *Urbs ad Trajectum* appellatur. Est autem *Lagentium* Britannorum solutis verbis *Laü gant* (vel *gent*) *üion*, quod est *Ad manum flexuræ undarum*, quòd sit in ipsâ confluentiâ. In Vaticano codice perversè scribitur *Laguentium* pro *Laugentium*. Forsan & pervetusta urbs **Lewes** apud Australes Saxones, etiam Danicis temporibus celebris, appellata est Veteribus *Lauisca*, tanquam *Ad manum Iscæ* sive *Amnis* hodie ἀνωνύμα.

LANGANUM vel IANGANUM PROMONTORIUM: Vide in CEANGI; nam vitiosè Ptolemæo scribitur.

LAPIS TITULI: Vide in AD LAPIDEM TITULI.

LAVATRIS: Ita enim in Antonino eſt, cùm ſit apud Notitiam Plurativo vocabulo *Lavatres*, & in Anonymo corruptè *Lavaris*, omiſſâ literâ *T*. Statio iſta in partibus Deirorum eſt, in Ægmundi Dynaſtiâ, ad fluviolum de Urbis nomine hodie appellatum **Laver** ſive *Lavatrim*. *Lavatrim* autem Romanis dici *Balineum* vetus Inſcriptio apud Camdenum manifeſtum facit, atque etiam Anglorum nomen **Bowes**, quod *Balinei Arcus* deſignat, quod & Camdenus monuit. Vitioſè etiam ſcribitur *Levatris* atque etiam *Lavatræ*.

LAVOBRIGA: Ita ſcribendum in Anonymo pro *Lavobrinta*. In exemplari Græco forſan fuerat *Lavobinga*, Græcis autem Literis ΛΑΟΥΟΒΡΙΓΓΑ: Exſcriptores fecêre *Lavobrinta*. Certè *Cetobriga* in Hiſpaniâ (Antonino *Catobriga*) eidem Ravennati pari mendo *Cetobrigga* dicitur, ſive, ut in Impreſſo eſt, *Cetobricca*. Eſt autem Britannis *Lavobriga* ſoluto ſermone *Laü üog briga*, quod *Civitas* eſt *ad manum paludis*. *Paludem* autem dici exiſtimo quæ Britannis hodie dicitur *Tralhünc* ſive *Vorago*, Angliſque **Welſh-Pool** ſive *Palus Gallica*. Urbs hæc omnium quæ in Montegomericâ Dynaſtiâ ſunt, videtur nobis antiquiſſima. Quin & Anonymi *Lauobriga* media eſt inter Veroconium atque Mediolanium, quod & hæc eſt. Vetuſtiſſimo etiam Bardo Lomarcho Seni dicta videtur σωωνύμως *Caer dan aü* vel *adan aü*, quod *Urbs* eſt *infra aquam*, *paludem* ſcilicet modò memoratam. Vide in DUROCOBRIVIS.

LEBANONIUS: Vide in LEVINOXANA.

LEGIO II. AUGUSTA: Vide in ISCA.

LEGIO VI. VICTRIX: Vide in EBURACUM.

LEGIO XIV. GEMINA MARTIA VICTRIX: Vide in CAMULODUNUM.

LEGIO XX. VICTRIX: Vide in DEVA.

LELAONNONIUS: Vide in LEVINOXANA.

LEMANIS ſive PORTUS LEMANIS ut Antonino ſcribitur, Ptolemæo eſt Καινὸς Λιμὴν ſive *Novus Portus* in Cantiis. Hodie **Hithe** dicitur ſive Ὄχθη vel *Litus*, & per hoc *Portus*, juxta quod & **Stut-fall** *Caſtellum* eſt ſive potiùs *Stadfall*, quod videtur *Ruentem arcem* ſignificare, neque longè abeſt **Lime** viculus, antiquæ urbis locus. Hic Portus etiam Ravennati dicitur *Lemanis*; Peutingerianæ verò Tabulæ pleniùs *Lemavio* pro *Lemavon*, de flumine puto *Lemana*. Juxta Librum Notitiæ hìc erat *Præpoſitus Numeri Turnacenſium* ſub Comite Limitis Saxonici. Conſtat apud **Stutfall** egregias eſſe veteris Arcis reliquias. Vide in ſequenti.

LEMANA apud Ravennatem hodie **Lime-water** eſt ad Portum *Lemanim* in Cantiacis. Qui quidem fluviolus pleniùs *Lem aün* ſive *Lem avon* ſcriberetur, quod Britannorum linguâ *Acris* eſt *amnis*; ſiquidem Aremoricis Belgis *Lem* dicitur quod nobis eſt *Lhym*. Atque hinc quidem Peutingerianæ Tabulæ ipſe Portus corruptè dicitur *Lemavio*, ſicuti nos ſuprà monuimus. De Celtico etiam *Lim* Romanis dicitur *Lima*, atque etiam *Limis oculis*.

LENDA apud Ravennatem fluvii nomen eſt. Et videtur ſanè dici **Weland** in Antoniniano Conventu. Quid enim *Lenda* niſi *Len dav*, ſive *Plena aqua?* Corinaviis enim etiam hodie *Len* dicitur quod noſtratibus eſt *Lhaün: Dav* etiam idem eſſe quod *Av* aliàs oſtendimus. Hoc συνωνύμῳ vocabulo appellari poſſit *Ui len*, & Saxonibus vitioſè *Welud*, Angliſque adhuc vitioſius **Weland**. Erat autem Saxonibus ibridâ compoſitione *Welud* tanquam *Aquæ ductus*. *Trajectus ad Lendam* fuerit nomen *Stanfordiæ*.

LETOCERUM: Equidem dudum ſuſpicatus ſum *Etocetum* fuiſſe ab ipſo Antonino per errorem nominum loco ſuo ſubmotum, & *Letocero* noſtro ſuppoſitum. Certè quod antiquis Saxonibus ibridâ prolatione dicebatur Licid-feld, Anglorumque imperito vulgo hodie **Lichfield** in Staveſordiano Pago, vide-

tur mihi potuiſſe meliùs efferri *Letocfield*, quo conveniret cum Britannico *Letoc erü* ſive Πλατεῖα ἄρουρα vel *Latum arvum*; eóque magis quòd vocabulum *Licid* ἄσημον ſit utrique populo. Nihil attinet Monachorum ſomnia recenſere. Vetus *Letocerum* ad locum fuiſſe, hodie de vetere *Muro* dictum **Wall**, ad Paſſuum ferè mille à Novo, oſtendit in Britanniâ ſuâ Camdenus. Vide in ETOCETUM.

LETOCETUM: Vide in LACTORODUM, nam vitioſè ita Anonymo ſcribitur pro *Lectoretum*; etſi poſſit & *Lectoretum* ferri Dialecto Belgicâ pro *Lactorodum* vel etiam pro *Lactoretum*, quomodò & *Leth* dicitur Aremoricis pro noſtro *Lhaeth* quod *Lac* eſt.

LEUCA: Ravennati noſtro ſic dici videtur flumen *Lega*, *Leigh* vel **Lea** in Trinoüantum finibus verſus Orientem. Saxonibus certè dicebatur Lıȝean, correptè puto de Britannico *Lugaün* vel *Lugavon*, quod *Lucidum amnem* ſonat. Crediderim & hunc fluvium productiùs fuiſſe appellatum *Duroleucam*, ob nomen vicini oppidi *Durolicum*. Notum eſt vocabulum *Lug* antiquâ Celtarum linguâ *Clarum aquæ liquorem* denotâſſe, qui & veteribus Latinis *Lix* fuerat. Eſt igitur *Leuca* quaſi *Lug av*, vel *Tranſlucidus amnis*, qualem vel hodie cernimus. Vide in LEUCARUM & in LEUCOMAGUS. Huic cognomine videtur & Belgarum flumen *Lega* Ravennati dictum, hodie *Leye* ſive **Lys**. Etiam Armeniis Λοὶς pro *Luce* eſt, ſicuti & Hyperboreis Canadæ Barbaris.

LEUCARUM apud Antoninum, hodie *Câs Lychür* eſt, ſive *Caſtellum Leucarem* ad amnem *Lychür* ſive *Ligurem* in Morganticâ Silurum Dynaſtiâ, uti nos docuit Camdenus. Erat autem veteribus Britannis idem *Ligur*, quod & Gallis *Liger* vel *Ligeris*; & compoſitio vocabuli eſt de *Lug* quod *Clarus liquor* eſt, & *Eur* vel Οὖρον, *Aqua*. Vide in LIAR.

LEUCOECION: Vide in CANDIDA CASA.

LEUCO-

LEUCOMAGUS: In Ravennate Libro *Leucomago* eſt ſexto caſu. Hæc eadem urbs Antonino dicitur *Verlucio*. *Leucomagus* autem Britannis diceretur *Lug aü maes*, quod *Civitas* eſt *ad Leucam amnem*. Siquidem *Magus* veteribus Celtis tam pro *Urbe* erat quàm pro ipſo *Agro*, ut olim monuerat Plinius. Erat etiam *Abonæ* iſti proprium nomen *Leuca*, ut vel ex compoſitione vocabuli apparet. Vide in LEUCA, & in VERLUCIO. In Vaticano Exemplari vitioſè ſcribitur *Leucumagna*.

LEUGOBALENA: Ita planè in Anonymo Libro legendum duxi pro eo quod nullâ commodâ Etymologiâ *Leugoſena* eſt, deperditâ mediâ Syllabâ, & mutatâ Literâ *L* in *S*. Æſtuarium hoc erat *Lugubali* ſive *Lugubaliæ* in Brigantum Ceangis, qui hodie ſunt Cumbri. Lomarcho Seni antiquiſſimo Britannorum Bardo dici videtur *Aber Lhyü*, correptè puto pro *Aber Lhug üi* ſive *Oſtium limpidi amnis*. Vide in LUGUBALIA.

LEVINODUNUM: In Anonymo monſtroſè ſcriptum eſt *Leviodanum*, de quo nos nullo negotio *Levinodunum* fecimus, quò ſit **Levingſtown** in Maiatis ſive Gadenis. Britanni ſoluto dicerent ſermone *Luvn aü dun*, quod eſt *Levis amnis oppidum*. Idem enim illis, variantibus Dialectis, *Levn*, *Livn*, *Lovn* & *Luvn* quod & Græcis Λεῖος & Romanis *Levis*.

LEVINOXANA: Hæc Ravennati levi mendo dicitur *Levioxana*, omiſſâ Literâ *N*, quæ ſolutis verbis foret *Levn oſc anau*, quod *Os* eſt *levis amnis*. Siquidem Oſtidamniis *Anaü* ſive *Ganau* pro noſtro *Geneu* eſt, quod *Os* eſt & *Guttur* ſive *Fauces*. Lacus hic eſt in Valentiâ hodiernis Scotoſaxonibus vitioſè prolatum **Loch-Lomund**, quod veteri Pictorum Britannorum Dialecto foret *Lug lovn munt*, quod eſt *Liquoris levis oſtium*. De Lacu iſto *Libnius* amnis oritur, qui vitioſè Ptolemæo dicitur Λελαοννόνιος, & in quibuſdam Libris Λεμαννόνιος, pro eo quod dici deberet *Lebanonius*, verbiſque ſolutis *Levn aün iſc*, ſive *Levis*

amnis aqua. Atque de hoc Lacu universa ista Dynastia hodie dicitur **Lennor** correptè pro *Levn ox*, vel *Levis aqua.* Vide in CORDA.

LIAR: Ita enim Anonymo correptè scribitur Corigaunorum flumen *Ligur*, quod quidem *Leircestriæ* sive *Ratis* nomen dedit. De hujus autem Etymo vide suprà ad LEUCARUM. Flumen etiam *Liar* sive *Ligur* appellatur hodie **Soar**, quod Britannicè foret *Sor üi* sive *Acerbus amnis*, & Latinis *Sarua* vel *Saruba.* Hodierni etiam Galli de *Ligeri* suo fecêre correptum *Loyre*, liquefactâ scilicet Litera *G* de more antiquo: Atque hoc quidem flumen Straboni dicitur Λείγηρ. Vide in SARUA.

LIBNIUS Ptolemæo, Iberniæ fluvius est in Sinu **Slegach**, prodente Camdeno. Et hic etiam Brigantibus erat *Livn iü* sive *Levis unda.* Sunt & plures *Libnii* in Valentiâ, Veteribus non memorati.

LIMES: Vide in VALLUM BARBARICUM.

LIMIA: Anonymo levi vitio dicitur *Cimia:* Et flumen **Lim** est in Durotrigibus, quasi *Lim iü* vel *Torrens unda.* Est autem *Lim* productum pro *Fluento* sive *Torrente*, hodiernâ prolatione *Lhiv*, & Aremoricè *Linvat*, de Græco puto Λίμνη. Erat & flumen *Lumis* in Belgio quod συνωνύμως hodie *Dila* dicitur; ad quod forsan & Urbs *Lumis*, hodie *Lovanium* vitiosè pro *Lumanium.* Est autem *Lumis* quasi dicas *Lhîm isc*, quod est *Profluens amnis.* Vide in GADA. Vitiosum puto Ravennatis *Catalumis*, cùm deberet esse duplici voce *Gata*, *Lumis.*

LIMNUS, apud Ptolemæum Λίμνυ ἔρημος, Insula est hodie dicta **Ramsey** (sive *Romana Insula*) in Vergivio mari, non ita longè ab insigni Pennobrogano Portu. Hæc & Plinio *Silimnus* dicitur, appositâ scilicet Præpositivâ syllabâ *Si*, quæ Britannis nonnunquam pro Articulo est. Ipsis Britannis Insula dicitur *Limen*, quod plenè scribendum foret *Liv inis* sive *Insula in fluento*; Antiquis enim *Lim* dicebatur pro *Liv.* Unde existimaverim & alteram Insulam **Birdsey** (quæ

(quæ Ptolemæo eodem intellectu est Ἄδρα ἔρημος) eodem nomine à quibusdam insigniri. Nam & hodie *Inis Enlhiv* appellatur, quod quidem veteri prolatione foret *Inis en lim.* Altera autem Monachorum sive Sanctorum erat propria, & in Justiniani Martyris Vitâ *Limineia* dicitur, more scilicet Latinizantium Saxonum.

LINDISFARNE Bedæ dicitur quædam Monachorum Insula è regione Bannam Otodinorum Regiam. Nomen habet de fluviolo *Lindissâ*, diciturque tanquam *Vern inis* vel *Sacra Insula.* Vide in DUROVERNUM. Dicitur & flumen *Lindissa* quasi *Lim disc* vel *Fluentum aquæ*; nam & *Tisc* & *Disc* idem valent quod & *Isc*, adjectis Præpositivis. Vide in EXOBANES & in ACMODÆ.

LINDUM COLONIA: Ita enim Ravennati dicitur, cùm Ptolemæo & Antonino sit ἀπλῶς *Lindum.* Saxonibus est Lind-cyllan-ceaster, unde & Latinizantium *Lincolnia.* Normannis denique perridiculè *Nichol* appellatur hæc urbs. Equidem existimaverim & hanc fuisse *Coloniam Londiniensium*, Geüicciæ Caput, cujus Episcopus nomine Adelphius Arelatensi adfuit Concilio. Nam sive *Lindum* dixeris sive *Londinium* tantundem fuerit; cùm de *Lug avon* sive *Lug aün* (correptè *Lûn*) atque *Din* vel *Dun* utrumque sit formatum. Certè hoc fuerat *Londinium* Taciti à Vondiccâ concrematum; nam illa Trinoüantes habuit socios. Quæ post Nennium hùc adducit Camdenus de Britannico nomine *Caer luit coit* ad alterum *Lindum* spectant: Neque enim sunt hujus loci. Ptolemæus urbem istam ad Corigaunos retulit, cùm & hi fuerint Iceni. Est etiam in Belgio urbs **Machelen** sive *Magiolinum.*

LINDUM alterum Ptolemæo est in Citeriore Valentiâ, & hodiernis Scotosaxonibus **Linlithquo** vitiosè dicitur, cùm plenis dicatur verbis *Lindum Colidiorum* seu *Caledonum.* Nam & *Lithquo*, *Lûdh coit* est sive *Curia sylvarum.* Britannis autem veteribus idem

idem dici videtur *Lys* & *Lûdh* quod & Saxonibus Leod, Atticisque Λεὼς; quò spectat & Anglorum **Leet** pro *Curiâ* vel *Mallo*. Notissimum est autem Britannis nostris *Caledoniam* dici *Coit Kelydhon*, sive *Sylvam Caledonum* vel *sylvestrium hominum*.

LISSIA apud Antoninum exigua est Insula ad Dumnoniorum extremum Promontorium sita, Ostidamniisque etiam hodie **Lesoueth** appellata: quod videtur esse de nostro *Lysoüen*, *Anguilla*, & *Üiet* vel *Üith*, *Parva insula*; ut sit *Lissia* correptè dicta pro *Lesouictia*, *Anguillarum* scilicet *insula*, qualis & in Borealibus Girviis est *Elig*, *Eley* vel **Ely**, quam & ab *Anguillis* nominatam prodit Beda. Erat igitur *Eley*, *Lesoüictia* vel *Lissia*.

LITANA in Ravennate videtur esse **Lyne** in Gadenis, quòd (ut autor Camdenus est) Via militaris eò tendat Randulphi Fossis. Imò vel ipsum **Lyne** correptè dici videtur pro *Litana*. De Etymo hujus loci vide in sequenti.

LITANOMAGUS: Vitiosum est in Ravennate *Litinomagus*. Hic locus nobis dici videtur **Flodden-field** insigni prœlio nobilis. Certè Britannis veteribus *Litan maches* vel *Lhydan maes*, *Campus* erat *latus*. Ibridâ etiam prolatione hodie dicitur **Flodden-field** quasi *Lhydan*-**field**. Romanis autem, uti credi par est, Arx fuerat in prœalto isto colle communita nomine *Litanomagus*; & est ad Valentiæ fines in Otodinis. Vide in LODONÆ.

LITUS ALTUM, sive *Ripa alta*, Ptolemæo Ὀχθη ὑψηλὴ, Camdeno satis probabili ratione videtur esse **Tarbarth** in Victurionibus: Nam & **Tarbarth** corruptè Scotosaxonibus dicitur pro *Tarvâ ardh* vel *Altus venter*; Certè Scotobrigantum antiquo sermone etiam *Tarr* dicitur *Venter*, sicuti & nostratibus *Torr*; & *Litus* etiam *Torlan* seu *Venter riparius*. *Ardh* autem (Ibernicè *Aird*) *Altum* esse sæpius diximus.

LODONÆ:

LODONÆ: Ita enim ſcribendum puto quod in Vaticano Ravennatis Exemplari & in Libro Regis Galliarum eſt *Lodone*, & in edito Libro vitioſè *Ledone*. Eſt autem Britannicè loquentibus *Led doneu*, *Latitudo collium*, & per hoc etiam *camporum*. Et videtur iſte locus **Flodden** eſſe in Otodinis, cujus Propugnaculum ſive Arx videtur fuiſſe *Litanomagus*.

LOGIA Ptolemæo fluvius eſt Iberniæ ſive magis Oſtium **Loch-foil**. Plenè ſcriberetur *Lug iü*, quod *Clarus* eſt *undæ liquor*. Eſt etiam **Loch Foil** quaſi dicas *Lacûs caput*. Poſſit etiam *Foil* dici Dialecto quâdam pro *Bêl* & *Vêl*, quod veteribus Brigantibus pro *Capite* fuiſſe atque *Ore* aliàs memoravimus.

LONDINIS: Hæc Ravennati dicitur Portus **Lime** in Durotrigibus. Olim (ut me monuit Antiquariorum noſtrorum facilè princeps Edvardus Luidius) Britannis noſtris dicta eſt *Lhongborth* ſive *Navalis portus*; unde crediderim & συωνύμως appellatum *Lhong-dinas* vel *Navium urbem*, etſi hodie vix ſit Portus. Fuerit etiam huic loco & *Limia* nomen, de fluviolo *Limiâ*. Vide in LIMIA. In Vaticano Libro fortaſſe meliùs ſcribitur *Lindinis*, de flumine *Limia*.

LONDINIUM: Ita enim & Tacito & Ptolemæo appellatur: Stephanus etiam Byzantinus Λινδόνιον vocat. Ammiano verò Marcellino *Lundunum* & *Auguſta* dicitur. Denique Ravennati Monacho *Londinium Auguſta* eſt. *Londinium* à Vondiccâ Reginâ concrematum *Lindum Colonia* fuerat ſive *Colonia Londinenſium*. Nam Trinoüantum Natio eâ tempeſtate amica erat & ſocia Icenorum. Sive antem *Lindum*, ſive *Lindonium*, ſive *Londinum*, ſive *Lundunum*, ſive denique *Lugandinum* appelletur, tantundem fuerit. Siquidem Celtis *Lug*, *Aquæ liquor* eſt, & de *Lug avon* ſive *Lugaün*, quod *Liquidus* eſt *amnis*, fiunt correpta *Lin*, *Lon* & *Lun*: Item *Din*, *Don* & *Dun*, *Arx* eſt & *Oppidum* ſive *Civitas*, atque etiam *Collis*, ſicuti &

Teuto-

Teutonibus Berg; Plurali etiam numero *Dain* atque *Donieu:* Unde in ſequioris ævi Scriptoribus legimus *Lundoniæ*, & Galli hodie vocant *Londres*, quaſi (ut olim Athenæ, Thebæ & Syracuſæ) pluribus conſtarent oppidis, quod ſanè vel hodie cernere eſt. Supervacaneum foret admonere idem dici Britannis *Tre* vel *Dre*, quod & *Din* vel *Dun:* unde & *Londin* & *Londre* promiſcuè poſſit appellari; Plurativè etiam *Lundain*, *Londoniæ*, & Peregrinis *Londres*. Saxonum nomina fuerant Londen-pic, Londen-býrig, & Londen-ceaſtep. Britannorum verò Bardis hæc urbs de *Belenæ* vel *Dianæ* cultu, *Dinas Belen* ſive *Urbs Belenæ* appellata eſt; imò etiam *Caer Lûdh* ſive *Civitas Curiæ:* Siquidem *Curia* hæc olim fuerat Trinoüantum. De *Ludo* Rege ſomnium eſt; nam & Ludgate Saxonibus dicebatur tanquam *Porta flumentalis*. *Lod* etiam Saxonicè loquentibus *Ductus* eſt *aquæ*. De Britannico autem *Lûdh* jam in *Lindo* diximus. Ptolemæi autem ævo *Londinium* noſtrum Cantiorum fuerat. Ædes autem modò *Pauli* olim fuerat *Belenæ* ſeu *Dianæ:* ſicuti & *Occidentale* dictum *Monaſterium Petro* dicatum, *Taranis* Dei, Teutonibus dicti *Thoronis*; unde & *Thorneia* ſeu *Tarania* Loco nomen. Vide in AUGUSTA.

LONGINIS: Ravennati more ſuo nimis correptè ſcribitur *Longis:* Et inſula hæc erat Acmodica ſive Lindisfarnenſis, ſed videtur jam olim mari abſorpta. Siquidem *Longinis* ſive *Lhync inis*, *Abſorpta* eſt *inſula*. Vide in ACMODÆ.

LONGOVICUS in Libro Notitiæ Statio eſt *Præpoſiti Numeri Longovicanorum*. Probabile eſt (quod & initio ſenſerat ipſe Camdenus) *Longovicum* iſtam fuiſſe Lancheſter in Deirorum Epiſcopatu, inter Durolanim amnem atque Tuæſim; etſi in ultimâ Britanniæ ſuæ editione eam fecerit eſſe *Lancaſtrum*, quod nobis Ravennatis eſt *Lugandinum*. Videtur autem huic Loco nomen à Germaniæ Veteranis fuiſſe inditum; ſicuti etiam aliàs Borgovico & Medioborgo,

quæ

quæ omnia Germanicam habent Etymologiam. Et **Lang wic** Germanis dicitur *Longum oppidum*; siquidem idem illis **Wic** quod & antiquis Pelasgis Foῖκος pro Ὄικος, & Romanis *Vicus*.

LOXA Ptolemæo flumen **Losse** est in Mergarum finibus: Ravennati autem Libro antiquissimum Castellum **Elgin** eo nomine meliùs vocatur. Atque hoc solutè scriptum videtur esse *Ael ox* vel *osc*, *Supercilium* scilicet *aquæ*: Quid enim Scotosaxonicum **Elgin** nisi *Ael güion* sive *Supercilium undarum* veteri Pictorum nostrorum sermone? Arx erat hæc Romanis maximè Borealis omnium, quarum quidem nomina ad nos pervenêre.

LUBDON: In Anonymo legendum censeo pro prodigioso *Subdobiandon* (quod nihil esse necesse est) duabus vocibus *Lubdon*, *Brandon*. De *Brandone* nos suo loco retulimus. *Lubdonem* autem **Levintoun** esse existimo, ad *Libnium* amnem in Æsicanâ valle apud Selgovas, hodie appellatâ ibridâ compositione **Eskdale**: Ut plenè scribi possit *Luvn üi don*, sive *Oppidum* vel *Arx ad Libnium* vel *levem amnem*. Potuisset sanè meliori typo dici *Lubnodunum*; verùm in Barbaro ferenda sunt Barbara. Vide in LEVINODUNUM.

LUCENI: Apud Ptolemæum Iberniæ populus est, quasi dicas *Marigenas*. Hi videntur initio fuisse Dumnoniorum Belgarum Coloni, nomenque dedisse *Lugeniæ* Provinciæ sive **Leinster**, quod quidem *Lugenorum terram* sonat; verùm posteris temporibus ulteriùs in Momoniam concessisse. Sæpiùs jam diximus *Lug* dici Veteribus nostris *Liquorem aquæ*; atque hoc modo pro *Mari* est: Est etiam *Geni* vel *Eni*, *Nasci*. Hinc & Piratæ Saxones Britannis dicti videntur *Lhoegyr*, vitiosè puto pro *Lug üir*, seu *Marini viri*, unde & hodiernum *Angliæ* nomen. Quin & *Scandinavienses* eodem penè intellectu *Güyr Lhychlyn*, *Lochlun* vel *Luglun* appellati sunt. Quid autem *Luglun* nisi *Marinum stagnum*, quod quidem

Mare

Mare fuerat Germanicum? Hodiernis etiam Britannis *Lhüch* pro *Lacu* eſt, Ibherniſque *Loch*. **Logur** etiam Thulenſibus quivis *Humor* dicitur. Atque hæc quidem notatio videtur eò verior, quòd antiqua Britannorum Patria Plurativo etiam numero dicatur *Kymru*, ut ſint *Kymru a Lhoegüyr*, *Aborigines* & *Advenæ Lochlunii* ſeu *marini*. Sin minùs placiturum eſt hoc *Loegriæ* Etymon, eſt & alterum nobis ad manum. *Lhoi gyrr* antiquo ſermone *Vitulorum agmen* ſonat: Fuerit igitur Gentile hoc convicium in Teutonicæ gentis ſimplicitatem, quod etiam adhuc hæret Orientali noſtræ Saxoniæ. Quin & *Auſones* antiqui, prodente Timæo in Hiſtoriis atque Varrone, à Græcis primùm dicti ſunt Ἰταλοὶ, tanquam *Vituli* vel *Boves*, ob *Ruſticitatem*.

LUCIUS, Britanniæ Rex, à Monachis Bedæ interpolatoribus confictus. Neque enim temporibus Eleutherii Papæ quiſquam erat Britanniæ Monarcha. *Lucius* autem iſte videtur Monachis ita appellatus, quòd primus Regum noſtrorum Evangelii *Lucem* accepiſſe ferretur; ideóque & Nennio Britanno *Lever maür* ſive *Lux magna* fingitur nominatus. De Papæ Eleutherii Epiſtolâ ad *Lucium* iſtum conſcriptâ, quæ hodie apud Bedam eſt, ita eruditiſſimus Eques Spelmannus in Gloſſario ad vocem *Manutenere*: "In Angliam "cum Normannis trajeciſſe reor, nec hìc auditam "priús. Reperio tamen *Manutenere* in Epiſtolâ E-"leutherii Papæ *Lucio* Regi Britanniæ An. Dom. "CLXIX. conſcriptâ, videlicet: *Gentes verò Regni Brytanniæ & populi veſtri ſunt, & quos diviſos debetis in unum ad concordiam & pacem, & ad fidem & legem Chriſti, & ad ſanctam Eccleſiam congregare, revocare, fovere*, Manutenere, *protegere, regere*, &c. "Nollem Epiſtolam non ſuſpicere, ſed terret vox "*Manutenere*; quam licèt gratiorem reddideris di-"videndo, eâ tamen nec gaudet Romana Dialectus. "Pſalmi etiam quam citat verſio, *Doloſi non dimi-"dicabunt dies ſuos*, non videtur tum adhuc condita, "præſertim

" præſertim ſi ſit Hieronymiana ; nec vocabulum " *Dimidicabunt* adeò grandævum eſſe." Atque hactenus quidem ille. Nihil tamen ſuper hâc materiâ à Stillingfletâ dictum eſt in Originibus, quod ſubit mirari in tanto & tali Viro.

LUENTINUM Ptolemæi, hodie *Lhannio* eſt ſive *Cae'r Keſtylh*, id eſt, *Campus Caſtellorum*, ad amnem Tibium in Kereticanâ Demetarum Dynaſtia ; quod oſtendit ad Camdeni Britanniam Vir Britannicarum rerum ſcientiſſimus Edvardus Luidius. Neque ſanè diverſum nomen videtur *Luentinum* à *Lugandino*, quod vide.

LUGANDINUM : Anonymo levi vitio, & ſexto etiam caſu dicitur *Lugundino* (in Vaticano *Lugunduno)* atque hoc videtur nobis *Lancaſtrum* dici Segantiorum Caput. Britannis noſtris *Lugavon* & correptè *Lugaün*, *Lucidus amnis* dicitur ; & *Din* etiam *Arx* vel *Civitas*. Eſt igitur *Lugandinum* Britannis *Civitas ad amnem lucidum*, hoc eſt ad *Leucam*, *Durolanim*, ſive *Tonacim*. Tot enim videntur fuiſſe huic flumini ſive Nomina, ſive Epitheta. Cognomine huic loco videtur fuiſſe & ſuperiùs *Luentinum* ; imò & *Londinium* & *Lindum*, etſi diverſis ſcribantur Literis. Vide in DUROLANIS.

LUGATRENA : Hæc vitioſè Ravennati ſcribitur *Locatrene* (& in Vaticano *Locatreve)* caſu etiam Græco : Et videtur dici oppidum **Lauder** ſive *Lugot tren*, *Rivus fulvus* ; unde & *Lugatrena Vallis* Scotoſaxonicè dicitur **Lauderdale.** Sunt autem συνώνυμα vocabula *Dür* & *Tren* : idem enim *Tren* quod & Gothis **Rino** atque Angloſaxonibus noſtris Ryne, quod *Rivus* eſt vel *Torrens*, unde & *Rheno* nomen eſt. Atque hinc quidem Ravennati *Trinis* & *Drinius* dicitur Dalmatarum flumen *Drino*, quod Ptolemæo Δρεῖνος eſt, Plinioque *Drinium* : Straboni verò Δείλων vitioſè appellatur pro Δείνων, exſcriptorum vitio. Eſt & in Franciâ Rhinenſi (quam vocat Ravennas) amnis *Lugatrena* vel *Lugot dür*, hodie **Lauter.**

LUGA-

LUGATRENA fluvii nomen eſt in Weſtmoriâ. Vide in BROVONACIS.

LUGAVON vel etiam *Logavon:* Siquidem apud Anonymum prodigioſè ſcribitur *Coguvenſuron*, de quo quidem monſtro nos duo extudimus flumina, *Logavon* ſcilicet atque *Savron* ſive *Sabriana*; cùm aliàs horum nomina non compareant in Catalogo fluminum. *Lugavon* etiam hodie **Lug** eſt in Siluribus, in Hereſordiæ Conventu. Eſt autem veteri linguâ nomen **Lug** pro *Claro liquore*, ut & *Avon* pro *Amne*. Vide in SABRIANA. Huc referendum & Gallorum inclytum *Lugdunum*, tam Seguſianorum quàm Batavorum, Ravennati Monacho *Lucdonon* appellatum, caſu Græco, quod eſt ſolutè ſcriptum *Lug dun*, *Liquoris* ſcilicet *Arx*, *Urbs* vel *Collis*.

LUGOTORIX: Apud Cæſarem nomen eſt cujuſdam Viri nobilis, quaſi dicatur hodiernâ Dialecto *Lhüydric*, quod *Canus* eſt *Princeps*. Nam & Britannicum *Lhüyd* correptum eſt pro *Lugot* quod *Lucidum* ſonat, de Græco nomine Λύκη; unde & Romanis dicitur *Lux*, & Britannis etiam *Lug* pro *Claro liquore*, & *Mari*, vel quâvis *Undâ*. Armeniis etiam *Lois* dicitur *Lux*, uti & Canadenſibus Barbaris ipſe *Sol*.

LUGUBALIA: Ita enim Bedæ ſcribitur, cùm Antonino ſit vitioſè *Luguvallum* pro *Luguvalum*. Britannis etiam recentioribus correptè eſt *Caer lual* pro *Caer lug val*, quod *Civitas* eſt *ad ventrem liquoris*. Nam & *Lug*, *Liquor* eſt, & *Bala*, *Venter*, & figurate *Sinus:* Unde & Saxonum Bælge & Anglorum **Bag** & **Bay**; ut & veterum Gallorum *Bulga*, & Græcorum Μολσός. Hæc urbs hodie mendoſè dicitur **Carliſle**, & eſt Cumbris pro Capite. Hujus Æſtuarium Ravennati dicitur *Leugobalena*. Vide in LEUGOBALENA.

LUGUVALLUM: Vide in ſuperiore. Ravennati meliùs dicitur *Lugubalum*. Huic pro propugnaculo fuiſſe videntur Exploratorum Caſtra. In Vaticano libro peſſimè ſcribitur *Lagubabani*.

LUNGI:

LUNGI: Ita enim in Ptolemæo reponendum pro Λᾶσοι, nam ille proculdubio scripserat Λᾶγσοι. Deucaledoniæ hic erat populus ad **Loch Longas** in Rossiâ, quod ostendit Camdenus. Vide in sequenti.

LUNGUS: Ptolemæi Libris vitiosè dicitur Λόγσος pro eo quod deberet esse Λᾶγσος. Fluvius erat sive potiùs Æstuarium **Loch Longas** in Rossiâ. Dictus autem videtur Britannis *Lonc uisc* vel *Lhync üisc*, quod est *Absorbens aqua* seu *Vorago*. Aremoricis hodiernis *Absorbere* est *Lonca*. Vide in LAUOBRIGA.

LUTUDARUM apud Anonymum, hodie **Chesterfield** est sive *Civitatis Campus*, in Pago Derventionensi: In Vaticano dicitur *Lutudaron*. Hoc solute Britannis foret *Lhu at odre* vel *at odare*, quod est *Castra ad limites*: Siquidem munimentum hoc fuerat veterum Gigantum sive Icenorum ad tuendos Geüicciæ fines ab impressionibus veterum Brigantum; atque hoc vel ipse situs declarat. Fluviolus etiam vicinus **Rother** est tanquam *Yr odar* sive *Terminus*; quod idem cernere est & in *Cantio*. Vide in MANTANTONIS.

M.

MACACORION: Ita ausus sum reponere in Ravennate pro *Macatonion*. Locus iste inter Etocessam erat atque Glevum, ut patet vel ex ordine Itinerarii; ut nullus sit alius locus quàm Deop-hýpɿc Venerabili Bedæ memoratum, & vetusto Monasteriolo satis celebre. Quid etiam veteri Dialecto *Macacorion* nisi *Mach a corion*, vel *Maes y keirü*, quod idem sonat quod Anglorum **Deer-hurst**, hoc est, *Cervorum saltus?* Siquidem Iberniæ Scotobrigantibus, primis hujus Insulæ colonis, *Mach* pro *Campo* est vel *Saltu*, quod veteribus Belgis erat *Magus*, & nobis hodie *Maes*: & potuit vetustè de Singulari *Carü*, quod *Cervus* est, multitudinis Numero dici *Corion* pro nostro *Ceirü*.

MACOLICUM Ptolemæo eſt urbs Iberniæ, verùm nobis incertæ ſedis, niſi fortè ſit **Kilkenny**, quod ſanè videtur vero haud abſimile. Certè videri poſſit dici *Macolicum* de Scotobrigantico *Mach collach*, quod foret & Britannis noſtris *Maes colhawg* ſive *Campus colurnus*. Nam & *Colh* tam Hybernis quàm Britannis pro *Corylo* eſt, quæ & Græcis dicitur Κόρυλος. Si Sanctulus *Canacus* nihil eſt, quod ſanè ſubeſt ſuſpicari, cur non poſſit & **Kilkenny** dici de *Coill* & *Ceand* ſive *Kend*, tanquam *Corylorum Caput* vel *Collis?* Eodem ferè Etymo eſt & urbecula *Colrin* ſive **Colraiu.** Nam & *Rhin* pro *Colle* eſt de Græco Ῥίον, & *Coill* ſunt *Coryli*. Eſt & colli nomen *Colrin* juxta noſtram *Lauobrigam*. Sunt tamen qui Ibernicum *Colrinum*, *Cuil Rathain* ſcribant; quod quidem *Seceſſus* eſt *filicum*, noſtrati vulgo *Kil rhedyn*. Atque illud hauſimus ex Appendice Ibernici Dictionarii ab Edvardo Luidio editi in nobili ſuâ Archæologiâ. Aliorum erit meliùs judicare.

MADUIACIS: Manifeſto vitio hodie legitur in Antonino *Vagniacis*. *V* media pars eſt literæ *M*, & levi negotio de *D* fit inverſum *G*; de *V* etiam facilè fit *N*. Eſt autem *Maduiacis* idem quod & Saxonum Með-pæge; atque Britannis ita dicitur tanquam *Mad üog üiſc* vel *Pulcher fluctus aquæ*. Etiam hodie flumen dicitur **Medway**, atque ipſum oppidum **Maidſton**, Saxonibuſque pleniori ſcripturâ Meðpeageſtun ſive *Maduiacis oppidum*. Atque hoc vel maximè firmatur à Peutingerianâ Tabulâ, apud quam urbs iſta correptè *Madus* quaſi *Madüiſc* appellatur. Erat igitur *Madüiacis* nomen & Oppido & Flumini commune; quod quidem ſæpe aliàs fieri conſuevit. Hæc erat quæ Nennio noſtro *Caer Medhüag* appellata eſt; ita enim legendum pro *Caer Megwad*.

MADUS: Vide in ſuperiore. *Mad üog üiſc* & *Mad üiſc* videntur fuiſſe antiquis Britannis συωνύμως poſita.

MAGA-

MAGANISA: Anonymo levi vitio ſcribitur *Maganica*, & in Vaticano MS. *Magantia*. Eſt autem veteri quâdam Brigantum Dialecto *Mag anis*, quaſi dicas *Pratenſis Inſula*. Hodie ibridâ voce **Megſtone**, ſive *Magenſis Rupes* appellatur; & eſt de numero Acmodarum ſive Lindisfarnenſium.

MAGI, in Notitiâ Imperii Statio eſt *Præpoſiti Numeri Pacenſium*; hodieque dicitur ibridâ voce **Maiden-Caſtle**: & eſt in Ægmundi Regno, apud Deiros: De quo quidem loco vel ipſe Camdenus oſtendit Militarem Viam pertendere ad *Caer Voran*; imò & exſtare ibi ad hunc uſque diem Caſtrorum Romanorum manifeſta veſtigia. Et tamen indictâ cauſâ *Magos* ad Silures noſtros, Radnoram ſcilicet Veterem ſive **Old Radnor**, relegat. Superiùs oſtendimus ad vocem DUNIUM, *Mai dun* dici veteri Dialecto *Magnum collem*, & per hoc etiam *Arcem* ſive *Burgum*. Certè *Mai* & *Maith* veteribus Celtis erat pro *Ingente*, ſicuti & Μαῖ & Μάζης Phrygibus, atque hodie *Meds* Armeniis, & Μέγας etiam Græcis. Romanorum igitur Plurale *Magi* ex errore nominis videtur effictum, cùm idem ſonet illis *Magi* quod & Britannis & Phrygibus antiquis Μαῖ. Liqueſcebat enim litera *G*. Vide in MAIA & in ſequenti.

MAGIODUNUM: Pene jurarem Jovem Lapidem (quod aiebat ad Bennavennam ſuam Camdenus) ita ſcripſiſſe ipſum Ravennatem pro monſtroſo *Iagiodulma*, quod in edito Libro eſt, ſicuti & *Iaciodulma* in Vaticano. Nullus enim dubito quin ſit Arx vel hodie vetuſto nomine appellata, vitioſâ ſcripturâ, **Maiden bowre**, non ita longè à Dunſtani dictâ villâ, ſive **Dunſtable**, in limitibus Cattieuchlanorum atque Bedfordienſium. Quid enim *Magiodunum* niſi *Mai dun* vel *Magnus collis*? Quid etiam **Bowre** niſi Saxonicum Byrig pro *Burgo* vel *Arce*. Ibridâ igitur voce dicitur **Maiden-bowre**, quaſi *Magiodunoburgus*. Vide in ſuperiore & in ſequente.

MAGIOVINIUM apud Antoninum videtur dici *Dunſtani villa* ſive **Dunſtable**, cui Magiodunum modò memoratum de more antiquo pro Arce fuerat vel Propugnaculo; quod idem Durnovariæ, Garionneno, Veroconio, atque Calevæ contigiſſe aliàs oſtendimus. Veteres Belgæ dicerent ſuâ Dialecto *Magiou ÿinion*, *Campos candidos*; quales ſcilicet hodie undiquaque cernuntur in viciniâ hujus urbis calce albeſcentes. In quibuſdam Antonini Codicibus mendoſè ſcribitur *Magioninium* & *Magintum*, nullâ commodâ Etymologiâ. Vide in ſuperiore. Exiſtimaverim & apud Belgas *Magiolinum*, hodie **Machelen**, ejuſdem fuiſſe formæ.

MAGLOCUNUS apud antiquum Gildam Britannorum Regulus eſt, quem conſtat imperitâſſe Canganis Venedotiæ; cùm Poëtis noſtris ſive Bardis dicatur *Maelgun Güinedh*, quod eſt *Primus Princeps Venedotiæ*. Huic autem magis in ſuæ gentis regulos bella moviſſe quàm in Saxones ex eodem Scriptore conſtat. Saxones enim magis pro ſociis habebantur quàm pro hoſtibus illo ſeculo à noſtris Attacottis. Dumnonii contrà, quòd Belgici eſſent generis, diverſarum erant partium: Paruerant enim initio Saxonicorum tumultuum Romano Duci Ambroſio Aureliano. Vox *Magl* ſive *Mael* idem ſonabat quod & *Mêl* vel *Bêl*, *Caput* vel *Princeps*, pro diverſitate Dialectorum: *Cûn* etiam vel *Primus* erat vel etiam *Princeps*, de *Cond* vel *Kend*, quod & *Caput* fuerat. Erat igitur *Mael cûn*, quod modò diximus, *Princeps Primus*; cùm ſingulis *Güelygordhis* ſive Tribubus ſui eſſent Principes qui parebant *Conano*, *Concendo*, ſive omnium *Primo*.

MAGLOVA apud Imperii Notitiam Camdeno vitioſè ſcribitur *Maglona*, quam & turpi errore fingit eſſe *Machynlheth* in Flaviâ noſtrâ; cùm vel ipſum nomen oſtendat eam Arcem eſſe hodie dictam **Mulcaſter**, juxta Portum **Ravenglas** (quod eſt *Yr avon glas* ſive *Amnis flavus*) in Cumbrianis Ceangis: Quo

in

in loco Inſcriptiones quaſdam fuiſſe erutas ipſe prodit Camdenus. Erit autem *Maglova*, ſi ſolutè ſcribatur, *Magl* vel *Mael o üag*, quod eſt *Ad caput fluctûs*; unde & vernaculum loci nomen **Mulcaſter** tanquam *Arx Maglova* eſt. *Præpoſitus Numeri Solenſium* agebat *Maglovæ* juxta Notitiam.

MAGNIS apud Antoninum, hodie **Lidbury** eſt in Siluribus, Hereſordiæ ſcilicet Conventu; quod vel Antonini Milliaria oſtendunt, imò & ipſum nomen *Magnis*: Siquidem Britannis *Magn iſc* vel *Main iſc* idem ſonat quod Saxonum *Lid*, *Tenuem* ſcilicet *fluvium* ſive *undam*. Male igitur Camdenus urbem iſtam cum *Magis* confundit, & Radnoram relegat, ut ſuprà dictum eſt in MAGI. Erat igitur *Magnis* & Oppidi & Fluvioli nomen.

MAGNIS altera apud Notitiam, atque Ravennatem alio loco quærenda eſt, ad alterum ſcilicet flumen *Magnim* ſive **Lid** in Cumbrianis Ceangis, ubi pervetuſtum Caſtellum eſt, hodie de valle atque fluviolo **Liddel** & **Liddale** appellatum. Adducor ut hoc credam tam ob nomen **Lid** quàm quòd in Notitiâ proximè ſequatur Æſicam. Erat autem hæc *Magnis* juxta Notitiam Statio *Tribuni Cohortis Secundæ Dalmatarum*.

MAIA: Hæc Statio in ſolo Ravennate comparet, & nobis videtur fuiſſe **Maiden-Croſſe** ſive *Magiodunenſis crux* in Otodinis; præcipuè quòd Avalariam in Itinerario proximè ſequatur: Movet etiam vetuſtum loci nomen **Maiden**, quod quidem quid ſit nos ſæpiùs diximus. Vide in MAGI, MAGIODUNUM, & in DUNOCINDUM.

MAIATÆ apud Ammianum Marcellinum iidem videntur qui & Ptolemæo ſunt *Gadeni*. Horum nomen etiam hodie comparet in **Maitland**, quod Scotoſaxonum ſermone dici videtur *Maiatarum terra*. Quid autem veteri linguâ *Maiatia* niſi *Mag* vel *Mach Gateu*, quod *Gadenorum* dici videtur *ager*? Videtur & vernaculum nomen **Lauden**, **Lothian** ſive *Laudo-*

nia ibridâ dici compoſitione de *Lag*, quod hodie eſt **Low** vel *Humilis*) & *Doniou*, *Colles*. Conſtat enim *Maiatia humilioribus* ferè *collibus* quàm vel Caledonia vel Noüantia.

MAIOLENICA: Vide in OLENAGUM.

MALATA, *Vervecum patria*, *Inſula* ſcilicet *ovium* ſive **Sheppey**. Ravennati leviuſculo vitio dicitur *Malaca*. Britannis noſtris *Vervex* dicitur *Molbt*, Scotobrigantibus Iberniæ *Molt*, Oſtidamniis *Molz*, Aremoriciſque *Maout*, *Vervex*, & *Maout turch*, *Aries* eſt. *Caro* etiam *vervecina* imò & *ovilla* Gallorum vulgo *Mouton* dicitur. Videtur planè *Mal atta* vox Phrygia, tanquam *Præciſus pater*: Sicut enim Britannis noſtris *Malu* dicitur Μύλειν, ſive *Molere*, & per hoc etiam *Præcidere* (ut & Hebræis מול *Mül*, Περιτεμεῖν eſt) ita etiam Phrygibus Ἄτταλα dicebatur quivis *Mas*; His enim *Hircus*, autore Arnobio, *Attagoz* ſive *Pater caper* appellatus eſt. Crediderim autem hanc Inſulam pleniori loquelâ appellatam fuiſſe *Malatinis*, ſive *Vervecum inſulam*. Erat & huic cognominis Inſula *Malata*, prodente Anonymo, in ſinu Illyrico, Græcis dicta Μελίτη.

MALENOS: Ita puto Ptolemæum ſcripſiſſe correpto ſono pro *Maleninos*, cùm in Libris vitioſè ſit conceptum ΜΑΛΕΟς, & in nonnullis vitioſiùs ΜΑΛΑΙΟς. Et hæc eſt inſula *Mula* in Ebudis. Vide in MINERVÆ.

MANAPIA Ptolemæo urbs **Werford** eſt apud Ibernos, ut autor eſt Camdenus, quod proximum veritati videtur. Dicitur autem *Manapia* Britannis tanquam *Mant ab* vel *Os aquæ*, complanato aſpero ſono. Saxonicum nomen **Werford** ibridâ profertur compoſitione de *Wych* & **Ford**, quod *Sacer* eſt *Trajectus*; ſicuti nos ſuprà docuimus ad DELGOVICIA.

MANAPII Ptolemæo Iberniæ populus eſt ad urbem *Manapiam*. Erant & in antiquo Belgio alteri *Manapii*, ad oſtium Rheni atque Moſæ, qui Straboni dicuntur

dicuntur Μενάπιοι. Hi ſunt hodie *Teutonici Flandri*, & *Hollandi*; olim etiam *Doroſtates*, autore Anonymo, appellati ſunt. Unde & urbs vetuſtiſſima *Doroſtadus* ſive *Batavodrum*, hodie vicus **Duerſtad**; à *Dür* quod *Aqua* eſt Britannis, & Teutonico **Stad**, *Sedes* ſive *Locus*.

MANCUNIUM (quod & vitioſè ſcribitur *Mamucium* in Antonino) hodie **Manchester** eſt in Segantiis, quod *Mancunium urbs* eſt. Quin & idem dicitur Britannis *Mancunium* ſive *Man cenion* quod & **Manchester**: Nam & *Man*, *Locus* eſt, & *Cenion Pelles* ſive *Caſtra*. Vide ſuprà in ALATA CASTRA.

MANDUBRATIUS, Immanuentii Trinoüantum Regis filius, qui obtruncato à Caſſivellanno patre, ad Cæſarem in Galliam præ metu fugit. Inde populari Caſſivellanorum convicio *Mandu bratür*, tanquam *Patriæ proditor* appellatus eſt. Nam & *Mandu* vox compoſita videtur ex *Man* quod *Locus* eſt, & *Ty*, *Domus*; & *Brâd*, *Proditio* eſt, ſicuti & *Bradür*, *Proditor*, de Francobelgico **Ver-raed**, quod quidem de Præpoſitione **Ver** *Pro*, eſt, & **Raed**, *Conſilium*: unde & *Bradür* idem eſt quod Francobelgicum **Verraeder**. Hinc autem novimus & veteres Belgas traxiſſe quædam vocabula à Sicambris ſive Francis, & hodiernos etiam Britannos Belgobriganticæ eſſe originis. Eutropio atque Bedæ hic idem (ut & Camdenus advertit) *Androgeus*, ſive *An drüg üas* vel *Vir malus* appellatus eſt. Vide in ANDROGEUS.

MANDUESSEDUM Antonino dicitur vetuſtum Corigaunorum oppidum, quod hodie in finibus eſt Pagi Præſidiarii ſive Warwiccani; ſed in ruderibus jacet, nomine **Manceſter**, quod *Urbs* eſt *Manducſſedum*. Hoc Nennio noſtro vitioſè ſcribitur *Caer Manchgued* pro *Caer Mandu güidh*, quod eſt, *Civitas Mandu in Sylvis*: Siquidem Conventus iſte primis temporibus ferè conſtabat Arduennæ *ſaltu*. Superiùs oſtendimus Britannis veteribus *Mandu* fuiſſe pro *Patriâ*; etſi ſit in Fabellâ Caledonii Regis Cul-huchi etiam *Maendy*

pro *Regiâ* vel *Lapideâ domo.* *Essedin* etiam (sive hodiernâ scripturâ *Yssydhyn*) pro *Sede* est; unde & Carpentum bellicum veterum Celtarum *Essedum* appellatum est. Erat igitur *Mandu Essedin* tanquam *Patriæ Sedes:* Curia hæc videtur fuisse sive Basilica veterum Gigantum sive Icenorum; cui quidem successit inclyta urbs *Conventria* sive **Coventry** vel *Convent-tree* (*Arbor* scilicet sive *Crux Conventûs*) Anglis appellata. Atque hæc nobis *Manduessedum* Novum est.

MANNA: Ita correptè dicitur Anonymo, sicuti & nobis hodie, Insula *Menavia.* Vide in MENAVIA & in MONA.

MANSOVA: In Ravennate gravi mendo scribitur *Masona*, demptâ de more veteri *N* literâ sequente *S*, & malè acceptâ *U* pro *N*. Hic locus fuisse videtur, qui nobis σωωνύμῳ vocabulo hodie **Apuldor** sive *Abhal dür* (quod *Furca* est vel *Sinus aquæ*) juxta Portum Abernavim sive **Bernstable** in Dumnoniis. Neque aliud sonare videtur *Mans o üag* quàm *Os fluctûs.* Possit enim Dumnonicè *Mans* dici pro *Mant*, sicuti & hodie Ostidamniis *Cois* dicitur *Sylva* pro *Çoit.*

MANTANTONIS: Levi mendo in Anonymo libro *Mutuantonis* legitur, & in Vaticano *Mantuantonis*, nullo cum Etymo; cùm *Mant* & *Ment* Britannis sit *Os* vel *Ostium*, & *An ton isc*, *Tenti fluminis.* Ista civitas olim de Britannorum nomine *Brittenden* sive *Britannodunum* appellata est; postero verò tempore de novis Incolis **Newenden** sive *Noviodunum.* Sita est ad *Odaram* flumen, quod Britannico vocabulo **Rother** dicitur, verùm vitiosè pro *Er odar* vel hodiernâ loquelâ *Yr odr* quod est *Limes*; cum Veteribus diceretur *Antona.* Hic fluvius Regnos sive Renços à Cantiis dividebat. Oportuit hæc omnia nesciisse Çamdenum. Est & in Regione urbis Transtamesinâ locus hodie appellatus **Rotherhithe**, quod *Ripam Limitis* sonat; ut sit iste locus olim Çantiacorum

atque

atque Trinoüantum *Limes*. Eſt & in Batavis oppidum dictum **Roterdam**, quaſi *Agger limitis*. Forſan & in Notitiâ Imperii *Equites Dalmatæ* qui *Marcis in Litore* ponuntur *Saxonico*, *Odaræ* ſive *Roterodami* fuerant; nam & *Marc* erat veteribus Celtis pro *Limite*. Certè *Locus Quartenſis* ſive *Hornenſis*, ubi *Præfectus Claſſis Sambricæ* fuerat, vel ex nomine videtur fuiſſe Batavorum *Horna*.

MANTAVIS: Ita enim reponendum cenſeo in Anonymo, cùm in Libro ſit ſexto caſu *Manavi*; ut ſit ſolutis verbis *Mant a üiſc*, quod eſt *Os aquæ* ſive *fluminis*. Ipſe Anonymus proculdubiò fecerat ſcripturâ ſequioris ſæculi *Mannavi* pro *Mantavi*; quâ de re vide quæ ſuprà dicta ſunt in voce ANTONA. Hæc urbs veteribus Pictis συνωνύμως appellata eſt *Rigmunt* (nam Scotoſaxonum *Rigmund* vitioſum eſt) atque illud eſt *Os rivi*. Ptolemæo dici videtur *Orrea*, quaſi *Orria*, *Super rivum*. Hodie hæc eſt *Civitas Sancti Andreæ* in partibus Victurionum: Johanni à Fordon *Kîl Remont*, Fanum eſt *Sancti Andreæ*; atque hoc quidem correptâ prolatione pro *Kîl Rigmunt*. Britannis autem *Kîl* quivis erat *Seceſſus*, & per hoc *Monaſterium* quoque & *Eccleſia*. Poſſit & Anglorum oppidum **Richmond**, quod ad oram eſt Tameſæ, veteri linguâ proferri *Rigomanta*. Crediderim & alteram in *Flaviâ noſtrâ* fuiſſe *Mantavim*, quæ hodie *Menevia* vel *Mentevia* eſt.

MANTIUM: Hoc Anonymo ſexto caſu dicitur *Mantio*. Equidem ex ordine Ravennatis Itinerarii conjecerim illud eſſe **Dunford**, ſive *Arcis Trajectum*, ad Abuntrum amnem, in Occidentali Brigantum Triarchiâ. Erat autem *Mant iü* Britannis *Os aquæ* ſive *fluminis*.

MANTIUM: Vide in IDUMANTIUS; nam illud rectius videtur. In Ravennatis fluminum Catalogo levi vitio dicitur *Mantrum*. Nam de *Dorvatium*, *Antrum*, nos ſolitâ fiduciâ fecimus *Dorvantio*, *Mantium*.

tium. Hodiernum *Fraxulæ* nomen *Pant* vitiosum est pro *Mant.*

MANTOVIUM: Anonymo vitiosè dicitur *Matovion*, omissâ literâ *N*, & declinatione Græcâ. Hoc nobis est **Musselburgh**, ad fluviolum Iscam, in Gadenis. Pervetustum esse oppidum ostendit Romanæ Aræ dedicatio ibi reperta sub hoc Titulo: APOLLINI. GRANNO. Q. LVCIVS. SABINIANVS. PROCOS. AVG. Neque sanè multùm abludit Saxonicum Loci nomen ab Etymo Britannico. Nam & *Mant o üion*, *Os* dicitur *fluctuum* sive *maris*; & **Musselburg** voce ibridâ profertur quasi *Munt isc beli* bypig, quod est *Arx ad ostium aquæ salsæ* vel *marinæ.*

MANTURUM apud Ravennatem urbs dicitur antiquæ Caledoniæ, hodie σιωνωνύμως **Montrose** quasi *Mant er osc*, quod est *Os aquæ.*

MAPONIS: In Anonymo sexto casu legimus *Maponi*, & in Vaticano *Mapon.* Hæc soluto sermone dicta videtur *Mâp an isc*, quod *Origo* est vel *Nativitas aquæ.* *Mâp* enim Veteribus tam *Natus* fuerat quàm ipsa *Nativitas:* Siquidem vel hodie *Natalis Sancti*, *Mâp Sant* dicitur. Nescio an hic locus **Mowap** sit citra Tinnam: Certè non multùm abludit vocabuli sonus.

MARCOSAXON: In Anonymo levi mendo scriptum legimus *Marcotaxon.* Quis non videt **Roxburgh** esse in Gadenis, antiquiore nomine *Marchidun* appellatum, quasi dicas *Limitis oppidum:* Nam hìc erat olim Saxonum & Pictorum Britannorum *Limes.* Unde vel ipsi Pago *Marchiæ* nomen hæret. Utrâque autem linguâ *Marc* pro *Signo* est & *Limite*, quod etiam Persis dicitur *Marz.* Vel hinc conjicere licet Anonymum nostrum exeunte jam septimo sæculo floruisse, cùm jam Pictorum essent Maiatæ.

MARGI-

MARGIDUNUM, hodiè vitiosè **Market-Overton**, in illâ Icenorum Majorum Dynastiâ quæ Rotelandia dicitur; quod monstravit eruditus Camdeni interpres Gibson: Cujus quidem sententiæ vel ipse Camdenus fuerat in primâ Britanniæ suæ Editione, in tantum ut faceret de **Market-Overton** ingeniosè satis *Marged-Overton*. Medulla quædam terræ est, quam Græci Ἄργιλον, Teutonesque Celtoscythæ **Maerg, Merg** & **Marg** appellavêre; sicuti & Britannis hodiernis quævis *Medulla*, *Mêr* dicitur, Saxonibusque pleniùs Merg. De *Margâ* igitur istâ atque *Dun*, *Oppidum*, fit compositum *Margidunum*, quod *Margæ* est *oppidum*. Veteres Celtæ *Margam* dicebant *Gliscomargam*, de verbo *Lhysgo* quod est *Trahere*, quasi *Tractilem Margam*. Est autem *Marga* satis magnâ copiâ juxta oppidum *Margidunum*, ut prodit Gibson.

MAROMAGUS: In Anonymo sexto casu dicitur *Maromago*; & videtur esse **Langtoun** juxta **Falkirk** ad Lineam ulterioris Valli. Siquidem Britannis *Maür maes* idem ferè sonat quod & Scotosaxonibus **Langtoun**; cùm *Magus* sit Celtis etiam *Oppidum* prodente Plinio, & *Maür* etiam hodie sit pro *Magno*. Fuit & quoddam Romanorum munimentum juxta **Falkirk**.

MATONAS: Ita enim suspicor Anonymo initio scriptum, cùm sit in edito Libro nullo commodo sensu, & sexto etiam casu, *Maiona*. Neque enim probabile videri possit *Mai onas* Dialecto aliquâ fuisse nomen Insulæ, tanquam *Magnam* quis dicat *insulam*; cùm Majores omnes Lindisfarnenses aliis veniant nominibus. Sit igitur *Matonas* Insulæ isti nomen, quod veterum Brigantum sermone *Bonorum* sonat *insulam*. Etiam hodie *Emporii* dicitur *Insula*, sive **Staple-Isle**. *Mat* etiam hodie Aremoricis dicuntur *Bona* atque *Divitiæ*.

MATORITUM: In Anonymo duplici errore scribitur, & casu præterea Græco, *Tadoriton* scilicet

&

& *Maporiton*; & hoc videtur esse **Atterith** in Selgovis, quod & ipsum truncatè dicitur pro *Matrit*, quod Britannis *Speciosus* dicitur *trajectus*. Camdenus tamen sentit **Atterith** dici Ptolemæi *Trimontium*, quod nobis minùs videtur. Videmus & Hispaniarum Caput hodie eodem venire nomine; quod ostendit & illum vetustum fuisse locum, etsi obscurioris olim notæ, utpote in viciniâ Mantuæ Carpetanorum præclari olim loci.

MAULIONDOMA: Anonymo levi errore dicitur *Mauliondeme*, casuque Græco; nam de prodigioso *Maulion demerosesa* nos duo extudimus vocabula, *Mauliondoma*, *Rosexa*. Hic locus hodie videtur dici **Maulsmire**, Scotosaxonum ibridâ compositione. Hodiernâ Britannorum Dialecto nos diceremus *Moelion dom*, *Cumulos stercoris* vel etiam *cæni* vel *luti*. Locus hic est in citeriore Valentiâ, quò & Militarem Viam processisse constat. Ad eandem normam effingi possit & Francobelgis *Amsterodoma*, *Rodaradoma*, & similia; quòd illorum **Damme** sive *Terreus agger* accedat ad nostrum *Dom*. Vel Hebræis דמן *Domen* est pro *Fimo*.

MEDIOBORGUS: Anonymo vitiose scribitur, & sexto casu, *Modibogdo*, & Vaticano Libro *Medibogdo*. Videtur hæc Statio fuisse quorundam Teutonicorum militum, fortasse Veteranorum jam emeritorum. Etiam hodie **Middleburgh** appellatur; atque est ad ostium Tuæsis, in Orientali Brigantum Triarchiâ.

MEDIOLANIUM Ptolemæi in Ordüicibus est, ad Sabrianam amnem, olim de antiquo nomine appellatum *Madle*, prodente nostro Giraldo. Est autem nomen *Mediolanium* Romano sono prolatum pro *Meigiou* vel *Mediou laniou*, antiquâ Celtarum declinatione, quod Romanis est, prodente Glossario antiquo, *Prata pulchra*: Nam & ista Interpretatio est *Mediolanii* Romanis dicti *Cisalpini*; cui cognomine est *Mediolanium* Santonum Caput, hodie *Xaintes*.

Medio-

Mediolanio autem nostro vernaculum est nomen **Bewdley** pro *Madle*. Scotobrigantes Iberniæ etiam *Madh* dicebant pro *Magh*.

MEDIOLANIUM Antonini, Ravennati sexto casu dicitur *Mediolano*, atque etiam alio in loco adhuc vitiosiùs *Mediomano*. Hoc esse *Meivod* vel *Meigvod*, quod in Canganis est Venedotiæ, verissimè conjecit Camdenus; etsi hoc à priore *Mediolanio* non discernat, sed Ordüices ponat in nostris Canganis, immani vitio. In veteri Britannorum scripto olim legeram Civitatem *Caer Meigion* in hisce partibus fuisse incendio deletam à Deiris atque Berniciis, hoc est, à Nordanhumbranorum Rege Edüino, cui grave bellum fuit cum Cadüallano Cadüaladri nostri avo, Britannici generis Ardirago sive Pendragone. Credibile est eo tempore Dumnonios etiam & Cumbros unà cum nostris hominibus à partibus stetisse rebellantium Pictorum. Fuêre certè Poüisiano Principi Cadüallano (quod ex antiquissimâ ejus Elegiâ apparet) *Pedeir Privgat ar dheg, a thrigeint Kyvarvaüt*, quod est, *Quatuordecim propria Agmina, & triginta unermia* sive *socialia*. Quæ quidem *quatuordecim Agmina* totidem fuêre *Güelygordhæ* sive *Clientelæ* Poüisianæ ditionis; uti constat ex Poëmatio *Güelygordheu Poüys* inscripto, cujus Condelüa (cognomento Poëta Magnus) autor fuit; qui quidem Condelüa floruit sub Henrico Primo Rege.

MEDIONEMETUM: Apud Ravennatem Græcâ dicitur declinatione *Medionemeton*. Atque hoc quidem solutè scriptum Britannis foret *Meigiou Nemeit*, sive sequiore prolatione *Neveit*, quod est *Campi* vel *Prædia Teutonum*. Certè *Germani* qui Celtoscythicæ sunt originis, etiam hodie Pannoniis sive Boiis Celtis dicuntur *Niemet*, quod Græcis fuerit Νομάδες, *Campestres* scilicet *prædones*. Nam & Νέμειν vetustæ Græciæ idem fuisse quod & Teutonibus **Namen**, *Capere*, vel una vox Κληρονόμος testatum facit; sicuti etiam Latinum *Emere* in Compositis *Adimere*, *Exi-*

Eximere, *Interimere* & *Perimere*, quæ omnia de Græco Νέμειν corruptè efficta ſunt. Credibile eſt hoc fuiſſe Caſtellum **Nemthoz** ſive *Nemetum turris* in Cumbris, cujus meminit eruditiſſimus Antiquarius Iberniæ Rodericus Flahertius in Ogygia, tanquam Patriæ Sancti Patricii Ibernorum Apoſtoli. Videtur autem nomen ſuum traxiſſe de emeritis *Germanicæ* gentis Veteranis, qui ſtipendia fecêre temporibus Romanorum. Erant & *Nemetum* populus ad Rhenum flumen, & *Memetobriga* in Hiſpaniâ apud Anonymum: Erat denique *Auguſta Nemetum* in Aquitaniâ; ut nihil dicam de Ibernorum *Nemetho* & Partholano Scythis. *Namon* etiam Ravennati dicitur in Provinciâ Belgicâ munimentum inſigne, vel hodie dictum *Namur* & Francobelgicè **Namen**, eodem Etymo; temporibus autem Notitiæ, uti ego exiſtimo, *Nemetacum*, quaſi *Nemeitaüc*, ſicuti & Hirtio *Nemetocenna*, quaſi *Nemeit Kend* vel *Nemetum Caput*. Hodiernum nomen *Namur* vitioſè profertur pro *Namüyr* vel *Nemetes viri*, quod Francobelgicè **Nam-men** ſonat. Vide in NEMETOMAGUS.

MELARVONIS: Anonymo mendoſè ſcribitur & ſexto etiam caſu, *Melarnoni*. Vel ipſe Ravennatis Editor Placidus Porcheron fatetur incertum eſſe literarum ductum, ut neſciat an ſit & *Melamoni* legendum. Quid vetat hanc eſſe *Iſcanum* quod dicitur *Monaſterium* ſive **Erminſter**, antiquum oppidum in Dumnoniis? *Bon iſc* certè veteri linguâ *Alta* dicitur *Iſca* ſive *aqua*, & *Mêl* idem eſt quod *Bêl*, *Caput*, & per hoc etiam *Os*: Ut ſit *Melarvonis* ſoluto ſermone *Os* vel *Caput altæ Iſcæ*. Unde intelligimus & Articulum noſtrum *Yr* vel *Er* fuiſſe Veteribus nonnunquam *Ar*.

MELIDUNUM: Hoc Ravennati levi vitio eſt *Milidunum*, & videtur hodie dici **South-Moulton** ad Tavum amnem in Dumnoniis, oppidum ſatis vetuſtum. Plenis enim verbis *Mêl* vel *Môl iü dun*, *Oppidum* eſt *ad caput fluminis*, quod eſt *prope flumen*; nam

nam & noſtrum *Yn ymmyl* ſolutè dicendum foret *Yn y mêl* vel *In capite.*

MELEXUM: Ravennati monſtroſe ſexto caſu dicitur *Moiezo*, quod nauci eſſe neceſſe eſt. In Exemplari Græco proculdubio fuerat MO'ΛΕΞΟΝ. Certè literæ Z & Ξ perſæpe Librariorum vitio permutantur. Quid, quòd & in Vaticano Libro ſit *Melezo?* Legimus in plurimis Ptolemæi Exemplaribus 'ΟΥΖΕΛΛΑ & 'ΟΥΖΕΛΛΟΝ vitioſè ſcripta pro 'ΟΥΞΕΛΛΑ & 'ΟΥΞΕΛΛΟΝ. Leviuſculum eſt autem quòd litera *L* mutetur in *I.* Atque equidem cenſuerim *Melexum* iſtud Arcem fuiſſe in ſummitate altiſſimi montis qui in vico **Stilleſton** eſt, juxta Sturam amnem in Durotrigibus, quique vel hodie **Pameldon** appellatur. In hoc monte vel Camdenus ipſe Romani Caſtri deprehendit veſtigia ſatis inſignia. Erit igitur *Melexum* ſolutis Britannorum verbis, vel *Mêl ex* vel *Bêl iſc* indifferenter, pro ratione ſcilicet Dialectorum; atque illud eſt *Ad caput* vel *oram fluminis*, quod hodiernâ loquelâ eſt *Yn ymmyl yr avon* vel *Prope flumen.* Sanè vel hodiernum nomen **Pameldon** nihil aliud videtur quàm *Ha mel dun*, quod *Arx* eſt *ad caput* vel *oram fluvii.* Fuerat igitur ipſa Civitas Anitocis, quod hodie Sturanum dicitur Monaſterium; hujus verò Arx ſive Propugnaculum *Melexum* iſtud; quod & Dunocindum erat Durnovariæ, Magiodunum Magiovinio, ut de aliis taceam.

MELTEVIA: In Anonymo levi vitio *Meſtevia* ſcribitur, atque erat **Tawton** *Magna* ſive *Ad Tavum*, olim Epiſcoporum Sedes, in Dumnoniis. Poſſit & Dialecto quâdam *Teu* dici pro *Taü* (quod *Amnem* vel *Aquam* ſonat) ut ſit *Meltevia*, *Mêl Taü*, ſive *Ad caput* vel oram *Tavi* ſive *fluminis.* Vide in præcedenti. In edito Ravennate vitioſè dicitur *Moſtevia*, cùm in Exemplari Regis Galliarum & in Vaticano ſit *Meſtevia.*

MENAVIA: Ita Bedæ dicitur, Ravennatis & noſtra *Manna* Inſula. Etiam hodiernis Britannis dicitur

dicitur *Menau*, quod eſt *Main aü* vel *Exilis inſula*, quod idem & Plinii *Monabia* ſonat; imò ſanè & Ptolemæi *Monaœda*, quòd manifeſtè vitioſum eſt pro *Monaoecta* vel *Mon üict*. Nam & *Üict*, *Parva* eſt *inſula*, & *Moan* hodie Aremoricis pro *Main* eſt. Vide in MONA; nam utriuſque Inſulæ nomina eodem redeunt. De Gildæ *Euboniâ* nihil attinet dicere, cùm *Ebudam* velit ſeu *Clauanim*.

MENNA, quam Jornandes (ſive veriùs Jordanes) in Geticis memorat ex neſcio quo Cornelio, Cherſoneſus eſt Oſtidamniæ ſive Corinaviæ, vel hodie dicta **Meneg**, ibridâ Saxonicæ Linguæ compoſitione, quaſi *Main æge* vel *Exigua inſula*. Et *Manna* & *Menna* & *Mona* variantibus Britannorum Dialectis eodem redeunt.

MENTARIS: Ptolemæo, extritâ *N* literâ, vitioſè dicitur Μεταρὶς pro *Metaris* (in alio Codice Μετορία) nullo cum Etymo. Nullus dubito quin dici poſſit Dialecto loci *Ment ar iſc* pro *Mant ar iſc*, quod *Os* eſt vel *Oſtium Iſcæ* vel *Oxæ* fluminis, in finibus Icenimagnorum. Æſtuarium iſtud hodie dicitur **The Waſhes** ſive *Eluvies*. In Belgicâ etiam Secundâ fuerat forſan *Armenteura*, quod hodie eſt *Armentiers*.

MERGÆ: In Ptolemæi Exemplaribus vitioſè dicuntur ΜΕΎΡΤΑΙ & ϹΜΕΎΡΤΑΙ, ſolenni exſcribentium errore. Nobis *Mergæ* dici videntur *Moravii* (ſive vetuſtiore ſcripturâ *Murevi*) in partibus Victurionum, & videntur de *Margâ* nomen trahere. Nam Λόκαρίλος fertur eſſe horum Regio. Vide ſuprà in MARGIDUNUM.

METAMBALA: Vitioſè conceptum videtur in Ravennate de Græco ΜΕΙΓΑΜΒΟΎΛΑ. Vide in BULÆUM. Britanni veteres ſolutè dicerent *Meig* vel *Meigiou an bula*, quod eſt *Principis paſcua* ſive *Regis prata*.

MIBA: In Ravennate Libro ita dici exiſtimo Saxonum noſtrorum Peoꝼenꝼea, quod correptè dicitur **Pevenſey** & **Penſey**. Portus hic eſt Segontiacorum

tiacorum ſive Auſtralis noſtræ Saxoniæ, ubi Neuſtriæ Dux Willielmus copias ſuas claſſe expoſuit, regnumque non ſuum vi occupavit. Sive autem *Buva* ſive *Muva* ſive etiam *Buvan* Britannicè dicatur *Vaccarum locus*, tantundem fuerit: Siquidem Britannis prona eſt Labialium permutatio. Sunt autem *Beu* Britannis *Vaccæ*, & *Man*, *Locus*; ut ſit & *Peovens ey*, *Bive inſula*. Vide in BOVIUM.

MINERVÆ: Inſula hæc eſt in Ebudis à Ravennate memorata: Ptolemæi Libris dicitur MA'ΛΕΟC, correptè puto pro *Malen inis*, niſi ipſe Μάλενος ſcripſerat pro Μαλενίνος; nobis hodie dicitur *Mula*. Idem autem Veteribus *Mêl* & *Mûl* quod & *Bêl* & *Bûl*, *Caput* ſcilicet, & figuratè *Dominus*. Unde etiam *Bela*, *Mela*, *Belen*, *Melen*, *Balen*, & *Malen*, pro variantibus Dialectis, poſſint eſſe pro *Dominâ* & *Deâ*. Quomodo & Syris de בעל *Baal* fit בעלה *Baala*, eodem intellectu; imò & Græcis etiam veteribus Βέλενος & Βελένα *Sol* & *Luna* ſunt, *Apollo* ſcilicet & *Diana*, Saturni & Rheæ Liberi. Neque etiam aliud Græcis Πάλλας quàm Deminutivum de Παῖς *Puella*; ſicuti & Πάλλαξ, unde Romanum *Pellex*. Τῷ ᾗ Δὶ (inquit Strabo Libro Geographiæ ſuæ XVII.) ἐνειδεςάτη, ἡ γένεϊ λαμπρόλατε παρθένος (à Sacerdotibus Ægyptiis) ἱερῷ, ἃς καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες Παλλάδας. Αὕτη ᾗ ἡ παλλακεύει —— μὴ ᾗ τ κάθαρσιν δίδοῃ πρὸς ἄνδρα. Quin & Romanis corruptâ conſuetudine *Minerva* profertur pro *Minor Dea*. Scythis etiam ſive Thracibus, prodente Herodoto, hæc Dea Ἀρτέμπαιζα appellata eſt, tanquam Ἄρτα ἄμμα παῖζα vel *Magna mater filia*. Nam & de Phrygio Ἄρτα ἄμμα eſt Græcorum Ἄρεμις pro *Diana*, quæ & *Minerva*; confuſa enim ſunt iſta numina. Britannis vulgò *Malen* pro *Furiâ Andraſtâ* eſt ſive *Diaboli Matre*, quam imperiti ſic appellant. Hujus confingitur quidam Equus magicus nomine *March Malen*, ſive *Malenæ* vel *Minervæ Equus*, quo vehi feruntur per aëra malefici; olim autem *Pegaſus* hic erat, quo vehebantur

vitâ functorum umbræ. Atque hinc natum videtur quod instar Proverbii est in ore vulgi, *A gasgler ar* Varch Malen *dan ei dorr ydh â*, hoc est, *Quod* Malenæ equi *dorso comparatur, id subter ventrem ejus disperdendum erit*; quod Anglicè vulgò dici solet, **What is got on the Devil's back is spent under his belly.** Dicitur autem *Minervæ* in Genitivo, omisso generalitatis nomine, quod est *Insula.* Pytheæ Massiliensi apud Strabonem hæc Insula dicta videtur ΌΥΞΙCΑ΄ΜΗ, Librarii errore puto pro ΌΥΝΙCΑ΄ΜΗ. Quid enim linguâ Celticâ *Unis ama* nisi *Matris insula* sive Νᾶσος τᾶς Ἄρτας Ἄμμας Παῖζας, ut Pelasgicâ loquar Dialecto. Certè *Unisamam* suam prodit Pytheas distare à litore Gallico τριῶν ἡμερῶν πλοῦν. Cùm autem nihil constaret Straboni de istâ Insulâ, putabat eam planè Πυθέου πλάσμα. Causa videtur exscribentium erroris, quod ipse Pytheas scripserit literam *N* transversim, Ζ, antiquo ritu: Et pronus est lapsus, & Librariis omnibus usitatus in literis Ζ & Ξ, uti nos aliàs monuimus. Parum liquet nobis hodie cur Pytheas Straboni dicatur Ἀνὴρ ψευδέστατος sive *Vir omnium mendacissimus*; nisi forsan sit (quod equidem vel ex ipsius verbis conjicio) quòd fabulosam crediderit Thulen Insulam, nullibique terrarum comparentem. Ista enim, factâ Thules mentione, statim subjicit; Καὶ οἱ τὴν Βρεττανικὴν Ἰέρνην ἰδόντες, οὐδὲν περὶ τῆς Θούλης λέγουσιν, ἄλλας νήσους λέγοντες μικρὰς περὶ τὴν Βρεττανικὴν, h. e. *Quique Britannicam Iërnen viderant nihil de Thule produnt, alias recensentes insulas parvas circa Britanniam.* Certè Eratostheni gravissimo Mathematico ad instar Oraculi fuerat Πυθέου γῆς Περίοδος; ita enim inscriptus est ei Liber nobis hodie desideratissimus. In hâc autem Insulâ celebrata fuisse Samothracum Sacra nos suprà ostendimus in JUPAPANIA. Aliâ quâdam Celtici sermonis Dialecto, pro *Belen* dici poterat *Belis:* Nam in antiquo Lapide, cujus meminit Eruditissimus Bochartus in Phaleg, idem est *Belisama* quod *Minerva*, h. e. *Domina mater.*

MINOXA

MINOXA apud Ravennatem, hodie dici videtur **Minno**, quod eſt ad ripam Tuæſis amnis non longè ab urbe Tuæſi, in Gadenis. Vaticano MS. correptè dicitur *Mixa*. Quid autem *Minox* niſi *Min ox* vel *oſc*, quod *Labium* eſt *fluminis?* Quin & ipſum **Minno** correptè proferri videtur pro *Min aü*, eodem intellectu.

MODONUS apud Ptolemæum, Camdeno videtur flumen **Slan** in Iberniâ. Nobis magis videtur Æſtuarium hujus fluminis, Britannis nautis ita olim appellatum. Exiſtimo etiam *Modon* Dialecto quâdam dici pro *Bodun*, quod, autore Plinio, Celtis erat pro *Profundo:* Certè nobis hodie *Bodhi* dicitur *Mergi*. Poſſit igitur *Modonus* ſolutis dici verbis, *Bodun* vel *Modun iiſc*, quod *Amnem profundum* ſonat. Poſſit etiam vel ipſum **Slan** correptè poni pro *Iſc lân*, quod *Purus amnis* eſt.

MONA: Notiſſima eſt iſta Inſula, etiam hodie noſtratibus *Môn* appellata, Anglis verò *Anglorum Inſula*; illud enim eſt **Anglesey**. Dicebatur autem *Mona* veteribus noſtris quaſi *Mon aü*, Dialecto vetuſtâ, pro *Main aü* vel *Exilis inſula:* Certè Aremoricis etiam hodie *Moan* eſt pro noſtro *Main*. Vide plura in MENAVIA & in POMONA.

MONABIA: Vide in MENAVIA.

MONAOEDA: Vide in MENAVIA. Vitioſum eſt pro *Monaoecta*.

MONAPIA: Ita apud Plinium ſcribitur *Monabia* vel *Menavia*.

MORBIUM in Imperii Notitiâ, hodie dicitur **Moresby**; & eſt ad mare, in Cumbrianis Ceangis, quod vel plures Inſcriptiones apud Camdenum declarant. Hìc erat *Præpoſitus Numeri Cataphractariorum* juxta Notitiam. Nomen autem loci ſolutè ſcriptum erit *Môr iion*, ſive *Ad fluctus magnos* vel *mare*. Hodie viculus eſt, & vix Portus.

MORICAMBA apud Ptolemæum *Curvatus ſinus* eſt, in Cumbriæ Ceangis. Certè *Môr iü Camva*

Britannorum ſermone *Magnæ undæ* ſive *Maris curvatura* eſt.

MORICONIUM: In Ravennate, extritâ unâ literulâ & ſexto etiam caſu, *Morionio* eſt, pro quo nos quidem levi admodum negotio *Moriconium* repoſuimus; quo ſcilicet conſtaret Etymon *Mor iü cond*, ſive *Magnæ undæ* vel *Maris caput*. Ex ordine Ravennatis Itinerarii atque ipſo Etymo conjecerim hoc eſſe **Warham** ad oſtium *Varii* fluminis, vetuſtum & celebre oppidum in Durotrigibus.

MORIDUNUM Antonini non poteſt eſſe, quod Camdeno noſtro videtur, **Seaton** ſive *Marinus vicus*; nam & Milliaria repugnant, quæ uſque ad **Topeſham** *Muridunum* proferunt. Confirmantur iſta Anonymi noſtri verbis: "Juxta civitatem Iſcam "Domniorum (ita enim legendum pro Scadomo-"rum) eſt civitas quæ dicitur *Moriduno*." Quid autem Britannnorum ore *Moridunum* niſi *Mor iü dun*, ſive *Magnæ undæ* vel *Maris oppidum*. Neque ſanè vernaculum nomen **Topeſham** quicquam aliud videtur ſignificare quàm *Oppidum ad maris verticem*: Idem enim Anglis **Top** quod & Britannis *Coppa*, & Phrygibus antiquis Κύβα. Poſſit etiam **Topeſham** correptè dici pro *Topſeaham*. Ravennati Libro, de more ſequioris ſæculi, ſexto caſu dicitur *Moriduno*, & Peutingerianæ Tabulæ truncato capite, *Riduno*. Italis etiam hodie Ablativus eſt pro Caſu recto.

MUNNUS flumen **Munnow** eſt in Siluribus. Vide in ALBIMUNNUM.

MURIDUNUM: Ita enim Antonino ſcribitur, quod Ptolemæo vitioſè Μαρίδυνον dicitur. Hodiernis Britannis *Caer Vyrdhin* appellatur, quod *Muridunum civitatem* ſonat. Atque hoc eſt vel hodie univerſæ Demetiæ Caput. Vide Etymon hujus loci in voce DEMETÆ.

MURIVINTUM, ſive potiùs *Moriventa*: Vide in VINDOMA.

N.

N.

NABRIANUS: Ita enim legendum cenſeo pro eo quod apud Ptolemæum nimis correptè ſcribitur Νάβαρος, & in quibuſdam Exemplaribus adhuc pejùs, Νάβαιος & Ναύαιος. Nam flumen eſt **Navern** in Septentrionali Valentiâ, & in *Valle Nabrianâ* ſive **Strath-Navern.** Idem eſt autem *Nabrianus* quod & *Abrianus* ſive *Sabriana*, præpoſitâ literâ *N*, quod provenire videtur de Particulâ *Na*; quam non ſolùm Scotobrigantibus Iberniæ, verùm etiam antiquis Britannis Notam fuiſſe Genitivi indicio eſt vetus Inſcriptio, DEAE NEHALENNIAE; in quâ (aliâ quâdam loquelâ) *Ne* uſurpatur pro *Na*. Eſt autem **Strath-Navern** Pictorum ſermone *Strata* (& per hoc etiam *Vallis*) *Abriani*, ſive potiùs *Abrianæ* fluminis. Anonymo etiam Ravennati Viæ militares *Eſtratæ* dicuntur *Imperiales*.

NAGUATÆ, apud Ptolemæum populus eſt Iberniæ; omnes tamen Libri levi laborant vitio: Quippe pro eo quod deberet eſſe ex Analogiâ linguæ Ναϛυάϑ hodie legimus Ναϛνάϑ, & in nonnullis exemplaribus adhuc pejùs Μαϛνάϑ; puto quò fieret vox Latina. *Naguatarum* Sedem *Connactiam* fuiſſe mecum ſentit Camdenus. Quod quidem nomen correptè effertur pro *Cúan na guactie*, quod *Portus* eſt *exiguarum inſularum*, quæ hodie ab *Erion* ſive *Eriis* indigenis vocantur **Arran** pro *Iuerion*. Eſt autem *Cúan* Ibernis *Portus*, ſicuti & hodiernis Gallis *Coin* pro *Angulo* eſt, noſtriſque Britannis *Congl*: *ÿict* etiam (ſive alterâ quâdam loquelâ *ÿact* vel *Güact*) *Parvam* fuiſſe *inſulam* aliàs docuimus. Eſt igitur *Na* ſyllaba in voce *Naguatæ* pro Notâ Genitivi veteri Brigantum ſermone. Vide in præcedenti.

NAGUATA, Ptolemæo Πόλις ἐπίσημος dicitur, quod hercle vel hodie eſt *Galliua* noſtra, ita nominata Scotobrigantibus de cultoribus Anglis: Siquidem

dem vetuſtâ linguâ *Gal* pro quovis *Peregrino* eſt, unde & ſe ipſos *Gallos* vocitabant Brigantes Iberniæ. Etymon hujus loci in ſuperiore voce quærendum eſt.

NAINA: Apud Ravennatem mendoſè ſcribitur *Maina*, & in Vaticano *Mavia*. Vide in ANTONA.

NATHANLEOD, atque Dumnoniorum Dialecto *Nazanleod*, quod eſt veteri linguâ *Naudh* ſive *Nauz an lûdh*, ſive *Populi tutela* vel *perfugium*. Hic in Annalibus noſtris *Britannorum Regum Maximus* appellatur, quod quidem *Ardiragum* ſive *Pendragonem* valet. Equidem libenter Camdeno aſſenſerim hunc non alium fuiſſe quàm *Ambroſium Aurelianum*, à Provinciâ Romanâ ad Purpuram evectum. Eſt autem nomen *Nathanleod* ibridâ prolatum compoſitione: Siquidem de Saxonico ſermone eſt Leob, quod & Britannis eſſet & *Lûdh* & *Lys*, de Græco Λεώς. Eodem modo & *Ardh* Heer ſive *Arthur* appellatus eſt, pro *Ardh Rig* vel *Ardh Rag*. Vide in ARVIRAGUS.

NEMETOMAGUS: Nullus dubito quin ſic ſit reponendum in Anonymo pro monſtroſo *Nemetotacio*, quod uſitato more in ſexto caſu eſt. Exiſtimaverim hanc urbem etiam ϲυνωνύμῳ vocabulo fuiſſe appellatam *Nemetodunum*, quòd hodie Oſtidamniis Dun-Nevett appelletur, quod eſt *Dunum* ſive *Arx Nemetum*. Recentiori etiam nomine *Fanum Stephani* vocatur; illud enim valet *Lhan Stephan*, quod Anglis vitioſâ correptione Launſton dicitur. Idem autem eſſe Celtarum linguâ *Magus* quod & *Dunum*, nos ſupra oſtendimus ex autoritate Plinii. Ad vocem etiam *Medionemetum* docuimus *Nemetes* fuiſſe *Celtoſcythis* ſive *Teutonibus* antiquum nomen. Unde autem in Oſtidamniâ *Germani* quis dicat; niſi forſan hìc fuerint quædam emeritorum militum prædia, quod ſanè veriſimile videtur.

NEUSTRIA, *Gallia Celtica* ſive *Aremoricanus Tractus* fuerat, & Ravennati noſtro etiam *Britannia*

in

in Paludibus, quam ſcribit ſæculo ſuo pertendiſſe à Tranſligeranis Vaſconibus ſive Aquitanis ad Galliam Belgicam Germanam, quam vocat, quòd erat ad Sequanam amnem: Certè veteri Belgicæ linguæ *Neüiz Tîr* eſt *Terra nova*. Illuc enim actos fuiſſe Belgii Britannos ſive Alobrites circa annum à nato Chriſto CCCXI. à Francis ſive Sicambris ſuperiùs oſtendimus ad vocem AREMORICI. Saxones igitur à *Tranſmarinis Britannis* ſubacti ſunt, Ducibus Willielmo Notho & Alano *Britanniæ* Duce nepote ſuo, qui poſtea Ægmundi Regno in Brigantibus potitus eſt.

NIDUM Antonini, hodie *Nêdh* eſt in Morganticâ Dynaſtiâ Silurum: Anglis hodie vitioſè dicitur **Neath.** Fortaſſe fluvioli nomen olim fuerat *Nid*, de verbo *Nydhu*, quod Britannis eſt *Torquere* & *Nere*: Græcis etiam Νήθειν dicitur *Nere*. Sunt & in Belgicâ Provinciâ *Nidæ* duæ, atque alibi etiam plures. Ravennati quoque dicitur *Nida* quæ in Belgio eſt.

NODIUS: Ita enim Camdenus in Ptolemæo repoſuit; cùm in Libris ſint Νοϋιος & Νϋιος & Νόοιος, omnia vitioſé. Fluvius hic eſt in Selgovis, etiam hodie **Nid** ſive *Nida* appellatus; qui & aliâ quâdam Dialecto dici poſſit *Nodius*. Vide in ſuperiore.

NOTIUM PROMONTORIUM apud Ibernos à Ptolemæo memoratum. Hoc Camdeno mecum videtur eſſe **Biarhead** in Momoniâ. Vide in VELLABORI.

NOUANTÆ apud Ptolemæum, hodie *Gallovidii* ſunt in Citeriore Valentiâ. Veteri Britanniæ *Nou* fuiſſe videtur pro *Novo*; quod hodie dicitur Aremoricis quidem *Noadh*, nobis autem *Neüydh*, Sarmaticéque hodie *Nou*, & Perſicè *Nau*, Græcéque Νέος. *Hent* etiam Aremoricis *Conſuetum iter* eſt, veteri etiam Dialecto *Hant*, ſicuti & nobis *Hynt*: Etiam Anglis dicitur **Haunt**, *Locus quo ſæpiùs recurri conſuetum eſt*; unde & Germanis **Wonnen** dicitur pro *Wonten*, ſicuti & Britannis hodiernis *Annedhu* pro *Antedhu*,

quod *Habitare* eſt. Erant igitur *Noüantæ*, *Advenæ* ſive *Novi inquilini*. In Britannico quodam Nummulo etiam NOVANEI ſive potiùs NOVANTI legitur pro TRINOVANTES, qui & ipſi origine erant *Peregrini*; nam de Belgio huc migraverant. Hodiernum *Noüantiæ* nomen originem arguit Ibernicam, ſive potiùs Scotobriganticam. Quid enim *Galloüidii* niſi inverſum *Güidali*, ſeu *Sylveſtres Galli* vel *Peregrini?* *Güidh* enim Britannis *Sylva* eſt, & *Al* vel *Gal*, *Peregrinus*. Eſt igitur tam *Galloüidius* quàm *Güidalus* idem quod *Scotobrigas* vel *Ibernus*. Equidem crediderim Bedæ Dalreudinos Scotos, Anonymi ævo, Ardhgüidaliâ ſuâ contentos, nullius fuiſſe in Valentiâ nominis; quòd Scriptor ille nuſquam vel Scotiæ vel Scotorum extra Iberniam meminerit. Certè Arceledii Picti ſive Ardcaledones ſub finem ſeptimi Sæculi fuerant Ardguidalis ſive Scotis magis noti. Erat igitur *Noüantarum* ſive *Galloüidiorum* Regnum pluribus ſæculis Scotico ſive Albanico vetuſtius. Conſtat etiam & poſteris temporibus *Noüantas* iſtos ſive *Galloüidios*, originis ſuæ immemores, ſe geſſiſſe pro Britannis; quòd in Bellis adverſus Scotos munimentum *Alt Cluid*, ſive *Dunclidum*, *Britannorum* feratur *Arx* in Scotos: Unde factum eſt quod in hunc uſque diem Arx iſta Dunbriton vocetur. Denique *Noüantæ* fuiſſe videntur quos ſuperiora Britannorum ſæcula dixêre *Güidhyl Fictied* ſive *Ibernos Pictos*; neque enim Scoti unquam ſe pinxiſſe feruntur. Equidem ex nomine conjecerim inſignem Pictorum veterum Imperatorem Galgacum genere fuiſſe *Noüantam* ſive *Galloüidium*. Atque hi quidem *Noüantæ* Iberniæ forſan fuerant veterum Brigantum ſive Pictorum in advenas Belgas ſocii.

NOUANTARUM CHERSONESUS Ptolemæo memorata, dicitur hodie veteri vocabulo *Galloüidiæ Mula*. *Bûl* autem ſive *Mûl* fuiſſe Veteribus pro *Capite* nos ſuprà oſtendimus in voce MINERVÆ.

NOVIO-

NOVIOMAGUS apud Ptolemæum, Ravennati mendosè scribitur, & casu sexto, *Noviomagno.* Cùm autem inter Vindogladiam atque Antonam posita sit Anonymo *Noviomagus*, vel inde satis constat eam non esse Camdeni **Woodcote,** sive *Sylvestrem* dictam *casam*, in Transtamesinâ Regione: Cúmque Ptolemæo nullum sit omninò *Regnum*, neque Antonino in hisce partibus *Noviomagus*, pronum est credere Ptolemæi *Noviomagum* (quam & *Regnorum* ponit Caput) dictam fuisse δυωνύμως & *Regnum* & *Noviomagum*; quomodò & Crocolanum, Venta Icenorum; si nos veram sequuti sumus conjecturam. Rectissimè autem conjecit Camdenus vetustum *Regnum* fuisse **Ringwood** sive *Regnsted*, ad Alaunam fluvium in Belgis, sive potiùs *Regnis*; unde suspicatus sum vitiosè prolata fuisse Romanis *Regnum* & *Regnos* pro *Rencum* & *Rencos.* Nam in magno Censuali Libro dicto **Domes-dei,** hoc oppidum *Rencewud* appellatur, quasi *Rencorum* dixisset *sylvam.* Quin & existimaverim de novis incolis Belgis *Regnum* fuisse appellatum *Noviomagum*; quòd linguâ veterum Belgarum *Nouiou mages* vel *maches* sit *Novorum civitas*, Belgicæ *Noviomago* etiam cognominis. De vocabulis autem *Nou* & *Magus* nos aliàs diximus quod visum est. Vide in REGNUM.

NOVIOMAGUS Antonini huic planè diversa est: Nam cùm sit inter Londinium atque Madüiacim sita, facilè adducor ut credam eam fuisse ad locum hodie appellatum **Ravensbourn** sive *Corvi fontem*, juxta *Grænovicum*, quæ nobis est pro *Noviomago.* Ista monstravit eruditus Camdeni Interpres primus quod sciam, qui & rudera & insignia Romanarum Antiquitatum vestigia illìc reperit. Quin & Antonini Milliaria huic sententiæ adstipulantur maximé. Credibile est de *advenis Belgis* sive *Nucantiis Noviomago* factum fuisse nomen. De Belgicâ *Noviomago* nihil attinet dicere; neque de alterâ etiam Belgicâ ad Mosellam amnem positâ.

NUCAN-

NUCANTIUM: Ita quibusdam Ptolemæi Libris *Cantium* dicitur *Promontorium:* Unde licet suspicari & *Cantios* dictos fuisse Νεοκαντίους sive *Novos Cantios*, post appulsum Belgarum.

O.

OBOCA Ptolemæo fluvius est Iberniæ non longè ab **Arklo**, ut videtur Camdeno. Certè Britannorum linguâ & *Aüch* & *Avüch*, *Acer* est sive Ὀξύς. In nostrâ Montegomericâ Regione admodum obscurus est locus nomine *Rhyd Avüch*; Vetusti dicerent *Rit oboc*, quod *Acer* est *trajectus*.

OCELUM PROMONTORIUM quod apud Ptolemæum est, rectè videtur Camdeno collocandum ad **Spurn-head**, sive *Protensum Caput*, in Parisis. Est autem *Ocelum* de Britannorum *Ychel*, Antiquis forsan *Ochel*, quod est *Excelsum*. Ejusdem nominis est & in Sabaudorum finibus oppidum modò *Exilles*, Ravennati *Occellium*; & in Gallæciâ etiam tertium, Antonino dictum *Ocellum Durii*, Ravennati verò uno vocabulo *Ocelodorum*, modò dictum *Oporto*.

OCITIS: Vide in SCETIS; nam vitiosum est.

OCRINUM, quod & DUMNONIORUM PROMONTORIUM Ptolemæo, hodie dicitur **The Lizard**, in Ostidamniis. *Ocrinum* Britannis solutè positum *Och Rin* est, sive *Altum Promontorium*. Idem enim Veteribus nostris *Rhyn* sive *Rin* quod & Græcis Ῥίον à Ῥὶν *Naris* sive *Nasus*. *Ocris* etiam Latinis, auctore Festo, *Mons* dicitur *celsus* & *confragosus*, de Græco Ὀκρὶς quod idem ferè sonat: Unde & *Interocrea* & *Ocriculum* apud Italos Locorum nomina. De Britannico etiam videtur esse Anglorum vocabulum **Lizard**; nam *Lhys ardh* (vel antiquâ scripturâ *Lis ard*) *Alta* dicitur *Rejectio*; ut sint συνώνυμα **Lizard** & *Ocrinum*.

OCTOPETRARUM PROMONTORIUM sive VERGIVIUM: Ita in Ptolemæo legendum; *Octopitaron*

pitaron enim vitiosè legitur pro Ὀκτὼ πέτρων. *Octo* istæ *Petræ* mihi videntur quas vulgus appellat *Episcopum* & *Clericos*, ad Promontorium Pepidiacum, sive Sancti Davidis, in Demetis, juxta quod est & urbs Pennobroga, Dynastiæ Caput.

ODARA fluvius est in Derventionensi Pago atque alter etiam in Cantio. Vide in LUTUDARUM.

ODIRA: Ita enim ausus sum reponere in Anonymo pro eo quod immani vitio in edito Libro est *Omire*, casu Græco. Pronus enim Librario lapsus in literis *P* atque Ϙ vetustâ manu. Locus iste fuerit, ubi hodie **Autree** est ad litus Dumnoniæ, quod & ipsum nomen & Itinerarii ordo videntur innuere. Et videtur hic olim fuisse Dumnoniorum Limes. *Godre* enim sive *Odre* Britannis dicuntur *Oræ* & *Limites*. Unde & Urbs *Caer Briton*, *Britodunum*, **Bristol** sive *Britstold* Britannis dicta est *Odara* vel *Caer Oder* sive *Civitas Limitis*. Vide in MANTANTONIS & in LUTUDARUM.

OGYGIA: Vide in IBERNIA.

OLENAGUM: Hoc levi vitio Notitiæ dicitur *Olenacum*; & videtur Camdeno mecum Arx fuisse **Linstock** sive *Olenagum ad sylvam* in Cumbrianis Ceangis, ad Itunam amnem. Certè *Elin* Britannis pro *Ulnâ* est & *Cubito*; quod quidem aliâ Dialecto *Olen* fuerit, quomodo & Ibernis *Ulyn* & Græcis Ὠλένη. Est igitur *Olenagum*, *Olen a güi* sive *Ulna fluminis*. Hæc Statio fuerat *Præpositi Alæ Primæ Herculeæ*, quod ostendit Notitia. Ravennati Monacho duabus vocibus scribitur *Maio Olerica*, & in MS. Regis Galliarum *Maio Blerica*; de quo nos fecimus solitâ fiduciâ *Maioolenica*, & interpretamur *Mai üog olen*, vel *Ingentis fluminis ulna* sive *Cubitus*; ut sit & *Maius Itunæ* nomen alterum.

OLICANA apud Ptolemæum Camdeno mecum est ad *Verbeiam* amnem, hodie **Wherf**, in Segantiis; apud quam & vetus Camdeni Inscriptio ostendit

fuisse

fuiſſe *Præpoſitum Cohortis II. Lingonum.* En autem ipſius Inſcriptionis verba, unde & *Verbeiæ* nomen innoteſcit;

VERBEIAE. SACRVM.
CLODIVS. FRONTO.
PRAEP. COH. II. LINGONUM.

In Britanniâ Camdeni vitioſè ſcribitur PRAEF. cùm *Præpoſiti* nomen perpetuum ſit in Notitiâ. Eſt autem nomen *Olicana*, ſi ſolutè ſcribatur *Ol i cand av*, quod eſt, *Pone principem Amnem.* Hodie ibridâ compoſitione Ilkley appellatur, ac ſi diceretur *Olicanus Campus*, vel *Olicanomagus* antiquâ formâ.

OLICLAVIS, quæ Ravenati ſcribitur *Oleiclavis* & in Vaticano *Oleaclavis*, cùm Græcè fuerit conceptum Ὠλειϰλαβίς. Hæc fuiſſe videtur Over-Kilvin, ad Antonini Pii Vallum in Valentiâ Provinciâ: Siquidem veteres Britanni dicerent *Ol i Claüz* vel *i Claüdh*, pro *Pone Vallum.* Et videtur fluviolus Kilvin corruptè prolatus pro *Clavis*, & prima ſyllaba *Ol* Scotoſaxonicè eſt Over.

ONNA: Vide in ANTONA.

ONNO: Vide in HUNNUM.

ORCADES; Anonymo adjectâ Præpoſitivâ *D*, dicuntur *Dorcades.* *Orcades* autem dictæ videntur ab *Or* ſive *Gor* (quod & Scotobrigantibus & Saxonibus eſt Foꝓ, & Græcis etiam Πρὸ) atque *Cand* ſive *Cad*, quod & *Caput* eſt & *Promontorium.* Veteribus etiam Pelaſgis Κότλα vel Κόππα, *Caput* fuerat; ſicuti & Phrygibus Κύβα, Corinthiis Κοτλὶς: Et puto Κόυλα, quo in dinumerandis Decadibus utuntur Græci, fuiſſe pro Κεφαλαίῳ ſive *Summulâ.* Dictæ ſunt igitur *Orcades*, quod Taraüedrum Promontorium ex adverſo ſpectent. Hæ Inſulæ Anonymi tempore à Barbaris, puto Scandinavienſibus, occupatæ ſunt; quamobrem fatetur ſibi ignorata eſſe earum nomina. Unde conſtat eum non veterem ſed ſui ſæculi Geographiam conſarcinâſſe; adeóque Provincias noſtras non fuiſſe à Saxonibus, verùm poſtero tempore à Danis ſive Vandalis

Vandalis Καλαβαρβαρωθείσας. Idem Anonymus prodit *Orcades* fuiſſe quidem numero XXXIII. non tamen omnes cultas: Plinio feruntur XL. Hodieque vitioſè dicuntur **Dykeneys** pro *Orcadeys*.

ORCAS PROMONTORIUM: Vide in TARAUEDRUM.

ORDUICES Ptolemæo Britanniæ populus eſt, atque etiam Tacito qui & *Ordeuices* eos appellat. Bedæ dicuntur *Huiccii*; aliàs etiam Tacito vocantur *Iceni*. De Saxonico Pigpapan ſive *Üiccii viri*, fit Latinizantibus Monachis urbis nomen *Wigornia*; ſicut & de Cantpapan, *Cantüaria* dicitur *Durovernum*. Hi videntur initio fuiſſe Icenorum clientes ſive conductitii milites. Siquidem Britannis vel hodie *Wigornienſes* dicuntur *Güyr ehangon*, & correptè *Gürangon*, quod eſt *Viri* vel *Milites liberi*: Unde & urbi *Brannogenii* nomen. Iiſdem etiam Britannis & *Ordh* & *Gordh* etiam hodie correptè dicitur pro *Gorydh*, quod illis *Quadantenus liber* eſt, & per hoc *Mercenarius*; unde & *Gordhverch* tam pro *Libertinâ* erat quàm pro *Concubinâ*, quod ferè Romanorum fuêre *Libertinæ*. Quin & Legibus Regis Hoüeli *Trevgordh* dicitur Vicus qui neque *Trev rydh* ſit ſive *Vicus liber*, neque *Trev gaeth* ſive *Vicus vernilis*: Saxones dicerent *Oedelmentun*, & *Horentun* ſive *Ceorltun*. Britanni igitur communi ſermone *Gordüychon* dicerent *Ordüices*, quod ferè tantundem valet atque *Güyr ehangon*; qui hodie dicuntur *Gürangon* ſive *Gürengon*, *Viri* ſcilicet *clientelares*. De *Gürengis* autem iſtis Saxones tandem fecêre ſuos *Drengos*; quam quidem vocem non debet mirum videri eruditiſſimo Spelmanno fuiſſe ignoratam. Vide Spelmanni Gloſſarium in voce *Drenges*; de quo tamen Anglorum nomen **Dudges**, pro *Mancipiis*. Hujuſmodi *Servi militares* veteribus Celtis dicebantur *Ambacti*, quaſi dicas *Emptitii*. Vide in AMBACTI. *Satellitium* hujus generis Britannis dicebatur etiam *Goſgordh*, à *Güas*, *Homo* vel *Miles*, & *Gorydh*, Ὑπελεύθερος. *Ordüicum* Montes (quorum meminit Tacitus)

tus) *Malvernici* fuerant, atque *Britannici* etiam ſive **Bredon-Hills.**

ORREA apud Ptolemæum idem puto fuerat quod & Anonymo *Mantavis* eſt, quod vide.

OSTIDAMNII: Pytheæ Maſſilienſi apud Strabonem ita dicuntur *Corinavii*, tanquam *Ueis tu Duvnion* ſive *Vernæ Domniorum* ſive *Dumnoniorum*. Fuerant enim *Dumnoniis* pro Hybernis Ceangis ſive Pecuariis. Stephano etiam Byzantino *Oſtiones* appellati ſunt; puto quaſi *Üeiſtion* ſive *Gueiſtion*, quod *Servos domeſticos* ſonat: Imò & Artemidoro (prodente eodem Scriptore) *Coſſini* dicti ſunt, quaſi *Güeiſion* vel *Servi* ἁπλῶς.

OSTIONES: Vide in ſuperiore.

OTHONA apud Imperii Notitiam Statio fuerat *Præpoſiti Numeri Fortenſium* ſub Comite Limitis Saxonici, in litore Orientalium Saxonum ſive Guepponum. Radulphus Niger, quem Camdenus adducit, ex Venerabili Bedâ narrat Civitatem *Ithanceſter* fuiſſe juxta *Maeldon*, & à flumine Pantio (nobis Mantio vel Idumantio) abſorptam. Ut ſubeat mirari **Maeldon** iſtud, quod nobis videtur *Othonienſium* fuiſſe *Molendina*, Viro aliàs ſagaci potuiſſe videri *Coloniam Camulodunum*; cùm *Othona* fuerit illi propemodum intra teli jactum. Quod ad Etymon attinet, veriſimile videtur dictam fuiſſe *Othonam* tanquam *Aut* vel *Ot avon*, quod *Ad fluminis ripam* ſonat. De voce *Ot* vide in ſequenti. Dicatur igitur noſtrum *Maeldunum*, *Othona* Nova; cùm Vetus dudum interierit mari abſorpta.

OTODINI: Vitioſè in Ptolemæi Codicibus ſcribuntur Ὠτοδήνοι & Ὠταλίνοι, ex Librariorum ſive inſcitiâ ſive negligentiâ. Fuerat iſta natio ad fines Valentiæ; verùm jam olim in Brigantum vel clientelâ vel ſocietate. Horum patria hodie *Tranſhumbrana* dicitur *Regio*, ob Regiam antiquam Bannam Nordanhumbrorum Regum, cùm reverà ſit *Tranſtinnana*; Bedæ etiam eodem intellectu quo & *Otodini*, *Bernicii*

nicii appellantur: Siquidem veteribus Britannis *Brin*, *Bren* & *Bern* pro *Colle* fuerat, ſicut & *Din*, *Don* & *Dun*. *Ot o dineu* autem veteri Brigantum linguâ, *Litus* dici videtur *montium*: *Litoraria* enim pars feracior eſt, atque cultui humano magis idonea; cùm perpetui ferè & aſperrimi *Montes* ſint verſus occaſum. Aremoricis vel hodie *Litus* dicitur *Aut* vel *Ot*, etſi vox ea nobis exoleverit. Hi Britannis noſtris ſemper nominantur cum *Deiris*, quibus in ore eſſe ſolet *Güyr Deivr a Bryneich*, quod eſt *Viri Deiri atque Bernicii*. Ravennati noſtro *Otodanii* dicuntur *Otodini*, alterâ Britannicæ linguæ Dialecto.

P.

PANOVIUS: Vox iſta ſolutè ſcripta videtur eſſe *Pan o üi*, Dialecto quâdam pro *Pen o üi*, ſive *Caput fluminis*; ut ſit fortaſſe locus hodie appellatus **Tyne-Head** ſive *Tinnæ caput* in finibus Otodinorum. Hujus loci ſolus meminit Ravennas. In Vaticano libro *Panonius* dicitur, levi vitio.

PARISI, Ptolemæo ſcripti Πάρεισοι, Orientali conſtant Brigantum Triarchiâ. *Pariſia* autem dicta videtur quaſi *Paür iſa* ſive *Infima depaſtio*; cùm Pecuaria fuerit & ad mare poſita iſta Triarchia. Quin & ipſis Græcis Φορβὴ dicitur, quæ Britannis *Porva* eſt ſive *Paſcuum*. Videntur iſti olim Deiris fuiſſe pro Ceangis: Siquidem (quod me docuit Camdenus) horum Regio Bedæ dicitur Deiɿ-puƀe ſive *Deirorum nemus*; & cuidam Monacho Regiuncula **Holderneſſe**, *Cava Deirorum* redditur. His cognomines ſunt & *Pariſii* apud Gallos. Simpliciùs tamen videtur *Pariſos* fuiſſe appellatos tanquam *Porüys* ſive *Paſtoritios viros*.

PECUARIA: Ita enim planè legendus Anonymus pro *Decuaria*; cùm in Ptolemæo ſit altero vitio ΠΕΤΟΥΑΡΙΑ ΠΑΡΕΙΣΩΝ pro ΠΕΚΟΥΑΡΙΑ. Hanc equidem exiſtimaverim hodie dici **Pocklington**.

Certè

Certè Græcis Πόκος est, quod Latinis dicitur *Vellus*; unde & nomen *Pecus* videtur deductum.

PEMPOCANALIA: In Anonymo nimis correptè legimus *Pempocalia*, quod vel Saxonicum Pincanheale (corruptè **Finchale**) hodie demonstrat. Britannis certè dicebatur *Pemp cant hael*, quod est *Quingenti viri liberales*; sed oportet hodie nesciri causam. Hæc Statio in Deirorum Episcopatu est, ad Vedram amnem.

PENDRAGON, Ἀρχιβασιλεὺς sive *Rex Regum*, & *Summus* Britannorum *Imperator*, *Ardiragus*, *Argetoxus* vel *Cingetorix*. Cùm vulgo fabulantium Monachorum *Uter*, *Arthurii* sive Pater sive Frater, *Pendragon* nominetur, Alano tamen appellato de Insulâ ipse *Arthurius* planè *Pendragon* dicitur. Superiùs ostendimus Britannorum Dialectis & *Kend* dici & *Pend* (quod hodie est *Pen*) pro *Capite* & *Principe*; & *Rigon* & *Ragon* appellatos fuisse *Reges*, *Ordinum* scilicet *Ductores* atque λαῶν κοσμήτορας. Nam & *Rig* etiam hodie dicitur Francobelgis **Riga**, *Ordo* vel *Series*; ut & Britannis *Rhês*. Tantundem igitur valet *Pend Ragon* quod & *Kend Rig* atque *Ardh Rig*, sive *Summus Rex*; qui scilicet minoribus imperet Regibus. Hoc valet & Britannicum nomen *Kyndrüyn*.

PENNOCRUCIUM apud Antoninum, Camdeno mecum est Oppidum in Ordüicum Ceangis sive Stavefordiensibus, hodie corruptè appellatum **Penkridge**; de quo & fluviolus **Penk** truncatè dicitur more sequiorum temporum, cùm Veteribus appellaretur *Grucius*. Est autem *Pen y Grug iü* sive vetustâ scripturâ *Pend o Gruc iü*, *Ad caput Grucii amnis* sive *ericei*: Idem enim *Grug* Britannis quod & Græcis Ἐρείκη. Crediderim etiam & scriptum fuisse absque Præpositivâ *G*, *Ürug*; cùm *Frych* dicatur *Erica* Scotobriganticè, & *Bruc* Aremoricé. In viciniâ hujus oppidi est ingens *Ceangorum Ericetum*, vel hodie appellatum **Cank-heath**. Minùs igitur placet quod hujus Pagi ingeniosus Descriptor Plotta de **Stretton** propo-

propoſuit, cùm conſtet non fuiſſe omnes Romanorum Stationes atque Urbes ad magnas Militares Vias; nam & plurimæ Viæ dictæ Vicinales ab hiſce derivatæ ſunt: Imò & ipſis Majoribus Stratis fuêre ſua Brachia ſive Rami. Hujus formæ fuerat & *Pennolucus*, Ravennati noſtro *Pennolocus* ad Lacum Lemanum apud Gallos, ubi hodie *Villeneuve* vel *Novum oppidum*.

PEPIACUM: Neque enim dubitandum quin ita in Ptolemæo ſit reponendum pro detruncato Ἐπίακον: Siquidem modò *Epiacum* iſtud (quod non minùs nobis quàm magno Camdeno viſum eſt) ſit hodiernum **Papcaſtle** inter Derventionem atque Alaunum amnes in Cumbriæ Ceangis; cùm & exſtent illic Romanarum Antiquitatum veſtigia. Neque ſanè novum eſt de *Tibia*, quæ Britannis veteribus & *Pêp* erat & *Pîp*, tenuia terrarum roſtra nominari, cùm & *Octo Petrarum Promontorium* in Demetis vel hodie dicatur *Pepidiaüc*. Vide plura in ſequentibus & in VACOMAGI. "Solebant Scribæ primam literam "omittere, poſtea, cùm finitus eſſet codex, majuſculâ "formâ deſcribendam in margine." Millius in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum.

PEPIDII: Etiam hi Ptolemæo truncatè dicuntur Ἐπίδιοι pro Πεπίδιοι. Erat iſte populus in Deucaledoniâ, in Promontorio ſcilicet quod hodie dicitur *Cantiriæ Mûla*. Quid autem *Pepidium* niſi *Pepidiaüc* ſive *Tibiciniforme?* *Mûl a cant tir* etiam Britannorum veteri ſermone *Roſtrum* eſt *ad caput terræ*.

PEPIDIORUM INSULA: Neque enim dubitavimus de portentoſo *Saponis Suſura* apud Ravennatem, noſtro more duas conficere Inſulas, *Papidioniſſam* ſcilicet atque *Juram*; cùm & in quibuſdam Ptolemæi Libris Ἐπιδίων νῆσος pro vulgato Ἐπίδιον ſit repertum. Barbarus Ravennatis Interpres de Παπιδίων νῆσος inſcitè fecerat Dialecto quâdam *Papioniſſa*; de quo nos quoque *Pepidiorum inſula*. Etiam noſtro tempore **Ila** dicitur ἁπλῶς; quod & ipſum correptè

profertur, ferè ut apud Gallos *Isle*, pro *Insula* vel *Isula* vel etiam *Isla*, juxta vulgarem (antiquam tamen) Romanæ linguæ prolationem.

PEPIDIUM, Ptolemæo Ἐπίδιον, Promontorium est *Mûl a cant tîr*, sive *Pepidiaüc* vel *Tibiciniforme*. Nam *Pipydh*, vetustè *Pepydh*, Britannis dicitur *Tibicen*.

PETRIANÆ apud Imperii Notitiam, hodie est *Vetus* **perith** in Cumbrianis Ceangis, ad confluentiam scilicet fluminum **Eimot** (sive *Üi mant* quod *Os* est *lacûs*) & **Loder**, sive *Lugot eur* sive *Lugotrenæ*, quod *Aqua* est *limpida*, sive *Loyü dür* hodiernâ loquelâ. Ibi plurimas esse veterum rerum reliquias, etiam Inscriptiones, Camdenus autor est. Statio hæc fuerat, juxta Notitiam, *Præpositi Alæ Petrianæ*, quæ quidem *Ala* & Loco nomen fecit.

PETUARIA: Vide in PECUARIA.

PEXA: Vide in BEGESSA.

PICTI: Redactâ jam in Provinciæ formam nostrâ Britanniâ, Caledones, qui ad Antonini Pii tempora pro Extraprovincialibus fuerant, *Picti* appellati sunt; quòd antiquo reliquorum Britannorum, imò & Thracum ritu corpora sua acubus compungebant, atque variantibus figuris de glasto sive vitro ea colorabant. Quod quidem nobilissimum quemque fecisse hisce verbis testatur omnis historiæ pater Herodotus, agens de Thracibus; Τὸ μὲν ἐσίχθαι ὀυλενὲς, τὸ δ' ἄσικτον ἀσενές. Artemidorus etiam Ephesus Oneirocriticorum Primo, Στίζουσι παρὰ Θρᾷξιν οἱ ὀυλενεῖς παῖδες, καὶ παρὰ Γέταις δοῦλοι. Quin & Strabo septimo Geographiæ suæ Libro Pannonios etiam atque Illyrios, & ipsos origine Celtas, cutim sibi pupugisse hisce verbis declarat, scribens de Pannoniis; Ὁ δὲ ὁπλισμὸς Κελτικὸς, κατάσικλος δ' ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυρικοῖς, καὶ Θρᾷξί. De Celtoscythis autem qui de *Aqua Tyræ* amnis, ad quam incolebant, *Agathyrsi* appellati sunt, supervacaneum foret quicquam scribere. Britannia autem nostra etiam Claudiano dicitur *Ferro picta genas*; unde & Ibernis

Ibernis *Picti* dicuntur *Cruithnigh*, de *Craith* quod Britannis *Cicatricem* sonat. *Pictorum* autem gentem non tam ab Ardguidalis sive Scotis, quàm a Saxonibus Brigantiæ Dominis sive Nordanhumbranis fuisse oppressam vel inde patet, quòd in universâ Valentiâ, exceptâ montanâ Scotorum Patriâ, Saxonum Sermo invalescat; Scotorum verò Lingua nusquam audiatur ubi olim *Picticè* locuti sunt. Unde autem *Picti* Saxonicè locuti sunt, non item Scoti, nisi quòd *Picti* Saxonicæ fuerint ditionis, Scotique horum in *Pictos* Socii? Quin & Stephanus Heddius, Bedæ coævus, in Vitâ Wilfridi Episcopi memorat *Rebellantes Pictos* Ecfrido Nordanhumbranorum Regi colla sua subdidisse. Certè Nordanhumbrani Saxones quicquid Romani juris fuerat, Loxam atque Banaciam usque, consentientibus initio Pictis (ob odium scilicet Romanorum) occupâsse censendi sunt. Tacito *Picti* Germanicæ putantur originis ob flavos crines; sicuti & Silures nostri Hispanicæ, quòd nigrioribus essent capillis, nimis levi argumento: Beda etiam Taciti (ut videtur) motus autoritate Scythicam putavit gentem. Verùm neque pingebant se unquam Germani; neque veterum Oppidorum atque Fluminum vocabula apud *Pictos* abludunt à Britannicis. Ut de aliis vocibus taceam, *Caput Valli* apud Bedam Pictorum Linguâ *Penüahel* dicitur; cùm Britanni nostri dicerent *Pen y üal*. Stat tamen pro Tacito magnus Stillingfleta in Originibus; meretur tamen excusationem ob veteris Linguæ imperitiam. Erant etiam alii *Picti* Ibernici generis, quos Veteres nostri *Güydhyl Fictied* sive *Ibernos Pictos* appellavêre; quos equidem existimo fuisse *Noüantas* sive *Galloüidios*, Eumeniique *Ibernos*; quibus hostibus unà cum Brigantibus *Pictis* assuetam dicit fuisse Britannorum adhuc rudem gentem, Cæsaris Dictatoris ævo: Neque enim alii fuerant Cæsari pro hostibus quàm Primæ Britanniæ Belgæ; qui quidem (ut Strabonis utar vocabulo) tunc temporis Μεσάγροικοι fuerant; non autem prorsus Ἄγροικοι, uti *Picti* Brigantes.

PILMIS: In Ravennate levi vitio ſcribitur PILAIS, dimidiatâ *M* literâ. Scotobrigantum Iberniæ antiquâ Dialecto *Pilim* etiam hodie pro *Volvere* eſt; unde & Britannis noſtris *Pilyn* pro *Panniculo* vel *Integumento* eſt. Quin & Græcis ipſis idem dicitur Πιλῶν quod & Romanis *Pilare*, quod eſt *Convolvere*, & per hoc *In anguſtum cogere*. Fuerat igitur flumini nomen initio *Pilmis* ſive *Pilim iſc* quod *Convolvens aqua* eſt; hodie verò correptè dicitur **Plym**, ut ſit & oppidum *Pilmis* quod modò **Plymton** eſt in Dumnoniis. *Pilmis* autem *oſtium* ſive **Plym-mouth** recenter conditum eſt, & dici poſſit *Pilmomanta*. In hujus loci viciniâ, in Dumnoniorum ſcilicet, atque Oſtidamniorum finibus, erat & *Cadmagon* ſive Deus Terminus; unde nata Fabella de neſcio quâ immani pugnâ Corinæi Phrygii Herois cum commentitio Gigante **Gogmagog**. Vide in CADMAGON.

POMONA: Orcadum præcipua hæc eſt, quæ vel hodie ibridâ compoſitione **Mainland** ſive *Exilis terra* appellatur. Idem enim veteri Britanniæ *Magn* vel *Main* quod & *Mogn*, Aremoricorum hodiernâ Dialecto *Moan*, Græcis etiam Μανὸς, & Armeniis *Man*; unde & Latinis *Immanis* pro *Non parvo* eſt. Eſt igitur *Pomona*, detorto ad Divæ *Pomonæ* nomen vocabuli ſono, pro *Poü mon*, *Parva* ſcilicet ſive *Exilis Patria* ſive *Pagus*. Vel ipſa *Anglia* Corinaviis dicitur *Pou an Zouzn* ſive *Patria Saxonis*; quod quidem ſubnotavi, quò conſtaret de uſu vocis. Vide in DUMNA & in MENAVIA. Erat & in Dalmatiâ urbs *Pomona* eodem intellectu. Exiſtimaverim & *Batavos* ita appellatos *Interamnios* Rheni, tanquam *Po tav* ſeu *Amnica Regio*. Vide in TAMARUS & TAVUS. Sunt tamen qui deducant à *Betulis*, quæ Britannis dicuntur *Bedü*, Aremoriciſque *Bezo*; quod nobis minùs videtur.

PONS ÆLII: In Libro Notitiæ Statio eſt *Tribuni Cohortis Cornoviorum*. Etiam hodie depravatâ voce **Pont-Eland** dicitur, tanquam *Pons Ælianus*:

Atque

Atque ultra *Ælii Hadriani Vallum* eſt in Otodinis, ad fluviolum de ſuo nomine hodie **Pont** appellatum.

PONTES Antonini hodie dicuntur **Colebrook** ſive *Colnbrook*, *Coloniensis* ſcilicet *amnis pons*; & ſunt in Trinoüantum atque Ancalitium finibus. Nam & flumen *Aventio* à multis retrò ſeculis, de inſigni *Coloniâ Verolanio*, & ipſum *Colonia* appellatum eſt; quomodo & de Camuloduno etiam alterum flumen *Colonia* eſt, quod puto olim fuiſſe *Alaunam*. Antonini Milliaria ſtant pro Camdeno; cùm alii *Pontes* exiſtiment eſſe **Reading** ſive Rheadýge, uti dictum ferunt Saxonibus, mixtâ ſcilicet compoſitione de *Rit* ſive *Rhyd* quod Britannis *Trajectus* eſt, & *Æge* quod Saxonibus *Aqua* dicitur. Britannis ipſis dici potuerit *Rit o üi* vel *Ritovium*. Verùm hoc videri poſſit ἀπροσδίονυσον: Sed nolui deeſſe celebri loco, quòd *Pontium* vices ſuppleret. Fuerint & in Belgio *Pontes*, hodie *Bruges*.

PORTUOSUS SINUS: Vide in GABRANTUICON.

PORTUS DUBRIS: Vide in DUBRIS.

PORTUS GESSORIACUS vel MORINORUM AD BRITANNIAM. Notitiæ monſtroſè ſcribitur *Portu Aepatiaci* pro *Geſſoriaci*; fœdiùs etiam Velſeri Schedis *Petru muiaco* pro *Portu Victiaco*. Vide plura in VICTIS. Crediderim in Notitiâ fuiſſe ſcriptum *Geſſariaci*: Facilè fallunt Literarum ductus in ignoratis vocabulis.

PORTUS LEMANIS: Vide in LEMANIS.

PORTUS MADURNI: Ita enim Ortelius & Pancirollus reperêre in ſcriptis Notitiæ Libris, cùm in editis ſit *Portus Adurni*. In pictâ Notitiæ Tabulâ *Portu Madurni* dicitur. Hic fuit Statio *Præpoſiti Numeri Exploratorum* ſub Comite Limitis Saxonici, ut prodit Notitia. Satis ingenioſè conjecit Camdenus hunc *Portum* fuiſſe apud Auſtrales Saxones, ubi hodie viculus **Edertington** vel *Aldrington* eſt, ſive potiùs vetuſtâ ſcripturâ *Aeldrentun*, quod quidem

ibridâ compositione *Oppidum* est *ad Supercilium Treni* sive *Fluenti*. De voce *Tren* nos suprà diximus: Hæc aliâ quâdam loquelâ *Tern* dicebatur; unde & in Cornaviis *Ternius* fluvii nomen, sicuti aliàs *Trinius* sive *Drinius*. Fuerit igitur *Madurnus* idem quod *Materna* sive *Matrona* apud Gallos. Vide in MATONAS. Egregia Camdeni conjectura vel maximè firmatur nomine *Stratæ* sive Militaris Viæ in vicinis locis **Bedingstreet** sive *Tabulatâ Stratâ*, & **Stretham**, imò (quod & advertit Camdenus) vicinis casulis dictis **Portslade**, quod *Ductus* est sive *Via ad Portum*. Huic *Portui* jamdudum arenis obstructo successit **Shoreham** de *marino litore* ita appellatum; ut sit hoc *Madurnus* Nova. In Vaticano Codice flumen est *Madron*.

PORTUS MAGNUS, Ptolemæo Μέγας λιμὴν, hodie **Portchester** est juxta nostrum **Portsmouth** sive *Ostium portûs*, quod nobis hodie est pro *Magno Portu*. Somnia sunt quæ adduci solent de nescio quo *Porto* Saxone huc appulso, qui & *Vindeni* Insulæ *Portlandiæ* nomen dederit. Nihil vanius Saxonicâ Historiâ vel turbatius.

PORTUS NOVUS: Vide in LEMANIS.

PORTUS SEGANTIORUM: Vide in SEGANTIORUM PORTUS.

PORTUS TRUTULENSIS: Vide in voce AD LAPIDEM; nam falsò scribitur Tacito *Trutulensis* pro *Rutupiensis*, ut olim adverterat Rhenanus.

PRÆMATIS: Vide in BROENIACIS.

PRÆSIDIUM Antonini hodie **Warwick** est, quasi dicas *Arx Vigantum*, *Huicciorum* sive *Icenorum*. Statio hæc erat, juxta Librum Notitiæ, *Præpositi Equitum Dalmatarum*, frænandis Arduennæ Sylvæ Ceangis, atque etiam Dumnoniorum. Campestres enim Britanni plurimum facessebant Romanis negotii. Imò videntur Britannorum Ceangi semper bello parata manus, & Patronis fuisse pro Solduriis sive devotis capitibus.

PRÆSI-

PRÆSIDIUM Ravennatis Geographi in citeriore erat Valentiâ. Hoc hodie vitiosè dicitur **Patsley**, cùm debeat esse *Praisley:* Scotosaxones enim ibridâ appellant voce, tanquam *Præsidii* dicant *campum.* Hoc loco plurima veterum castrorum rudera atque vestigia etiam hodie comparent.

PRÆTORIUM Antonini, Camdeno mecum est **Patrington** sive *Prætorii villa* in Parisis. Forsan hìc fuerat insignior villa *Proprætorum* atque Ducum Britanniæ, apud quam & jus dicebant. Video enim primum Antonini Iter tendere à Vallo ad hoc *Prætorium.*

PRASUTAGUS, Icenorum Rex inclytus atque Thesauris locupletissimus, & (quod erat summum) Heroinæ Vondiccæ Maritus. Aremoricanorum Dialecto *Brasüidhiec* hodie diceretur Πολυμαθὴς sive *Multiscius.* Siquidem *Brâs* idem est illis quod & Corinaviis *Braôz*, & Scotobrigantibus *Breas*, quod *Magnum* sonat: *Güidhiec* etiam *Sciens* est, sicuti & Britannis *Güydhaüc.* Nostratibus autem *Brâs* pro *Pingui* est & *Crasso*; ut possit & huc pertinere Germanorum **Gros** sive **Groot**, ut & Latinum *Crassus.*

PROCOLITIA: Vide in BROCOLITIA; nam vitiosè apud Notitiam scriptum est.

PROMINENTIA: Ptolemæo Ἐξοχὴ, *Promontorium* est *Orientale* sive **Easton-nesse** in Citerioribus Icenimagnis, ut verè Camdenus docet.

R.

RAIBA, & in quibusdam Ptolemæi Libris Ῥέβα, veteris Iberniæ Oppidum est, etiam hodie (quod ostendit Camdenus) **Reban** appellatum. Forsan *Righ ban* dicebatur Iberniæ Brigantibus, quod *Collis* est vel *Burgus Regius.*

RANAFROVIUM: Quis enim dubitet quin sit ita reponendum in Anonymo pro vitioso *Ranatonium*, cùm vel hodie dicatur **Renfraw**, quod est in Clotanâ

Valle, in Citerioris Valentiæ finibus? Superiùs ostendimus in DURNOVARIA, *Fraü* dici Britannis *Lenem fluorem*; atque etiam in PORTUS MADURNI atque aliàs, *Ren* sive *Fren* dici *Fluentum* sive *Aquæ cursum*, quod aliâ Dialecto possit esse *Ran*. Idem igitur *Ranafrovium* quod & hodiernum **Renfraw**; atque oppidum est fluvio suo *Ranfrovio* cognomine, ac si quis solutè dixerit *Ran fraü üi* sive *Cursus fluentis undæ*. Atque huic συνώνυμον videtur hodiernum fluminis nomen **Cothcart**, quod Britanni nostri efferrent *Caeth kerd*, quod *Angusta* est, & per hoc *Ignava decursio*. Vide suprà in CERDANTONA. Ptolemæi Ὀυανδϰάρα, de quo Camdenus fecit ex conjecturâ propriâ *Randuara*, non videtur mihi diversum ab Ὀυανδοϛάρα: Neque quisquam Librarius facilè erraverit in Literâ P & in Dipthongo OY.

RATÆ Antonini, Ptolemæo etiam in melioris notæ Libris Ῥάται non Ῥάϛαι dicuntur. In pluribus tamen mendosè scribuntur Ῥάϛαι, satis prono lapsu. Anonymo etiam Ravennati *Rate Corion* appellantur, cùm in Exemplario Græco proculdubio fuerint Ῥάται κορίων, sive *Ratæ Coriorum* vel *Corigaunorum*. Unde intelligere est Ptolemæi *Coritaüos* sive magis *Corigaunos*, *Corios* etiam fuisse appellatos; atque etiam urbem **Leircester** fuisse jam olim Pagi Caput. Dicitur autem **Leircester** de flumine *Ligure* sive *Liar*, & Latinâ voce *Castra*. Antiquum nomen *Ratæ* Dialecto quâdam poni videtur pro *Rotæ* vel *Ritæ*, hodie *Rhydieu*; quæ quidem omnia multitudinis Numero *Trajectus* significant.

RATOSTAUBIUS, apud Ptolemæum vitiosè concipitur ΓΑΤΟϹΤΑΘΥΒΙΟϹ pro ΓΑΤΟϹΤΑΟΥΒΙΟϹ, mutato O in Θ; etsi sit in quibusdam Libris ΓΑΤΟϹΤΑΒΙΟϹ: Et videtur Æstuarium esse sive Ostium fluminis *Tavi* in Siluribus. Quid enim *Ratostaubius* nisi *Rhat* vel *Rhot es Tav*, sive *Cursus fluminis* vel *Tavi*? Siquidem à *Rhedeg*, quod est *Currere*, *Rhat* vel *Rhot* & *Via* & *Cursus* est; & *Tav* etiam

etiam *Aqua* eſt vel *Flumen*. Eſtque hodie flumen *Tav* in Morganticâ Dynaſtiâ Silurum, ad cujus ripam eſt & *Lan-Dav* ſive *Fanum ad Tavum*, Epiſcoporum Sedes. Poſſit & dici *Stavus* pro *Tavus*. Vide in TROVANTIO.

RAVENNATONA: Anonymo caſu Græco de more ſibi conſueto *Ravenatone* dicitur; & videtur eſſe *Anton* ad cognominem fluvium *Antonam* in litoribus Dumnoniæ, quod vel Itinerarii ordine innuitur. Hoc nomen ſi ſolutis ſcribatur verbis erit *Ar avon ton av*, quod eſt *Super flumine tentæ aquæ*. Sic & Ciſalpinis dictis Gallis *Ravenna* dicitur pro *Aravenna*; ut & *Regentium* inferiùs pro *Argentium*, truncatis capitibus.

RAVONIA apud Anonymum, hodie dici videtur Arx **Ravenſworth** ad flumen Derventionem in Deiris. Etiam hæc correptè dicitur pro *Ar avon iü*, quod eſt *Super aquæ fluvio*. Ipſum nomen **Ravenſworth**, *Ravoniæ villa* eſt ſive *Prætorium*. Pleniùs ſcribitur Anonymo noſtro cognominis locus *Aravona* in Pannoniis, hodie correptè **Raab**, & Antonino cum Peutingerianâ Tabulâ *Arrabona*.

RAVIMAGO: Vide in SORIVOMAGUS; nam capite truncatur apud Anonymum. In Vaticano vitioſè ſcribitur *Navimago*.

RAVIUS; Iberniæ flumen eſt apud Ptolemæum. Nautæ Britanni dicebant *Ar av iü*, quod eſt *Undæ flumen*. Camdeno flumen *Ban* eſt, quod *Altum* ſonat; unde ipſe repoſuit *Banius*. Verùm nihil opus, cùm Ibernica flumina olim fuerint binomina. Ptolemæo hic fluvius ſcribitur Ῥαβίος. *Ar* etiam Britannis pro Præpoſitivo erat Articulo, qui hodie eſt *Yr*, aliis etiam Dialectis *Er* & *Ys*. Belgæ etiam hodie Articulo utuntur Britannico in **Ryſſell**: ita enim appellant oppidum *L'Iſle* ſive *Inſulam*; quæ olim dici potuerat *Ranes*, *Renis*, *Rinis* & *Ronas*, diverſis Dialectis antiquæ Linguæ.

REGEN-

REGENTIUM: Hoc apud Ravennatem truncatè ſcriptum videtur pro *Ar gent iü*, quod eſt *Super caput* ſive *Ad oram fluminis*. Equidem penè dejerarem hoc fuiſſe juxta antiquum oppidum Pertanbyrig, hodie Weſtbury ſive *Urbem* dictam *occidentalem*, ad flumen Were in Carviliis ſive Wiltunenſibus, quod quidem Teutonibus *Aquam* ſonat. Certè ibi ſunt plurima antiquæ urbis veſtigia. Erudito Camdeni enarratori Gibſoni Weſtbury videtur eſſe *Verlucio*; quod tamen nobis non perſuadet.

REGIA: Ita enim in nonnullis Ptolemæi Libris ſcriptum reperio pro vitioſo *Rigia*. Duæ fuêre apud Ibernos *Regiæ*, quas oportet eſſe nobis hodie incognitas; cùm nil fuerint niſi cæteris celſiores Caſulæ. In Fabellâ antiquâ de Caledonio Rege Cul-hucho legimus *Eſkir Oervel* fuiſſe Ibernis pro *Regiâ*; neſcio tamen an fabuloſè confictum ſit.

REGLINA: Ita enim planè reponendum cenſeo in Anonymo pro *Regaina*, Antonini *Riduna*, & Ptolemæi Ῥιτίνα. Nam Iberniæ Inſulæ Racline eſt, quod eſt quaſi quis Britannicè dicat *Rhag lyn* ſive *Præ maris liquore*. *Lean* etiam Ibernis eſt *Liquor*.

REGNI: Ita Ptolemæo Romanâ ſcripturâ dicuntur pro *Renci*. Segontiaci hi fuerant, qui appulſis in Auſtralem noſtram Antonianam Belgis, maritimam oram à Durotrigibus Cantium uſque obtinebant. Siquidem antiquâ Britannorum linguâ *Rheng* quivis *Longus ordo* dicitur, ut & hodiernis Francobelgis Renck ſive Ranck, Aremoriciſque etiam *Renc*. Fruſtrà eſt Magnus Stillingfleta, dum commentitii Lucii Regnum in *Regnorum* nomine expiſcatur: Quis enim ſani ſincipitis Romanus *Regnos* diceret pro *Regios?* Vide in SEGONTIACI.

REGNUM: Ptolemæo *Regnum* Antonini dictum puto *Noviomagum*. Hodiernum verò nomen Kingwood, quod magno Cenſuali Libro dicitur *Renowud*, *Regnorum* dici videtur *Nemus*. Hoc olim *Regnorum* fuerat

fuerat Caput, etsi occupatum à Belgis postero tempore. Vide in NOVIOMAGUS.

REGULBIUM: In Libro Notitiæ hæc statio fuerat *Tribuni Cohortis Primæ Vetasiorum* sub Comite Limitis Saxonici in Cantiacis. Saxonibus hoc Reculf appellatum est, & nobis hodie **Reculver.** Dici autem videtur *Regulbium* tanquam *Rheg gol iion*, quod est *Præ aculeo fluctuum marinorum. Col* enim Britannis pro *Puncto* est vel *Aculeo*, & *Rhag* & *Rheg* variantibus loquelis *Præ* fuerat: Scotobrigantes Iberniæ etiam hodie dicunt *Re*. Anglorum etiam **Reculver** videtur ζωωνύμως positum pro *Rheg col evr*; nam & *Evr*, Οὖρον est vel *Aqua*, sicuti sæpius diximus.

RERIGONIUM: Vide in BERIGONIUM.

RIGODUNUM apud Ptolemæum, Camdeno mecum **Ribelchester** est in Segantiis sive Lancastrensi Conventu. Nihil necesse fuit à Camdeno reponi *Ribodunum*; siquidem *Rigodunum* solutè scriptum erit *Rhig* vel *Rhiü dun*, quod quidem *Arx* est vel *Civitas ad rivum*. Est autem *Rhiü* idem quod & Armeniorum *Aroi*, Anglosaxonum *Reag*, & Scotobrigantum *Freuv* sive *Freum*, quod de Græco est Ῥεῦμα, Æolicè seu Pelasgicè ϝρεῦμα. Vide in BELISAMA & in DURNOVARIA. Erant & *Rigomagi* duæ in veteri Galliâ, de quibus vide Ravennatem nostrum.

RITOMAGUS: In Antonino vitiosè legimus *Sitomagus*, & in Peutingerianâ Tabulâ adhuc vitiosiùs *Sinomagi*, multitudinis etiam numero. Si Venta Icenorum, Crocolanum est sive **Antcaster**, & Camboritum sive Cambretovium, **Chesterford**, sicuti nos opinamur; *Ritomagus* etiam erit quod modò est **Hemingford** *Abbatis* ad Oscam vel Iscam flumen in Australibus Girviis, juxta quod est *Sleppa* sive *Fanum Sancti Ivonis* vel *Johannis*, de *Ritomagi* nata cineribus. Erit autem nomen *Ritomagus* solutè scriptum *Rit iii maes*, *Campus* scilicet & *Civitas ad Trajectum fluminis*. Neque sanè ipsum **Hemingford** aliud mihi

videtur

videtur quàm ibridâ Saxonum compoſitione *He magen* **ford**, *Magorum* ſcilicet ſive *Camporum Trajectus.* Camdenus longè erravit via cùm hunc locum ad **Thetford** eſſe voluerit in Icenimagnis Ulterioribus. Huic cognominis eſt & Gallorum *Rotomagus*, quæ & ipſa *Ritomagus* appellata eſt, hodieque correptè *Roan* pro *Rotion*, quo nomine Celtis dicuntur fluminum *Trajectus.* De oppido autem **Thetford** nihil attinet dicere Saxonibus appellatum fuiſſe Ðeoð-ford, quod *Trajectus* eſt *publicus*, quem Britanni veteres *Tidoritum* dicerent, imò fortè dixêrunt. Flumen **Thet** ſive magis *Theod* recentiori ritu de ipſo oppido nomen ſuum traxit. Vide in GIRVII.

ROBOGDII Ptolemæo Iberniæ ſunt Natio ad Voluntios ſpectans, & de Promontorio dicti ſunt ſui nominis.

ROBOGDIUM PROMONTORIUM apud Ptolemæum, Camdeno videtur eſſe **Fair-Foreland** ſive *Speciosum Promontorium* in Voluntiis. Veterum Brigantum Dialectis *Re*, *Ri*, & *Ro* promiſcuè dicuntur pro *Rac* vel *Rhag*, *Præ*; eſt etiam *Üog diü*, *Fluctus aquæ*; ut ſit *Robogdium* tanquam *Præ maris fluctu.*

RONUENNA: Ita vulgari convicio veteribus Britannis, imò etiam hodiernis, Anſegiſi filia Vortigernique uxor appellata eſt; etſi in Bedæ impreſſis Libris vitioſè legatur *Rouenna.* Pignus hæc erat nefandi fœderis: Hâc mercede maleferiatus ille Vortigernus florentiſſimam Romanorum Provinciam Barbaris excidendam tradidit. Eſt autem Britannorum ſermone *Rhonüen* magis *Equæ* quàm *Reginæ* nomen: Siquidem *Rhaün*, *Equinæ* ſunt *Setæ*; & *Üenn*, *Alba* eſt ſive *Candida.* Certè *Ronüennæ* nomen non ſine execratione Britannicæ plebi etiam hodie profertur. Aliàs novimus ex Strabone vel ipſos Gallos illorum temporum *flaviore* fuiſſe comâ quàm Britanni. Hodierni Galli ex parte magnâ ſunt Romani; & color & lingua & ſtatura indicio ſunt.

ROSEXA:

ROSEXA: Ita enim in Anonymo repoſuimus pro *Roſeſa*; & videtur ſanè dici quod hodie eſt inclytum Montegomericorum Caſtellum *Ardroſſin* in Noüantis. Nam *Roſexa* Britannorum linguâ fuiſſe videtur *Ros echa*, hodiernâ ſcripturâ *Rhos ychav*, quod idem eſt & *Ardroſſin* Scotobrigantum antiquo ſermone; nam *Altam Roſam* ſonat. In edito Ravennatis Libro vitioſè legimus *Maulion*, *Demeroſeſa*, de quo nos fecimus *Mauliondoma*, *Roſexa*. Hiſpanis etiam hodie *X* eſt pro Græcorum χ, quod fortè etiam ſequebantur olim Celticæ Provinciæ. Vide in UXELODUNUM.

RUTUNIUM Antonini eſt apud Cornavios meos, ubi nuper erat antiquum Caſtellum **Rowton.** Hoc & Magno Stillingfletæ videtur eſſe Nennii *Caer Draiton*; quod quidem fortaſſe verum eſt. Siquidem *Rutunium* ſolutè ſcriptum Britannis dicetur *Rut union*, quod eſt *Iter rectum*, quale vel hodie Veroconio eſt Laüobrigam. Quod attinet ad nomen *Draiton*, & illud videtur eſſe vetuſtum: Siquidem veteribus Britannis *Rhaith* & *Rheith*, *Rectum* eſt, quod adjectâ Præpoſitivâ conſonâ *D* fiet *Draith*; unde & hodiernis Gallis *Droit* pro *Recto* eſt. Erit igitur *Draiton*, ſi plenè ſcribatur, *Draith rut dun*, quod eſt *Arx* vel *Oppidum ad rectum iter*.

RUTUPIÆ Ptolemæi, Marcellino dicuntur *Rhutupiæ Statio*, Antonino *Rhitupis Portus*, & Oroſio *Rhutubi Portus* & *Civitas*. Anglis antiquis Repta-ceaſter fuerat & *Reptimuth*, ut & Alfredo Beverlacenſi *Richberg*, hodieque **Richburgh**, uti diligentiſſimè recenſuit Camdenus. Satis probabile tamen videtur quod ab erudito Gibſone affirmatum video, *Rutupienſem* quidem *Portum* fuiſſe *Ad Lapidem* ſive **Stonhar**, ubi ſcilicet *Lapis Tituli* ſive Pharus fuerat; urbem verò ipſam fuiſſe *Richberg* ſive *Ritubſberg*, cui modò ſuccedit vicina *Sandovicus*. Nomen autem *Rutupiæ* ſive *Ritubis*, ſi Britannico ſermone plenè ſcribatur, *Rit deu üieu* ſive *Trajectum duorum fluminum* efficiet. Neq; enim aliunde

Want-

Wantſum flumini nomen eſt: Siquidem Jutis ſive Danis, Cantii inquilinis, **Wand** pro *Aquâ* eſt, & **Samman** eſt *Colligere.* Hujuſmodi nomen etiam in Ulterioribus Icenimagnis occurrit, quod & ipſi ab Hoſpitibus traxêre Danis. Fruſtra fuit ergo noſter Camdenus cum in iſto nomine *Ventam Icenorum* quæreret. Fuêre autem *Rutupiæ*, juxta Notitiam Imperii, Statio *Præfecti Legionis II. Auguſtæ* ſub Comite Limitis Saxonici. Quæ quidem *Legio* primis temporibus erat Iſcæ Silurum. Sit igitur *Sandovicus* nobis pro antiquis *Rutupiis*, & *Sandovicina Oſtrea* Juvenalis *Rutupina.*

S.

SABINIANA ALA: Vide in HUNNUM.

SABRIANA: Ita enim Ptolemæo dicitur, cùm aliis correptiùs dicatur *Sabrina.* Anonymo vitioſè ſcribitur *Suron*, cùm vellet dicere *Savron.* Nobiliſſimum hoc Britanniæ flumen ipſis Britannis, demptâ Præpoſitivâ *S*, *Havren* dicitur, correptè pro *Havrian.* Quod ſi ſolvatur nomen, *Ha av rian*, *Aqua* erit *regina* ſive *princeps.* Nam & *Ha* vel *He* Britannis fuerat pro Articulo, ut & veteribus Saxonibus *He* pro **The**, & Græcis ὁ & ἡ. Huic immiſcetur in Cornaviis flumen *Trinius* ſive **Tern**, de cujus Etymo nos aliàs diximus quod viſum eſt. Sunt & *Sabrianæ* noſtræ cognomina flumina, *Dabrona* ſcilicet Ibernorum, & *Dabrianus* & *Abrianus* & *Nabrianus* Caledonum. Eſt denique & Pannoniis Celtis, Παίοσι ſcilicet ſive Boiis, flumen *Savus* ſive *Sabus*, quod idem eſt quod & nobis *Tavus.* Vide in LUGAVON.

SACRUM PROMONTORIUM, Ptolemæo Ἱερὸν Ἄκρον, non longè eſt à Civitate **Werford**, in Ibernia, ut autor eſt Camdenus. Quid autem vel ipſum **Werford** niſi *Sacer trajectus*, ibridâ ſcilicet compoſitione? Vide in DELGOUICIA.

SALENÆ

SALENÆ apud Ravennatem ſexto dicuntur caſu *Salinis*. Hæ ex ordine Itinerarii fuiſſe videntur apud **Wilen-Ferry**, ad confluentiam ſcilicet Derventionis atque Troventionis, in Corigaunorum & Derventionenſium finibus. Oppidum ipſum hodie dicitur **Caſtle-Donington**, ibridâ ſcilicet compoſitione quaſi *Dunenſis oppidi caſtellum*.

SALENÆ alteræ apud eundem Autorem in Dobunis fuêre, quas ex ordine Itinerarii equidem conjecerim fuiſſe ad ingentia Romanorum Caſtra hodie appellata **Mozbury**, vitioſe puto pro *Morbyrig*; quæ quidem vox ibridâ compoſitione *Magna* ſignificat *caſtra* ſive etiam *urbem*. Sunt autem iſta (ut me docet eruditus Britanniæ enarrator Gibſon) in vico dicto **Farmington**, juxta **Mozlich**.

SALENÆ Ptolemæi hodie dicuntur **Salndy** in Bedfordiano pago, ad fluvium **Ivel** ſive pleniùs *Iü vêl*, quod *Fluminis* eſt *caput* ſive *ora*. Camdeni judicium firmatur Nummis ibi repertis: Ipſi vidimus aureum Veſpaſianum illinc effoſſum. Videntur autem *Salenæ*, ſi ſolvantur, Britannicè dictæ *Sav lenneu* ſive *lanneu*, quod *Aquæ ripas* ſonat. Certè nomen **Wilen-Ferry** ſive *Salanienſis Trajectus* conjecturæ noſtræ aſtipulatur. Vide in UGRULENTUM. In Vaticano codice ubique immani vitio ſcribitur *Salmis* pro *Salinis*.

SALTUS CALEDONIUS, ſive SYLVA CALEDONIA, Lucio Floro memoratus, Ptolemæo dicitur Καληδόνιος Δρυμὸς, & Britannis noſtris *Coit Kelydhon* ſive *Nemus hominum ſylveſtrium* vel *Celtarum*. Ingens iſta Sylva eſt ad montem Grampium in Valentiâ.

SARNIA: Vide in GARNIA.

SARUA: Hoc nomen fluminis eſt apud Ravennatem, quod in Vaticano *Sarna* eſt. Credibile eſt hunc eſſe fluvium qui præterfluit urbem Sorbiodunum; qui quidem variantibus Britannorum Dialectis *Sarüa*, *Soravon*, *Sorbis*, ſive *Sorüis*, & *Sariſca* olim appel-

appellatus eſt. Eſt & *Sarava* ſive *Saruba* (uti Anonymo noſtro vocatur) Belgarum flumen, hodie *La Saar*. *Sarüa* verò noſtra hodie ἀπλῶς dicitur **Avon** ſive *Amnis*. Sunt autem Britannis *Sâr*, *Sôr*, *Sûr*, & Scotobrigantum *Searv*, idem quod & Armeniis, *Xaur*, Perſis *Sciur*, Angloſaxonibus Sup, hodierniſque Anglis **Sowr**; quod quidem *Acerbum*, & figuratè etiam *Iracundum* ſonat. Vide in SORAVIMAGUS & in SORBIODUNUM.

SAVRON: Vide in SABRIANA.

SAXONES: Celtoſcythæ hi fuerant de Mæotide Palude, qui de Sarmatiæ partibus antiquiſſimis temporibus univerſam Aſiam Latrociniis vaſtavere: Siquidem Scythæ ante primorum Imperiorum tempora, prodente Trogo Pompeio inſigni Hiſtorico, per totam Aſiam Ægyptum uſque per mille & quingentos annos Imperium tenuêre. Quin & Megaſthenes apud Strabonem prodit Ἰδάνθυρσον τ̃ Σκύθλω ἐπιδεραμεῖν τ̃ Ἀσίας μέχρις Αἰγύπτȣ. Qui quidem Idanthyrſus fuiſſe videtur Pompeii Trogii Tanaus nonnullis, nobis verò alius vetuſtior & Phryx. Neque ſanè alios Imperii æmulos vel Cyrus vel Darius Hyſtaſpis filius quàm Tranſiſtranos iſtos Scythas habuiſſe videntur. Hi veteribus Græcis Κιμμέριοι appellati ſunt vitioſo nomine pro Κίμβροι. *Kimbri* autem de *Latrociniis* nominati ſunt: Idem enim Teutonibus **Kemp**, & Britannis noſtris *Camp*, quod & Græcis Καμπὸς, & Romanis *Campus*; unde & **Kemper** & **Kempon** Teutonicè *Latro* eſt, qui ſcilicet rem agit in *Campis*. Hinc & linguâ Gallorum veterum, Autore Solino, *Cimber*, *Latro* eſt, quaſi *Vir campeſtris*: Quin & *Caimper* Scotobriganticè *præclarus* eſt *Miles* & *perfectus*. Etiam ſacris Judæorum Libris גברים *Gimborim* quaſi *Gimbri* appellati ſunt; quo nomine vel à primis temporibus *Gigantes* appellavêre. Certè Scythici generis *Troglodytæ* & Γέϑ & Γεάϑ & Γηγϑεῖς ſive Γίγαντες vocati ſunt Græcis: neque *Titanes* diverſi videntur à *Teutonibus*. Quin & Britannicum nomen

Caür

Caür pro *Gigante* correptè dictum videtur pro *Cau-ür*, quod *Troglodyta* est sive *Homo speluncaris*, quales scilicet *Cyclopes* atque *Cacus* à Virgilio describuntur. Atque hinc quidem nata est universa *Gigantum* Historia. Quis miretur immani fuisse terrori pumilionibus Orientis proceros & prægrandes Scythas? Verùm de diverticulo in viam redeundum est. De **Namen** etiam quod Teutonibus est *Capere*, ut & veteri Græciæ Νέμειν (quod & nos superiùs monuimus) *Germani* Νομάδες appellati sunt Græcis, ut & Sarmatis hodiernis *Niemet* sive *Nemetes*, quasi *Prædones*. Quibus verò temporibus Henetos sive antiquos Thracas sive Phrygas è Germaniâ pepulêre, ut in re tam vetustâ, quis affirmet? Crediderim tamen Furii Camilli ævo illud accidisse; quo tempore Galli Senones sive Heneti Germaniâ veteri oriundi, Brenno Duce, & Galliam & Italiam, ad quærendas novas sedes, pervagati sunt. Fuisse autem *Cimbros* eosdem qui & Græcis Κιμμέριοι appellati sunt ex Possidonio hisce verbis testatur Strabo; Ἀπ' ἐκείνων δὴ καὶ ὁ Κιμμέριος κληθεὶς Βόσπορος, οἷον Κιμβρικὸς, Κιμμερίους τοὺς Κίμβρους ὀνομοσάντων τῶν Ἑλλήνων. Φησὶ δὴ καὶ οὗτος Βοίους τὸ Ἑρκύνιον δρυμὸν οἰκεῖν τὸ πρότερον, οὗτος δὲ Κίμβρους ὁρμήσαντας ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον ἀποκρουσθέντας ὑπὸ τῶν Βοίων, ἐπὶ τὸν Ἴστρον, καὶ οὗτος Σκορδίσκους Γαλάτας καταβῆναι, εἶτ' ἐπὶ Ταυρίσκους, καὶ τούτους Γαλάτας. Hoc est, *De illis autem & Cimmerius appellatus* Bosporus, *quasi* Cimbricus, Cimbros Cimmerios *vocantibus Græcis. Prodit autem & Boios Hercynium Saltum incoluisse priùs*; Cimbros *autem in hunc locum impetum facientes, & pulsos à Boiis, in Istrum atque Scordiscos Gallos descensum fecisse, deinde verò in Teuristas & ipsos Gallos.* Ut sint plana omnia quæ nos modò retulimus de vetustâ istâ *Celtoscytharum* in Germaniæ Gallos irruptione. Iidem *Cimbri* de *brevibus Gladiis* sive *Cultellis* quibus rem in prælio agebant, quasque ipsi suâ linguâ **Sachs** appellabant, *Saxones* dicebantur. Hujusmodi *Cultellus* Britannis nostris *Ysgïen* dicitur, atque etiam

Scotobrigantibus Ibernis *Sgian :* Quem quidem & antiquissimis Latinis non fuisse incognitum ostendit Livii Andronici primi Romani Poëtæ dictum, à Pompeio Festo adductum ; " Livius (inquit) in Ly-" dio : Corruit quasi ictus *Scenâ*, haud multò secús." Ostendit etiam Paulus Diaconus & *Sacenam* fuisse pleniore voce appellatam. De *Sacenâ* autem istâ per universam Asiam Σάκαι appellati sunt, quasi dicas *Cultellarios*. Σάκας autem *Latrones* interpretatus est Historicorum Pater Herodotus ; ut constet jam de nomine. De his ita Poëta Chœrilus ἐν τῇ διαβάσει τῆς χεδίας ἣν ἔζευξε Δαρεῖος, quod ait septimo Geographiæ suæ Libro Strabo :

Μηλονόμοι τε Σάκαι, γενεᾷ Σκύθαι· αὐτὰρ ἔναιον
Ἄσιδα πυροφόρον· Νομάδων γε μὴν ἦσαν ἄποικοι.

Strabonis tamen ævo *Sacæ* ad Orientem fuerant Caspii maris. Erat etiam & alterum *Sacenæ* genus, *incurva* scilicet *Sica*, quæ Persarum fuerat *Acinaces*, quâ jugula præcidebant sibi adversantium. Neque ignotum fuit ipsis Judæis *Sacarum* nomen, quod ostendit Basanitis Regio, quæ in Sacris eorum Libris correptè dicitur בשן *Basshan* pro בית שאן *Beth Shaan* sive *Sacarum Domicilium :* Urbs etiam בית שאן *Beth Shaan*, quæ LXX Interpretibus Græcis Βαιθσὰν appellata est, Græcorum Σκυθόπολις est. Quin & Rex *Gog* sive Γύγης pro immani erat *Gigante* seu *Typhone* ; cujus tamen novemcubitalem lectum Græcorum Heros Achilles æquabat : Hunc enim Lycophron in Alexandrâ & Ἐνάπηχον & Πελασγικὸν Τυφῶνα appellat. Neque sanè aliud videtur nomen Γῶγ quàm quod aliâ quâdam prolatione Gothis dicitur **Hauh**, Germanis **Hoch**, veteribusque Britannis *Coc*, quod nos superiùs ostendimus in voce COCIDIS. In Tauricâ Chersoneso Κιμμέριος est Βόσπορος, cujus incolas vel hodie *Teutonicè* loqui elegantissimus Scriptor Busbequius ostendit in Epistolis, in quibus & plurima eorum vocabula proponit. Hi sunt iidem *Cimbri* sive *Saxones* qui & Britanniam nostram, labente jam

Roma-

Romanorum potentiâ, domuêre. Fuiſſe autem illos perpetuos Attacottorum, Pictorum atque Scotorum Ibernicorum in Romanam Provinciam ſocios, ex Tacito, Marcellino & Zoſimo facilè eſt colligere. Quid, quod in Libro Notitiæ Legio II. Auguſta de Iſcâ Silurum ſive Attacottorum, ad cuſtodiendum Limitem *Saxonicum* tranſlata ſit Rutupias? Nullus igitur illo tempore à Silure metus, modò frænaretur *Saxo*. Scotorum autem gentem vel ipſe *Saxo* Beda prodit Anglis ſemper fuiſſe amiciſſimam. Denique Anſegiſus *Saxo* filiam ſuam Vortigerno Siluri (quod firmiſſimum amicitiæ pignus) in matrimonium tradidit.

SCETIS: Ita hæc Inſula Ravennati correptè dicitur pro *Scetinis*, Dialecto quâdam pro *Scad inis* ſive *Sardinarum inſula* vel *Harincorum*. Hodie adhuc vitioſiùs Skey dicitur; & eſt de Ebudarum numero Inſula inſignis. *Scadan* etiam Britannis vocantur *Harinci*. Fuerat forſan & Singulari numero olim *Scad*; cùm vel Anglorum linguâ, quæ horum feruntur Matres, *Haleces* ſcilicet, dicantur Shads. *Scadan* etiam Ibernis pro *Harinco* eſt vel *Sardina*.

SCETIS altera apud Ptolemæum in Orcadibus eſt, quarum nomina ignorare ſe fatetur Ravennas. Hæc hodie eodem penè vocabulo Schetland dicitur, quod eſt ibridâ ſono *Sardinarum terra*. Camdeno putatur Hey, quæ nobis eſt *Dumna*. In melioribus Ptolemæi Libris vitioſè legitur Σκιτὶς, cùm deberet eſſe Σκητίς. Ὀκιτὶς certè vitioſum eſt.

SCOTIA: Ita Bedæ & Ravennati Monacho dicitur *Ibernia*; nulla enim ante Octavum Sæculum in Britanniâ noſtrâ fuerat *Scotia*. Hæc Inſula, prodente Flahertio, ipſis incolis dicitur *Fiod inis* ſive *Sylveſtris inſula*; atque etiam *Inis Fiodſa* ſive *Inſula Sylvæ*: Noſtrates vocarent ſuâ Dialecto *Ynwydh ynys* & *Ynys Wydhſa*, eodem ſcilicet intellectu. De *Scotis* autem Romanis dicitur *Scotia*; qui quidem *Scoti* & Britannis vocabantur *Yſgwydhwyr*, quod quidem

veteri ſcripturâ foret *Scoitüir*, quod *Viros ſylveſtres* ſonat. Hodiernum nomen *Güydhal* tanquam *Sylveſtris Gallus* eſt ſive *Brigas*. Siquidem mixto genere ſunt *Iberni*: Conſtant enim *Eriis* ſive *indigenis Barbaris* vel *Scotis*, & *Brigantibus* noſtris ſive *Güydhalis* vel *Sylveſtribus Gallis*; unde factum eſt quòd nobis etiam mixto nomine *Scotobrigantes* ſæpius appellati ſint. *Scotobrigantum* iſtorum coloni hodie Valentiam obtinent, antiquorum Saxonum in devaſtandâ Romanâ Provinciâ fœderati; quod ex Ammiano Marcellino atque Zoſimo intelligimus. Atque hi tandem Saxonum ope Pictorum ſive veterum Caledonum gentem oppreſſêre. Danorum enim temporibus, fracto jam Saxonum Imperio, Valentia ex facili ceſſit *Scotis*; omnibus illarum partium Saxonibus (modò Scotoſaxonibus) libentiùs his ut veteribus ſociis parentibus, quàm vel præpotenti & infeſtæ genti veterum Pictorum, vel etiam peregrinis Vandalis ſive Danis. Bono indicio eſt vel Saxonum ſermo, quo ſolo exſtincta eſt veterum Caledonum Lingua; Saxonicè enim loquuntur quà olim Picticé: Quod cùm Scriptores ejus gentis non lateret, finxerunt Pictos Germanæ fuiſſe originis; quò quidvis eſſent magis quàm quod reverà fuerant, Angloſaxones. *Scotobrigantes*, ſiqui tandem illo nomine Veteribus venerant (nam in Senecâ Tragœdo ex ſolâ conjecturâ eos repoſuit Scaliger) *Brigantes* erant Iberniæ (quos modò diximus) *Brigantum* noſtrorum Coloni, mixto genere. Horum Ἀπόγονοι in Britanniam noſtram remigrantes circa annum à nato Chriſto DIII. Inſulas Ebudas atque Deucaledoniam, imò & à multis retrò ſæculis Noüantiam ſive Galloüidiam tenuêre; tandemque (ſicuti modò dictum eſt) abolitâ antiquâ Triarchiâ, Scotoſaxonum Nordanhumbranorum opibus adjuti, *Scotorum* Regnum condidêre. Imò opportunitate Danicorum atque Normannicorum tumultuum allecti *Scoti*, Pictorum, Noüantarum, Cumbrorum & Berniciorum Regna adeóque univerſum pene Nordanhumbranorum

branorum Imperium ſibi arrogavêre, & Gallorum amicitiâ firmavêre. Nuperrimè verò ſub Glorioſiſſimæ Reginæ auſpiciis, poſt novem & quod excucurrit ſæcula, Britannicâ civitate fauſtè & feliciter (uti quidem ſperamus) redonati ſunt.

SEGANTII: In pleriſque omnibus Ptolemæi Exemplaribus leviuſculo mendo Σεϊαντίων legimus, de quo nos fecimus Σεγαντίων. Atque ea quidem emendatio vel ex eo firmatur, quod Lancaſtrenſis pagus, unà cum Occidentali Brigantum Triarchiâ, Anonymo vitioſè ſcribatur *Siſtuntiaci:* Ita enim ſcribit; " Nam *Siſtuntiaci* dividunt in Tertiâ portione ipſam " Britanniam." Quæ verba nos ita initio concepta contendimus: *Nam* Siguntiaci *dividunt in Tertiâ portione ipſam Brigantiam.* Vox autem *Segontium*, (unde & *Segontiaci* vel *Siguntiaci* vel etiam *Segantii* deducti ſunt) Britannis ſolutè ſcripta, erit *Se gont iü*, quod *Caput* eſt vel *Ora fluctûs* ſive *maris.* Etiam Angloſaxonibus Se pro Articulo eſt, Francobelgis De, & nobis The: *Cont* etiam Dialecto quâdam dici neceſſe eſt pro *Cant*; ſicuti aliàs *Çond*, Scotobrigantibus hodiernis *Ceand.* *Segantii* ſive *Segontiaci* Brigantes à Saxone Victore acti Ducatum condidêre Lancaſtrenſem; qui & ipſe tandem Cumbrorum Regulis ablatus Anglorum Regum fiebat peculium.

SEGANTIORUM PORTUS: In Ptolemæi Libris mendoſè ſcribitur Σεταντίων Λιμὴν pro Σεϊαντίων, ut nos ſuprà retulimus; hodiernum verò loco nomen Lither-pool eſt ſive *Pigra palus*, eſtque Στομαλίμνη ad oſtium Amnis Merſey ſive Tinnæ in Conventu Lancaſtrenſi. Camdenus longè erravit viâ cùm *Segantiorum Portum* ad *Dictim* quæreret ſive Winwadre-mere; quod quidem ut videretur eo veriſimilius, Λίμνη fecit de Λιμὴν, quod hercle nollem factum.

SEGEDUNUM in Libro Notitiæ Statio eſt *Tribuni Cohortis Quartæ Lergorum.* Hodie Camdeno mecum eſt Seghill in Otodinis, non longè à Tunnoceno. Ravennati Libro mendoſiſſimè ſcribitur

ſexto caſu *Serduno*, pro eo quod ipſe fecerat *Secduno*. Scotobrigantes *Sic din* dicerent *Aridum collem*, atque Aremorici Britannici *Sechdin*. Novimus ipſi in Montegomericâ Regione locum perobſcurum huic cognominem *Sychdin*, eodem Etymo. Ibridâ igitur compoſitione & **Seghill** dicitur pro *Segdin*. Eſt & *Segedinum* in Pannoniis.

SEGELOSIM: Vide in AGELOGUM.

SEGLOES apud Ravennatem poſſit eſſe **Eccles**, juxta Tuæſim urbem in Gadenis. Hìc videtur fuiſſe primis Chriſtianiſmi temporibus celebris quædam *Eccleſia*: Nam vel hodie *Eccleſia* Britannis *Yr Eglüys* dicitur; Scotobrigantibus etiam *Eaglais*. Veteres forſan ſcripſerint *S' Egloes* pro *Se Egloes*. Vide ſuperiùs in SEGANTII.

SEGONAX: Videtur hic fuiſſe *Segontiacorum* Rex, & Taximaguli Cantiacorum Regis ſocius in bello adverſus C. Cæſarem Dictatorem inſtituto: Nominatum enim illum exiſtimo de gentis nomine cui imperitabat, ſicuti & de Carviliis Carvilium. Quin poſſit dici correptè *Segonnach* pro *Segontach*, conſuetâ Veteribus prolatione. Advertendum etiam & *X* modò eſſe Græcum χ, ſicuti inferiùs in UXELODUNUM.

SEGONTIACI Cæſaris, Ptolemæo dicuntur *Regni*, Romano ſono pro *Renci*, quod quidem ferè eodem redit. Hi cùm fuerint, ut & reliqui Britanniæ Primæ populi, origine Belgæ, à recentiore tamen ejuſdem gentis Coloniâ ad maris litora propulſi, Ptolemæi ævo à *Regno* ſive *Noviomago* & Durotrigum finibus, ad Mantantonem & Cantii fines, omnem maritimam oram obtinebant: Auſtrâlis tamen Antoniana initio illis pro Patriâ fuerat. Illorum Rex *Segonax* Taximagulo Cantiano unà cum Carvilio, ut videtur, Wiltunenſi in bello adverſus Cæſarem vel Socius vel Cliens fuerat: Falluntur enim qui Regulos iſtos omnes habent pro Cantianis. Vide in REGNI.

SEGON-

SEGONTIUM Antonini, Ravennati eſt *Seguntio* ſexto caſu. Hodie *Caer Seiont* eſt in Venedotiæ Canganis, non longè à *Caer Narvon* ſive *Civitatem contra Monam*, quod nobis eſt *Segontium Novum*: Ubi & *Segantiorum Portum* in quibuſdam Ptolemæi Libris comparere Camdenus autor eſt. Vide ſuprà in SEGANTII.

SELGOVÆ: Apud Ptolemæum populus Citerioris Valentiæ ſic vocatur, de quo vel hodie **Solwey-Frith** ſive *Selgovarum Sinus* appellatur. Videntur autem *Selgovæ* Aunomanam, Nodianam, & Æſicanam Vallem incoluiſſe potiſſimúm. Vocabulum *Selgovæ* Britannorum ſoluto ſermone erit *Sel güi*, quod eſt *Salſus fluctus* ſive *Mare*. Aremorici dicerent Plurali numero *Selliz güagoü*, *Salſas undas*. Hodiernis Britannis *Halen*, *Sal* eſt, Scotobrigantibus *Salan*, Corinaviis & Aremoricis *Holen*. Adjectâ igitur Præpoſitivâ *S*, fiet hodiernum **Solwey** ſive *Sol üi*. Scotobrigantes Dialecto ſuo dicerent *Sail go*, *Salſum mare*.

SENUS Ptolemæo flumen eſt Iberniæ, Oroſio *Sena*, hodieque **Shanon**; quaſi dicas *Senn aün* vel *Synn avon*, quod *Stupidus* ſive *Lentus* eſt *amnis*. Inde autem dici poſſit *Stupidus*, quòd plurimis ſtagnis elangueſcat & moretur. Eſt & alter *Senus* juxta Bruxellas apud Belgas, Ravennati *Arſena* dictus, cum Articulo Britannico.

SETEIA Ptolemæo Devæ fluminis Æſtuarium eſt ad Devanam Coloniam; verùm vitioſè Σετηία protulit, ut Linguæ ignarus, pro *Stavan üi*, quod *Os* eſt *fluctûs* ſive *amnis*: Siquidem idem Aremoricis *Stafn* quod nobis hodie vitioſè *Savan*. Certè vetuſtis Gothis *Stibna* vox fuerat, ut & Saxonibus noſtris Stepn & *Stemn*, ſatis vicino ſenſu. Quæ quidem omnia referri poſſunt ad Græcum Στόμα. Quid ſi Ptolemæus ipſe Στηβία fecerat? Equidem illud ſæpe ſuſpicatus ſum.

SIGDELES: Ita Antonino dicuntur Insulæ *Sillinæ*, sicuti & Sulpicio appellantur; Hispanis autem veteribus *Oestrymnicæ*: Nobis hodie sunt Insulæ **Silly** correptè pro *Sigdeles*. Quid autem *Sigdelis* nisi *Süict heli*, quod *Insula parva* est *salsi maris?* Siquidem & *Heli*, *Salsugo* est, & *Üict*, Νησίδιον, uti sæpiùs diximus. Harum maxima Plinio vitiosè *Mictis* est pro *Victis*. Græcis etiam veteribus, de *Stanno* illic effosso & venali, *Sigdeles* nostræ Κασσιτέριδες appellatæ sunt: Solino verò *Silurum Insulæ* atque aliis *Sillanæ*. Incolæ autem Straboni Geographo Μελάγχλαινοι, de *nigris talaribus vestibus*, appellati sunt, & Tragicarum Furiarum similes putat. Plinius putat *Cassiterides* esse nullas; etsi Strabo & numerum & verum situm earum describit: Decem enim esse dicit, quot vel hodie sunt cultæ.

SIGUNTIACI: Vide in SEGANTII & in SEGONTIACI.

SILIMNUS: Vide in LIMNUS.

SILURES: Nobilissima Flaviæ Civitas quæ universam Australem partem, hodie *Deheubarth*, unà cum Demetis imperio tenebat: Horum erat & Herefordiæ novus Pagus. Crediderim & Cornavios cum utrisque horum Canganis in *Silurum* fuisse vel Societate vel Clientelâ, quòd *Silurum* nomen ubique clarum sit in Historicis; Cornavii autem tantùm appareant in Geographiæ Libris. *Silurum* natio omnium fortissima fuit, atque etiam acerrima in bellis pro patriâ Libertate gerendis, donec tandem à Rege Vortigerno Saxonibus prodita est: Neque minùs strenui Cornavii nostri; quòd Legio XX. Valeria Victrix his opponeretur Devæ, sicuti & Legio II. illis Iscæ Silurum; cùm unica Sexta sufficeret frænandis Brigantibus & Caledoniæ populis; Quarta decima, Icenis; Britanniæ autem Primæ, planè nulla. Nam cultiores Belgarum populi socii erant Romanorum perpetui, reliquisque Britannis infesti; à quibus & Regium Diadema, frendente licèt Vortigerno, Ambrosio

Aure-

Aureliano Romano traditum eſt. In Legibus Hoüeli Regis Silurum Regio dicitur *Eſhylhaüc*, quaſi *Bellicoſam* vel *Feram* dicas. Satis uſitatâ Synæreſi Britannis dicitur *Hylh* pro *Hywylh*, quod *Præferocem* ſonat. Sic aliàs dicitur *Rhylh* pro *Rhywylh*, *Audax* ſive *Temerarius*. Sint igitur *Silures* patrio ſermone *Ys hylh wyr*; veteri autem ſcripturâ *Es heuil üir*, *Viri* ſcilicet *feri* atque *bellicoſi*. Fuêre & horum cognomines *Illyrii*, & ipſi, prodente Strabone, Celtici generis. Vanam autem eſſe Taciti ſuſpicionem de Hiſpanicâ *Silurum* origine, vel hodiernus eorum ſermo ſatis bono indicio eſt. De Caledonum etiam flavis crinibus, levi admodum argumento, & Teutonicam ſtirpem illis aſſeruit; unde & Bedæ anſa erroris, atque univerſis penè Scotiæ Scriptoribus: Unus Camdenus veritatem novit. Plinius memoriæ prodidit *Silures* vitilibus navigiis ſive Curucis *Victim* navigâſſe: Atque hinc & *Silurum Inſulæ* appellatæ ſunt *Caſſiterides*.

SIMENI: Vide in ICENI; nam Ptolemæo Exſcribentium errore CI'MENOI ſcribuntur pro 'OΓΙ'KENOI vel forſan etiam 'OIKENOI.

SIMETRIA: Duplici errore apud Anonymum & *Sinetria* legimus & *Smetri*, de quibus nos fecimus *Simetria*; quò **Simerſton** eſſet ad Ulteriorem Valentiæ Prætenturam, ubi vel hodie veterum ruinarum comparent veſtigia. Notiſſimum eſt *Tre* vel *Tri* Britannis dici *Oppidum*; *Simmera* etiam *Protervè jocular*i eſt: Et hodiernis Francobelgis ejuſmodi *Ludio*, **Schimper** eſt. Atque iſta ſanè vocabula videntur eſſe de Græco Σκίμπλειν, quod eſt *Baculo* vel *Thyrſo inniſum ſaltitare*. Hìc videntur fuiſſe veterum Pictorum Paganalia, quibus vitâ functorum Manibus parentabant. Etiam Romanorum funeribus vel ex Feſto conſtat adfuiſſe *Cernuos* & *Corvitores*, quos dicebant. Atque ejuſmodi quidem *Deſultores* fuiſſe illis *Simpos* appellatos, voce ſcilicet Celticâ, admodum credibile eſt; quòd ejuſmodi funera *Simpludarea*

pludarea dicerentur ; quam quidem vocem nemo hactenus explicare valuit, quòd nesciretur Celticæ esse originis. Vide Festum in *Simpludarea Funera.*

SODISMAM : Iberniæ flumen est apud Anonymum. Vide in DAVRONA. In Vaticano est *Sodisinam* vitiosé.

SODORINAS : Anonymus immani vitio *Sobrica* fecit ; vel ipse, vel ejus Exscriptores. Equidem nullus dubito quin fuerit in Exemplari Græco ΣΩΔΩΡΙΝΑΣ, vel saltem correptè ΣΩΔΡΙΝΑΣ ; de quo imperitus aliquis Librarius fecerat ΣΩΒΡΙΚΑΣ, Latinusque Interpres sexto casu more sibi consueto *Sobrica.* Subit suspicari hanc Insulam fuisse appellatam, veteri Pictorum convicio in Christianos Monachos, *Süch dür Inas*, quasi dicas *Porcorum aquaticorum Insulam* ; eóque magis quòd & antiquitùs appellata sit *Hu* vel *Hui*, atque altero etiam nomine *Iona*, composito scilicet vocabulo de Ibernorum *I* atque Pictorum *Onas*, quorum utrumque *Insulam* significat. Dictum autem fuisse Dialecto quâdam *Onas* pro *Inis*, nos suprà ostendimus ad vocem MATONAS. Vocata est etiam de *Columbâ* Pictorum Apostolo, *I Coluim Kil*, sive *Insula Secessûs Columbæ :* Siquidem hæc Insula, prodente Bedâ, *Columbæ* & Monachis à Pictis donata est, cùm adhuc in Valentiâ vel nulli essent Scoti vel admodum obscuri nominis. Vel Camdenus ipse advertit Insulam quandam in hisce partibus appellatam esse apud Johannem à Fordon duplici vocabulo *Elan Leneou* sive *Insulam Sanctorum*, & *Elan i moc* (ita enim legendum pro *Elan tinoc*) in Fordonio. Certè Scotobrigantibus *Porcus* dicitur *Mûc*, quod Britannis Plurativo numero est *Môch.* Dicitur autem *Moc* vitiosâ prolatione pro *Morc* (nam & illud Ibernis pro *Porco* est) & *Morc* idem est quod & Græcorum Πόρκος ; atque illud etiam quod & Persarum & Britannorum *Türch*, quod & Scotobrigantibus est *Torc.* De Scythico autem & Britannico *Hüch* pro *Sue*, Troglodytæ quidam Scythæ

Vete-

Veteribus appellati ſunt Οὖννοι, tanquam *Apri* vel *Sues*, atque etiam Perſis Τοῦρκοι, quod idem ſonat. Ita enim ad Περιήγησιν Euſtathius: Φέρεται γοῦν καὶ ἐν τῇ τοῦ Σιμοκάττου οἰκουμενικῇ ἱστορίᾳ Οὖννους τοὺς πρὸς τῷ Βορρᾷ τῆς Ἕω, οὓς Τοῦρκους Πέρσαι καλοῦσιν, ὅτω ποτὲ πολυχρύσους γενέσθαι. Hoc eſt, *Fertur igitur & in Simocatti Univerſali Hiſtoria*, Hunnos *qui ſunt verſus Boream Orientis, quos* Turcos *Perſæ nominant, adeo quondam auro abundâſſe*; & quæ deinceps ſunt. Verùm iſta adjecta in mantiſſam ſunt; cùm non ſint hujus loci.

SOLDURII, prodente Cæſare, apud Gallos *Capita* erant patronis ſuis *devota*, quales Græcis dicuntur Συναποθνήσκοντες. Dicti ſunt autem *Soldurii* ſive *Saüdüyr* quivis *Milites*, Britannis meis: Eſt enim *Saud* ſive vetuſtâ prolatione *Sald* ſive *Sold*, *Stataria pugna*; & *Üyr*, *Viri*. *Zeval* etiam Corinaviis *Stare* eſt, quod noſtrati vulgo eſt *Sevylh*. De *Solduriis* autem ita Cæſar; "Neque adhuc hominum memo-" riâ repertus eſt quiſquam, qui, eo interfecto cujus " ſe amicitiæ *devoviſſet*, mori recuſaret."

SORAVIMAGUS: Anonymo truncatè dicitur *Ravimago*, ſexto caſu: Nos probabili conjecturâ *Soravimagum* fecimus, quò eſſet alterum *Sorbioduni* nomen. Superiùs oſtendimus *Dunum* atque *Magus* dicta fuiſſe συνωνύμως veteribus Celtis. De priore vocis parte vide in SARUA.

SORBIODUNUM Antonini ſolutis Britannorum verbis erit *Sor üi dun*, quod *Arx* eſt & *Civitas ad acerbum amnem*. Angloſaxonibus ab altero fluminis nomine *Sariſca* Searýrbýriȝ, & Latinizantibus *Sariſberia* appellatur: Johanni etiam Sariſberienſi putidiùs *Severia*. Normanni levigato ſono dicebant *Saliſberiam*; quomodo & Scrobeſberiam Salopiam, quæ hodie eſt Coraaviorum Caput. *Sorbiodunum* autem modò eſt *Vetus* Sarum, correptè ita appellatum pro *Sar aün* vel *Sar avon*; nam & *Sâr aün* & *Sâr iſc* & *Sôr üi* idem valent, *Acerbum* ſcilicet ſive *Iracundum fluvium*.

SPINÆ

SPINÆ apud Antoninum hodie viculus **Speen** eſt apud Bibrocos non longè à **Newbury** ſive *Novo Burgo*, de vetuſtiore loco ita nominato; quod Camdenus oſtendit: Atque hic quidem *Novus Burgus* hodie *Spinarum* loco eſt. Hic locus Latino venit vocabulo.

STENA: Apud Anonymum Græco caſu dicitur *Stene*; & videtur hæc eſſe **Teignton** in litore Dumnoniæ. Quid autem *Stena* niſi *Iſc tene* ſive *Tenuis aqua*, qualis ſcilicet fluviolus **Teign** eſt, ſive *Teniſca?* In Vaticano *Steno* eſt vitioſé.

STODIUM: Apud eundem Scriptorem mendoſè ſcribitur *Stodoion*, de Græco Στόδιον. Videtur hoc eſſe **Stow** in Citeriore Valentiâ. Certè Germaniæ Celtoſcythis & **Stol** & **Stold** & correptè **Stadt** pro quovis *Loco*, *Sede*, vel *Urbe* eſt; & Britannis noſtris *Yſtôl* eſt pro *Sedili* vel *Cathedrâ*. *Odara* ſive *Britodunum* hodie dicitur *Britſtold*, **Britſtol**, & **Britſtow**.

STUCTIA: Ita enim jam olim levi negotio apud Ptolemæum legeram, pro eo quod vitioſum eſt in Libris & Στυκία & Τοκκία, cùm deberet eſſe Στυκτία. Dynaſtiæ Kereticanæ hic eſt fluvius etiam hodie appellatus *Yſtwyth*, quod antiquâ ſcripturâ foret *Eſtüict*, quod eſt *Lentus* de verbo *Togen*, *Ducere*, quod noſtro ſermone *Tywys* eſt, quaſi *Togüis*; unde & Francobelgis **Toghe** eſt pro *Tractu*. Ad hujus fluminis Oſtium urbecula eſt *Aber Yſtwyth*, quam quidem Veteres dicerent *Aberoſtuctim*. In Vaticano Ravennate enormi vitio *Novitia* ſcribitur pro *Stuctia*.

SUELLAN: Vide in CASSIVELLANUS.

SUELLANIACIS: Vitioſè Antonino ſcribitur *Sulloniacis*; nam *Suellani* ſive *Caſſivellani* erat oppidum, cujus in Commentariis ſuis meminit Cæſar. Idem enim Dioni *Suellan* eſt, qui & Cæſari *Caſſivellanus*. Eſt igitur *Suellaniacis* quaſi dicas *Süellaniaüc* ſive *Süellaniaca*. Traxit autem Rex *Süellan* nomen ſuum de *Caſſiis* ſive *Caſſivellanis* quibus imperabat.

rabat. Vide plura ſuper hâc materiâ in voce *Caſſii*. Oſtendit magnus Camdenus fuiſſe *Süellaniacim* in Trinoüantum finibus, ad **Brockley-Hill**, quod quidem vitioſè prolatum cenſeo pro *Brogley* vel *Burgley*; ut & vicinum Nemus **Barham-Wood** pro *Burgham:* Nam de *Burgo* ſive antiquâ *Arce* videntur appellata. *Caſſivellani* oppidum etiam Cæſari eſt inter paludes & ſylvas; qui quidem hujus loci ſitus eſt.

T.

TÆXALI: Communi Exſcribentium vitio in Ptolemæi Libris leguntur Ταίζαλοι, errore planè manifeſto. Hi videntur vel ex nomine iidem fuiſſe qui Tacito dicuntur *Horeſci*, *Anguſii* ſcilicet ad Iſcæ ripas incolentes: Quid enim *Tæxali* ſive *Tiſcali* niſi *Tiſc heli*, quod eſt *Aqua ſalſa?* De *Aquâ* igitur *ſalſâ* ſive *Mari*, *Tæxali* appellati ſunt. Flumen igitur *Tuæſis* ſive *Iſca* σωωνύμως etiam *Tæxalis* ſive *Tiſcalis* appellatum videtur de *ſalſo* Æſtuario & *marinâ aquâ*. Novimus autem hodie geminam dici *Iſcam* in iſto populo, Borealem ſcilicet & Auſtralem.

TÆXALORUM PROMONTORIUM: Hoc videtur Camdeno **Buchanneſſe**, quod quidem nobis eſt *Cantarum Promontorium:* Quid enim **Buchan** ſive *Buquan* niſi *Poü Chant* ſive *Cantarum pagus?* Nobis planè videtur illud eſſe quod hodie dicitur **Red-Head** ſive *Caput rubrum* in Anguſiâ. Plurimis Ptolemæi Codicibus Ταίξαλον Ἄκρον appellatur, cùm in aliis ſit Ταιξάλων; atque illud quidem meliùs meâ ſententiâ, etſi parùm interſit.

TAMARIS apud Anonymum urbs eſt Ptolemæo *Tamara* appellata, nobiſque ibridâ voce **Tamerton**, quod eſt *Tamaris oppidum:* Et eſt ad fluvium *Tamarum* in finibus Oſtidamniorum ſive Corinaviæ. Vide in ſequenti.

TAMARUS apud Ptolemæum fluvii nomen eſt in finibus Oſtidamniorum, qui vel hodie **Tamar** appel-

appellatur. Erat autem *Am* antiquiori Linguæ Celticæ prolatu idem quod & *Av*, *Unda* vel *Amnis*: Multitudinis autem numero *Avon* dicitur *Fluvius*, tanquam *Undæ* vel *Aquæ*; Scotobrigantum veteri Dialecto *Aman* vel *Amon*, unde & Latinorum *Amnis*. Adjectis etiam Literis Præpositivis *S* & *T*, & *Sâm* fit & *Tâm*, eodem planè intellectu. Est igitur *Tâm arav*, *Amnis placidus*. Σωώνυμον huic flumini & Belgarum *Samara* est, hodie *La Sambre*, Cæsaris autem tempore *Sabis*, quod est *Sav isc* sive *Amnicus tractus*. Imò forsan & *Damara* erat quod hodie **Demer** est. Quin & flumen *Araris* apud Gallos est tanquam *Arav arav isc*, sive *Valdè quietus amnis*. Est autem vox *Arav*, sive antiquiori loquelâ *Aram*, idem quod & Græcis dicitur Ἤρεμος, unde & inversum Ἥμερος, *Placidus*. Flumen *Araris* (ut & hoc ex occasione advertam) hodie correptè *Soan* dicitur pro *Savon*; unde & accolæ ejus fluminis Celtarum linguâ *Savaud* appellati sunt, sive *Savaudi*, Notitiæ Imperii vitiosè dicti *Sapaudi*, mutato à Librariis *V* in *P*. Quid autem *Savon* Celtis nisi quod nobis dicitur *Avon* vel *Amnis*? Dicuntur igitur *Sabaudi* tanquam *Ararenses*. Ad Belgicam autem *Samaram* urbs erat Nerviorum Ptolemæo dicta *Samarobriga*, Cæsarique & Antonino *Samarobriva*, eodem Etymo: Notitiæ verò Libro correptè *Sambrica*; quam equidem existimaverim fuisse hodiernum *Maubeuge*, de quo imperitè Latinizantium *Malbodium*.

TAMESA vel TAMESIS Ptolemæo mendosè scribitur Ἰαμήσα & Ἰαμήνσα, atque etiam Ἰαμήσσα, Librariorum turpi inscitiâ pro *Tamesa*. Ravennati Libro *Tamion* (& in Vaticano *Taimon*) scribitur immani vitio; cùm in Græco esset codice TAMI'CH, de quo Interpres inscitus fecit TA'MION. Sive igitur *Tamesa* sive *Tamisa* dicatur tantundem fuerit; nam Britannis *Tâm isc* vel *Tâm esc*, *Amnis agmen* est sive *Aquæ tractus*.

TAMESA;

TAMESA: In Ravennati Libro *Tamese* ſcribitur Græco caſu. Ad ripam *Tameſæ* fluminis etiam hodie eſt oppidum **Thame** in Attrebatibus.

TANARUS: Coloniæ Devanæ reperta eſt Ara inſcripta I. O. M. TANARO. ſive *Jovi Tonanti.* Inſcriptio autem integra ſic ſe habet;

I. O. M. TANARO.
T. ELVPIVS. GALER.
PRAESENS. GVNA.
PRI. LEG. XX. V.V.
COMMODO. ET.
LATERANO.
COS.
V. S. L. M.

hoc eſt, uti ego exiſtimo, *Jovi Optimo Maximo* Tanaro *T. Elupius Galerius Præſes Gunæcei Primipilus Leg. XX. Valeriæ Victricis Commodo & Laterano Conſulibus Votum ſolvit lubens meritó. Jupiter Tonans* verò ſive *Tanarus* Lucano *Taranis* Gallorum linguâ dicitur. Nam vitioſum eſſe *Taramis*, Britannorum hodierna Lingua clariſſimo eſt argumento, cui *Tonitrua* dicuntur *Taraneu*, ut ſit ſingulari numero *Taran.* Cùm autem *Taro* ſit *Ferire*, ut & Græcis Τραύειν (unde & *Vulnus* dicitur Τραῦμα) cúmque Germani veteres *Thoroni* ſuo Malleum tribuant, credibile eſt inde Britannis & reliquis Celtis dictum *Taran.* Diſputatum eſt à multis an *Tanarus* in Devanâ Arâ ſit vitioſum, quod mihi ſecùs videtur: Nam cùm variantibus Teutonicæ linguæ Dialectis, *Don*, *Den*, *Din*, & *Ton* pro *Sono* ſint; quin poſſit etiam Britannis olim dici *Sân*, *Sôn*, *Sun*, atque *Tân*, *Tôn*, *Tun?* quomodo & Latinis *Sonare* & *Tonare* ferè idem valent. Certè *Sain*, *Sôn*, *Sun* & *Tôn* etiam hodie συωνύμως dicuntur: Quod ſi verum eſt, *Tanür* ſive *Tonür* Britannis erit *Tonitor* ſive *Tonans vir.* Aliàs novimus veteribus Græcis Κύριον & Κόρανον alia Dialecto dici Τύραννον, ut & nobis *Teyrn*; unde & Celtoſcythis *Tôr* vel **Thor** pro *Principe Deo* eſt, de Κάρα puto & Κόρυς, *Vertex*

capitis

capitis, quod & nostris Britannis *Cor* est & *Corin*. Erat igitur Teutonicum **Tondor** vel **Dondor**, *Sonus Domini*; atque hoc in quibusdam Germaniæ locis invertitur in **Dorden**. Et vocem istam fuisse quidem vetustissimam vel inde patet, quòd ea pluribus linguis inhæserit: Siquidem quod Germanis est **Donderen** & **Tonderen**, illud etiam Britannis est *Dündro*, & Græcis Τονθορίζειν; Quin & Romanis dicitur *Tonitru*, & hodiernis etiam Persis *Tondar*. Diversa igitur sunt vocabula *Taranis*, *Tanarus* & **Tondor**; etsi eruditissimo Scheffero in Upsaliâ suâ antiquâ aliàs videatur. Etiam flumen *Tanarus* apud Belgas Francobelgicè dicitur **Dender**, quod idem valet. Est & alterum flumen *Tanarus* in *Sabaudis*.

TANATOS Pomponii Melæ, Ptolemæo vitiosè dicitur ΤΟΛΙΑΠΙC pro ΤΟΝΑΤΙC, Librariorum errore. Neque in Ravennate Libro leviore editur mendo sexto casu *Tamatide* (& in Vaticano Libro *Taniatide*) pro eo quod deberet esse *Tanatines* vel *Tanodh inis*, quod est *Infera Insula*: Hodie dicitur Anglis truncatè **Tanet**. Est etiam *Tanatos* correptè positum pro *Tanatonas*, Dialecto puto Brigantica pro *Tanatinis*. Superiùs etiam legimus *Maleos* (sive potiùs *Malenos*) pro *Maleninis* vel *Malenonas*.

TARAVEDRUM PROMONTORIUM apud Ptolemæum illud est quod & *Veravedrum* eodem intellectu dicitur, atque etiam nonnullis Exemplaribus *Tarvisium* atque *Orcas*. Est autem sermone soluto *Taravedrum*, *Tar au üedr*, sive *Venter aquæ cæruleæ* vel *marinæ*; & *Veravedrum*, *Üar au üedr*, sive *Super aquâ cæruleâ*: *Tarvisium* etiam *Tar üiscion* est sive *Venter aquarum*. De voce autem *Tar* nos suprà retulimus in LITUS ALTUM. Promontorium istud Camdeno mecum est quod modò dicitur vitiosâ prolatione **Howburn** pro *Aü bron*, quod *Frons* est *aquæ* sive *maris*: Dicitur etiam **Faro-head**, sive *Vergivium caput*. Certè *Mare Vergivium* sive *Brigas*, vel *Mor Fergus*, Ibernis vocatur correptiùs *Fairge*, unde

&

& Scotoſaxonicum *Faro*. Atque hinc quidem nata videtur Fabella de Scotâ *Pharaonis* filiâ: Siquidem Iberni Patribus erant Brigantibus, Matribuſque Scotis ſive Eriis. Camdenus magno verſatur in errore cùm diverſum prodat *Taruedrum* à *Veravedro* contra Ptolemæi verba. Quid ſi & inſignis locus Wirral apud Devanos noſtros nomen ſuum ſortitus ſit de Britannico vetuſto *Vedr av halen*, quod eſt, *Ad cæruleam aquam ſalſam* ſeu *Vedralium?*

TASCIA in Cunobelini atque aliorum Nummis de verbo Britannico *Taſcu* eſt, quod eſt *Onus* aliquod *imponere*. Etiam Sarmatibus, quibuſcum Celtæ multa habent communia, *Tezka* pro quovis *Gravamine* eſt. Quin & Taſſche hodiernis Francobelgis pro *Crumena* eſt, Aremoricis & Picardis *Taſſe*, Italiſque *Taſca*. Cudebantur ſanè primi Romanorum Nummi quò *Portoria* ſolverentur; & Monetarii erant Romani. Sub primis Romanorum Imperatoribus ſola *Portoria* à Regibus Britanniæ Romanis pendebantur; quod teſtatur Strabo. De Britannorum veterum *Taſcia* nata ſunt Anglorum vocabula Task & Tar.

TAVA, Anonymo Græcè ſcripta *Taba*, & Ptolemæo vetuſtiori ritu Τάμια, urbs eſt Caledoniæ ad oſtium *Tavæ*, hodie Dundee, Latinizantibus appellatum ſatis ſcitè *Tavodunum*. Vide in TAMARUS, & in TAMESA. Eſt & apud Anonymum urbs *Tabia* in Dalmatiâ.

TAVUS apud Tacitum flumen eſt in Victurionibus, hodie appellatum Tay Scotoſaxonibus. Apud Ptolemæum *Tava* eſt Æſtuarium. Sunt autem in Britanniâ plurimi *Tavi*. Sive *Tavum* autem dixeris ſive *Savum* tantundem fuerit. Vide in TAMARUS.

TAVUS etiam Cantabrigienſe flumen eſt, quod vulgari errore Cam & Grant appellatur; ob vernacula ſcilicet vocabula Cambridge & Grantchester: Cùm tamen ſuperiori ſæculo veriùs ſcriberetur *Cantebrugge*, de quo Latinizantium *Cantabrigia*, cùm deberet dici *Cantobriga*. Vicinus locus Stourbrach

 oſtendit

oſtendit & aliud fuiſſe flumini σωωνύμως poſitum nomen *Sturam*; nam *Sturobecca* Britannis *Sturæ* ſive *Aquæ roſtrum* ſonat. Vide in voce AD TAVUM.

TAXIMAGULUS apud Cæſarem Cantiacorum Rex fuerat, qui icto cum aliis Regulis fœdere, ſtrenuè etſi infeliciter pro patriâ depugnavit Libertate. Honoris nomen hoc fuerat; nam Britannis veteribus *Togüis Mael*, vel hodiernâ ſcripturâ *Tywys Vael*, *Ducendi Princeps* dicitur: Litera enim *G* Veteribus liquidiuſculè proferebatur ut noſtrum *Y*. Taximaguli igitur nomen inter Caſtrenſia compellamenta (ſive *Les Noms de Guerre*) reponendum videtur.

TERDEC apud Ravennatem flumen eſt Iberniæ, ſive potiùs, ut quidem nobis videtur, *Logiæ Æſtuarium*, nonnullis de *Quercubus* vicinis appellatum **Loch-Der** ſive *Lacus Quercuum*; vulgatiùs autem **Loch-Foil** ſive *Lacus Voluntius*. Eſt igitur *Terdec* quaſi dicas *Der dec* ſive *Quercus ſpecioſæ*: Unde & urbs *Deria* nomen ſuum traxit; ut & *Dermach*, hodie **Ardmach** ſive *Ardomagus*, Archiepiſcoporum Sedes. *Der* enim ſive *Derg* Scotobrigantum linguâ *Quercus* eſt, & *Têg*, *Speciosa*.

TERISCA: Vide in VERTERIS. Eſt & in Batavis fluviolo nomen **Am-ſter** quod *Validus* eſt *fluvius*, ad quem Batavorum Caput *Amſterodamum*.

TERMINUS: Vide in CADMAGON. Quæ apud Caledones Camdeno, & poſt hunc erudito Sibbaldo, *Ædes Dei Termini* habetur, quæ non longè eſt ab Antonini Vallo in Damniis ſive Arcelediis, nobis Conditorium Fulminis eſt ſive Bidental; de quo vide Feſtum in voce *Scribonianum*: Nuſquam enim (quod ſciam) *Ædes Dei Termini* fuerat præterquam in Romano Capitolio. Vernaculo Scotoſaxonum ſermone **Julius-Hoſſe** ſive *Julii Struix* hoc appellatur, ut poſſit videri ab ipſo *Julio* Agricola poſitum.

TEUTATES Celtis pro *Dite Patre*, *Plutone*, *Marte* ſive *Mercurio Infernali* fuerat. Quam quidem vocem doctiſſimi putant eandem cum Phœnicio ſive

magis

magis Ægyptio *Taaut* vel *Thoth*. Quod quidem non inficias ibo quadantenùs esse verum: Siquidem antiquis Celtoscythis sive Cimmeriis totius Asiæ pervagatoribus, *Atta*, sicuti & ipsis Macedoniæ Pelasgis, *Pater* fuit; unde & reduplicatum *Tata* sive Τέτλα, de quibus Ægyptii, vetustissimi Scythiæ Coloni, procudêre sibi variantibus Dialectis Ἰὼτ, Τὰτ, Ταῦτ & Θὼθ pro Mercurio. Celtis etiam ipsis Scytharum affinibus *At*, *As*, *Tât* & *Tâs* pro *Patre* fuerant. Unde Infernum istud Numen, sive *Pluto* illud fuerat sive *Mercurius*, Gallis composito vocabulo *Deu Tât* sive *Deus Pater* appellatus est. Erat autem in eâ persuasione Veterum simplicitas, ut crederet etiam alium *Solem*, hoc nostro longè obscuriorem, purpurascente scilicet colore, apud inferos esse: Atque hic etiam hodie Britannorum vulgo *Haul y meirü* sive *Mortuorum Sol* appellatur, qui scilicet post Solis nostri occasum in montium summitatibus attonitis comparet. Atque hæc quidem opinio in Sexto Æneïdos à Virgilio repræsentatur hisce verbis;

Largior hìc campos æther, & lumine *vestit*
Purpureo: Solem*que suum sua Sidera nôrunt*.

Hic igitur & *Infernalis Jupiter* & *Pluton* & *Teutates* fuerat, ad quem generis sui originem referebant Celtæ, imò & *Teutones* Celtoscythæ, quòd moriendo domum se redituros crederent tanquam à quâdam in hâc vitâ peregrinatione. In Nono etiam Psalmo hoc asseritur de Impiis atq; Gentilibus, יָשׁוּבוּ רְשָׁעִים לִשְׁאוֹלָה *Jashubhu reshangim lisheolah*; quod est, *Impii revertentur ad Orcum*: Quod & sequenti Epexegesi declaratur, כל גוים שכחי אלהים *Col Goim shecheche Elohim*, hoc est, *Omnes Ethnici immemores Dei*. Atque hinc est quòd Judæi mortales putant Gentilium animas. *Mori* enim Veteribus erat *Ad Inferos deferri*. Quò spectat & Pythagoræ Samii dictum in XV. Metamorphoseon Ovidii;

Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis?
Morte carent animæ.

Solos Judæos, orbis hæredes, in vitam redituros existimatum est ab imperitis & ἀϋθαδέσι; reliquos verò mansuros ἐν Ἅδῃ, nisi regenerentur, vel in Judaicam civitatem debito ritu adoptentur, cui soli renovati orbis imperium ex fatis debebatur. Hæc videntur erudito Viro Henrico Dodüellio, qui super hâc materiâ nuper scripsit, haud ita rectè accepta, dum nescio quos ἀθανατίζοντας Sacerdotes & χειροπαράδοτον Πνεῦμα crepat. Fuisse etiam Græcis duplicem *Solem* ostendit lepidissimum Epigramma in paralyticum Citharœdum, quod est in Anthologiâ. Ita Musicus affatur Imperatorem;

Ἥμισύ μευ τέθνηκε, τὸ δ' ἥμισυ λοιμὸς ἐλέγχει,
Σῶσόν μευ, βασιλεῦ, μεσικὸν ἡμίτονον.

Cui reponit Imperator,

Ἀμφοτέρους ἀδικεῖς καὶ Πλουτέα καὶ Φαέθοντα,
Τὸν μὲν ἔτ' εἰσορόων, τὸν δ' ἀπολειπόμενος.

Vide in HESUS.

THULE, celeberrima apud Poëtas Insula, quæ hodie de *Glacie Islandia* dicitur; veteribus autem Britannis puto *Inis touil* sive hodiernâ scripturâ *Ynys dywylh*, quod est, *Insula tenebrosa*, de perpetuis ferè *Tenebris*. Videtur autem Britannicum *Tywylh* (ut & hoc obiter moneam) meliùs Aremoricis proferri *Teffal* & Corinaviis *Teüal*, quò sit idem quod & Græcorum Τυφλός. *Thulen* autem Insulam in Oceano esse dilatissimo Ravennas prodit, contrà quàm sentit eruditissimus Eques Sibbaldus, qui eam posuit in Septentrionalibus partibus suæ Caledoniæ, cùm & aliis videatur dici *Scandinavia*. De *Thule* ita etiam Geographorum princeps Strabo ex Pytheâ Massiliensi, cujus tamen nullâ de causâ fidem elevat; Φησὶ Πυθέας ἀπὸ μὲν τῆς Βρεταννικῆς ἓξ ἡμερῶν πλοῦν ἀπέχειν πρὸς Ἄρκτον, ἐγγὺς δ' εἶναι τὴν πεπηγυίας θαλάττης, hoc est, *Ait Pytheas distare eam sex dierum cursum versus Arctum, & prope esse Mare Glaciale*. Fuerit etiam *Thula* fluminis nomen apud Belgas, hodie *La Deule*: Nam & Aremorice *Deual* & *Dal*, *Cæcus* est, & per hoc *Tenebrosum* atque *Nigrum*.

TIBIA:

TIBIA: Ravennati hæc monstrose scribitur *Cibra*, & videtur esse *Vetus* **Jedburgh** in *Tibianâ Valle* sive **Teviot-Dale** in Gadenis: Atque est in confluentiâ duorum fluviorum *Gadæ* atque *Tibii* sive **Jed** & **Teviot.** Vide in DOBIA.

TIDERTIS apud Anonymum videtur esse **Sidbury** supra **Sidmouth** in Dumnoniis: Forsan Britannis dicebatur, *Tud ar Tisc* sive *Populus* vèl *Curia ad Tiscam* sive *Profluentem*; ut & **Sidbury** & **Sidmouth** ibridâ dicantur compositione. Notissimum est Dumnoniorum veteri Dialecto dici posse *Sid* pro *Tid*, sicuti & *Coes* pro *Coet*: Eodem modo & *Samara* est & *Tamara*, & *Savus* & *Tavus*, variante loquelâ. Quin & Francobelgis nostris & **Sop** dicitur & **Top** pro *Summitate*.

TINNA Ptolemæo est inter Tavum atque Bodotriam in Valentiâ. Hodie etiam antiquo nomine **Edin** dicitur, quasi *E din üi* sive *Tentus amnis*.

TINNA: Eidem Scriptori & altera *Tinna* est juxta **Hadingtoun** sive *Hadinnam*, quam crediderim & de *Tinna* flumine nomen suum accepisse, apposito antiquo Articulo *Ha*; ut sit & *Tinna* urbis nomen.

TINNA, ingens fluvius est in Deirorum atque Otodinorum finibus, Ptolemæi Tabulis nescio quomodo præteritus. Anonymo etiam vitiosè scribitur *Tinoa*, in Vaticano *Tinea*, cùm in Exemplari Græco fuerit TINO'YA, nisi me fallit ariolatio. Quid autem *Tinua* nisi *Tin üi* sive *Tentus amnis?* Erat & flumen *Tinna* in Cisalpinâ dictâ Galliâ, cujus Ravennas meminit: Etiam hodie eodem venit nomine.

TINNA, flumen **Mersey** in SEGANTIIS. Vide in SEGANTIORUM PORTUS, & in VERATINUM.

TOBIUS apud Ptolemæum fluvius est in Demetis, hodie *Toüi* vel *Tyüi*. Vide in DOBIA.

TOGODUMNUS, inclyti Cunobelini alter filius, Dobunis (ut par est credere) à patre præfectus, unde

ſub honoris titulo *Togodumnus*, *Dobunorum* ſcilicet *Ductor*, appellatus eſt. Certè Heros Caratacus hujus frater Siluribus imperitabat. Vide in TAXIMAGULUS.

TONACIS flumen dicitur qui & *Durolanis*. Vide in BRENNETONACIS.

TRAJECTUS: Vide in DUROTUOBRIGA.

TRAUSANTUM: Vide in ANTONA.

TRIMUNTIUM: Ita enim in Ravennate ſcribitur, ſicuti & in Vaticano *Triminitium*, cùm in Ptolemæo ſit Τεμόνιον, manifeſto vitio. Urbs iſta in Valentiâ eſt apud Selgovas. Camdeno placuerat hoc eſſe **Atterith**, quod nobis *Matoritum* eſt. Quid ergo de *Trimuntio* fiet? Mihi plane videtur eſſe **Caer-Dinas**, ad oſtium fluminis Scotoſaxonibus dicti **Fleet** ſive *Fluenti*: Eſt enim *Trimuntium* ſolutis verbis *Tri munt iü*, quod *Civitas* eſt *ad os fluminis*. Certè Britannicum nomen **Caer-Dinas** quod *Arx* eſt *Urbis*, egregiam ſapit antiquitatem. Credibile eſt vel ex nomine **Caer-Dinas**, urbem *Trimuntium* in viciniâ fuiſſe hujus Arcis modò verò deletam.

TRINIUS, flumen **Tern** in Cornaviis. Vide in LUGATRENA, & in PORTUS MADURNI. Poſſit & *Drino* & *Trinius* & *Drinus* appellari.

TRINOUANTES apud Ptolemæum in Mediâ erant Saxoniâ, hodie **Middleſex**, & videntur in clientelâ tenuiſſe Tranſtameſinam Regionem ſive *Sudrige*, & Guepponiam ſive Orientalem Saxoniam, cùm & ipſi aliquando fuerint in clientelâ Cattieuchlanorum; quod & Arx Suellaniaca (Antonino vitioſè appellata Sulloniacis) & Immanuentii Regis ſupplicium ſatis demonſtrant: Imò vel ipſe Cæſar Caſſivellauni fines Tameſi flumine à maritimis Civitatibus diviſos tradit. Quin & credibile eſt hos partium Cæſaris fuiſſe ex odio Cattieuchlanorum. Nomen autem *Trinoüantes* ſi Britannicè ſolvatur in *Tri nou ante*, *Oppidi novi* erunt *incolæ*; nam Belgici fuerant generis. Eſt autem ſermone Britannico *Tri*, atque hodierno ſono *Tre*,

Commo-

Commorandi locus & *Oppidum*: *Nou* etiam hodiernis Sarmatis pro *Novo* eſt, ut & Perſis *Nau*; noſtri dicunt *Neüydh*. *Hant* autem ſive *Hent* vel *Hynt* nos ſuprà ad vocem NOUANTÆ oſtendimus eſſe & *Iter conſuetum* & *Locum ubi adſueſcimus*. In Britannico quodam Nummulo, uti creditur Cunobelini, NOVANEI ſive potiùs NOVANTI legitur pro TRINOVANTES. Erat igitur *Londinium Auguſta* à Belgis condita, & *Tri noü* ſive Νεάπολις appellata. Ptolemæi tamen ævo hæc urbs Cantiacorum fuerat: Semper enim incerti civitatum fines. *Trinouantum* civitatem earum regionum firmiſſimam prodit Cæſar.

TRIPONTIUM: Hic locus apud Antoninum turbato venit ordine; poſtponitur enim Dannavantriæ, cùm præponi deberet. Veriſſima enim Camdeni conjectura eſt illud eſſe noſtrum **Tocester** in Boreali dictâ Antonianâ, cùm vel hodie huic inſint cum totidem ponticulis tres fluvioli. Quid quod vel ipſum nomen **Tocester** ibridâ dici videatur compoſitione de *Tair*, quod Britannis eſt *Tres*, & Latino vocabulo *Caſtra?*

TRISANTON: Vide in ANTONA.

TROVANTIO: Ita enim in Anonymo legendum cenſeo pro monſtroſo *Coantiâ*; ſicuti & ſuprà de Deventiâ nos fecimus Derventio. Alterâ Dialecto concinniùs diceretur *Troventio*, eâdem ſcilicet formâ quâ & Derventio. Hic erat fluvius **Trent** ſive *Treonta*, Britannis veteribus (ut videtur) *Troüent* appellatus, de *flexu* ſcilicet ſive *ambitu* ſui curſûs. Cur enim non dici poſſit *Troüent* eâdem formâ quâ & Derüent? Certè de *Triginta* generibus piſcium Somnium eſt. Hodiernis Britannis *Troi* pro *Vertere* eſt, & *Wynt* olim *Flexus* erat atque *Turbo*, hodie *Ventus*. Vide in DERVENTIO. Dictus videtur iſte amnis & *Tavus* ſive *Stavus* vel ex nomine urbis *Staveford* ſive **Stafford**, quod *Trajectus* eſt *ad Tavum*.

TUÆSIS apud Ptolemæum flumen eſt in Victurionibus, hodie vitioſè appellatum **Spey**. Eſt au-

tem Britannorum linguâ *Tuisc* sive *Tisc*, adjectâ literâ Præpositivâ, idem quod *Isc* vel *Üisc*, quod est *Aquæ tractus*; quomodo & Pannoniis (& ipsis genere Celtis) flumen *Teis* Græcis scribitur Τίβισκος. Est etiam vitiosum **Spey** σωωνύμως positum pro *Süi*, quod quidem idem est quod & *Üi*, *Fluctus*. In quibusdam Ptolemæi Libris truncatè legimus Τυὰ εἴχυσις, *Tuæ* scilicet *Æstuarium* pro *Tuæsis*. Forsan etiam Belgarum flumen *Scaldis* veteri Belgarum Dialecto *Escuit uisc* tanquam *Levis aqua* dicebatur, cùm etiam hodie dicatur Gallis *Escaut*. Quin possit Aremoricorum *Escuit* quâdam aliâ Dialecto fuisse *Escalt*: Nam & Teutonibus **Halt** & **Schalt** est quod *subsilit*, de Græco Ἅλλεσθαι.

TUÆSIS: Est & apud eundem Scriptorem alterum flumen *Tuæsis* in Angusiâ, quod hodie σωωνύμως dicitur *Isca*. Vide in TÆXALI.

TUÆSIS urbs est apud Ptolemæum, quæ Ravennati *Cindenisca* est, hodieque **Kincarden**. Vide in CINDENISCA.

TUÆSIS etiam eodem autore est flumen **Tweed**, hodiernus Valentiæ limes.

TUÆSIS, Anonymo *Tuessis*, est oppidum **Berwick** sive *Borgovicus*, ad modò memoratam *Tuæsin* amnem.

TUÆSIS insignis fluvius est in Deiris, verùm nescio quo pacto unà cum Tinnâ Ptolemæo omissus. Est & in Belgio flumen **Dese** sive *Tuæsis*.

TUEROBIUS: Vide in DUROBIUS.

TUNNOCENUM: Notitiæ Libro vitiosè scribitur *Tunnocelum*, & Ravennati alio vitio *Juliocenon* casu Græco pro *Tunocenon*. Est autem Britannis *Tun* vel *Tin üi geneu* idem quod & vernaculum nomen **Tinmouth**, quod *Os* est *tenti fluminis* sive *Tinnæ*. Hæc erat, prodente Notitiâ, Statio *Præpositi Cohortis Primæ Æliæ Classicæ*, quæ scilicet Classe tuebatur Portum sive Ostium *Tinnæ*. Nero de Classe *Legionem Classicam* conscripserat, quod ostendit Tacitus.

V.

V.

VACOMAGI apud Ptolemæum Caledonum quædam natio est. Solutè dicebatur eorum Regio veteribus Pictis *Üagou Mages*, *Maches* vel *Maes*, quod est, *Campestris Regio ad fluctus* vel *mare*. De isto populo hodie dici videntur **Easter** & **Wester Weimes**, pro *Üig maes*, eodem intellectu, videlicet, *Orientales* atque *Occidentales Vacomagi*. Erant autem *Vacomagi* isti incolæ *Fifæ*, quæ antiquitùs erat *Rossia*, tanquam *Ar osciou* vel *Super aquis*. De *Tibiæ* autem forma videtur appellata Chersonesus *Fifæ*. Vide in PEPIACUM & PEPIDII.

VAGNIACIS: Vide in MADUIACIS.

VAINONA: Ita enim ausus sum reponere in Anonymo pro *Navione*; in Græco forsan fuerat ΌΥΑΙΝΩΝΗ. Constat autem ex ordine ejus Itinerarii *Vainonam* istam oppidum esse in Majoribus Icenis sive Lindensi pago, hodie de fluvioli nomine **Wainfleet** appellatum. De *Güag* (quod Britannis esse *Tremulam paludem* suprà ostendimus in DUROCOBRIVIS) fit & derivatum *Güagn* vel *Güayn*, vel etiam demptâ literâ Præpositivâ *Uagn* & *Uayn* vel *Uain*, quod *Paludosa* est *terra*, Scotobrigantibus Iberniæ *Moin*; unde & nostris hominibus *Maün* dicuntur *nigri* quidam *cespites* quibus utuntur ad focum pro carbonibus. Est igitur *Üainona* sive *Üain avon* idem quod ibrida vox **Wainfleet**, de *Üayn* scilicet *Palude*, & *Avon* vel *Aun*, *Flumine*; cùm & Anglorum **Fleet** sit *Fluentum*.

VALENTIA: Romanum hoc erat *Caledoniæ* nomen, quam constat ita appellatam à Theodosio Theodosii patre Anno à nato Christo CCCLXVIII. in honorem *Valentiniani* Imperatoris. Pancirollus putavit *Valentiam* fuisse *Walliam*, satis deridiculo errore.

VALLIS SCYTHICA sive VERGIVIA, Gildæ dicitur *Vergivium mare*, sicuti & Nennio *Germanicum*

manicum, quasi dicas *Briganticum:* Nam *Môr* Britannis quodvis *Æquor* est sive *Magna planities*; cùm propriè sit tantùm Epitheton sive Adjectivum, quod modo profertur *Maür*, quod est *Magnum*. Idem igitur Gildæ *Vallis Scythica* quod Britannis hodiernis *Y môr güerydh*, & Scotobrigantibus liquidiore prolatu *Môr Fergus*, quasi *Mare Brigas*. Vide in VERGIVIUM MARE.

VALLUM BARBARICUM quod & CLUSURA & PRÆTENTURA, atque Dioni Διατείχισμα appellatum est, ab Imperatore Ælio Hadriano de cespitibus Vallis communitis conditum est; idque magis frænandis Brigantibus quàm Caledonibus, quod vel ab ipsis Stationibus intelligere est, quarum pleræque dispositæ sunt citra *Vallum* in Brigantibus, sicuti ex Notitiâ Imperii manifestissimè patet: Imò & *Numerus Exploratorum* Lavatri fuerat, & *Castra Exploratorum* citra Luguvalum, & *Numerus Vigilum* Concangiis. Sub Antonino Pio alterum etiam *Vallum* à Lollio Urbico Proprætore communitum est, quod à Sinu Bodotriâ Dunclidum usque pertingebat: Quo quidem *Vallo* etiam Deucaledonii sive (ut Ravennati nostro dicuntur) Arceledii Romano jugo subjecti sunt. Prius etiam *Vallum* à Septimio Severo lapideo muro & propugnaculis munitum est. Atque hæc quidem *Valla* communia videntur *Sextæ Legionis* Castra, & Auxiliariorum magis quàm Imperii Limites, quod vulgò fertur. Cùm autem veteribus Britannis *Claüdh* sit pro *Fossâ* & *Vallo*, Ostidamniorum Dialecto *Cledh*, hinc factum existimaverim quòd *Gogledh* sit pro *Boreali Britanniæ parte*, de ruderibus scilicet antiqui *Valli:* Nam *Go* Deminutiva Particula est; ut *Gogledh* vel *Goglaüdh* sit *Vallum subobscurum*. Atque hoc verisimilius videtur quàm ut sint nominata de *Manu sinistrâ*, quà putatur Britannis esse *Borealem mundi partem:* Nam *Sinistram* atque *Boream* dicta fuisse Pictis *Assüy* & *Chüith*, sicuti & hodie Britannis, ostendunt antiqua nomina *Eburo-*

cassum

cassum & *Victuriones*. Aremorici *Manum sinistram*, *Dorn cleiz* appellant quasi *Gladii manum*, sicuti & Ostidamnii *Dorn gledh*, & Scotobrigantes *Clith lav*, non tam propriè quàm figuratè. Est igitur *Gogledh* Britannis tanquam *Regio valli*, de notabiliori scilicet parte.

VALMIS, Flumen **Valme** in Dumnoniis. Vide in VERUALMIS.

VALTERIS: Vide in VERTERIS.

VANDOGARA: In quibusdam Ptolemæi Libris vitiosè scribitur Ὀυανδάαρα pro Ὀυανδόγαρα. Oppidum hoc est in Noüantarum Regiunculâ Bedæ Auctario *Campo coil* appellato, & Scotosaxonicè *Kyle*, quod Scotobrigantum sermone *Sylva* dicitur. Camdeno hic locus videtur esse **Aire**, at nobis potiùs est **Elsbury-head** sive *Veteris arcis caput*, quod Ravennati dicitur *Cindocellum*. Atque hoc quidem συωνύμως ponitur: Siquidem *Cindocellum Caput altum* sonat; & *Üandogara* Scotobriganticè est *Üand oegr* sive *Caput frigidum*. Britannis nostris diceretur *Pend oer* eodem intellectu: Nam & *Üand* & *Üend* Dialecto quâdam pro *Cand*, *Kend* & *Pend* dicebant Veteres. In alio Ptolemæi loco hoc nomen alio vitio scribitur Ὀυινδόγαρα atque etiam Ὀυιδόγαρα; ut non sit mirum Camdenum diversa credidisse loca. Crediderim & **Aire** oppidum olim fuisse *Ogaram* appellatum, quod *Frigidum* sonat, cui & Belgicum cognomine est.

VARARIS: In melioris notæ Ptolemæi Libris legimus Ὀυάρρις, cùm in reliquis vel Ὀυάραρ sit vel Ὀυάρα. Conspicuus iste Sinus in Mergis est, qui nobis hodie Latinizantium Dialecto & Murevi & Moravii appellantur. Britanni solutis verbis dicerent *Güar* vel *Üar ar isc*, quod *Maris collum* sonat. Scotosaxonibus **Murray-Frith** tanquam *Mergarum sinus* appellatur; de veteri scilicet Adjectivo *Fergidh* seu *Vergivio* vel *Brigantico*, quod Britannis nostris est *Üerydh*. Atque hinc Scotosaxonum **Frith** effictum est,

eſt, quo vocabulo illi per καλάχρησιν *Sinum* vocant; cùm ex veteris linguæ uſu *Vergivium* tantùm ſeu *Brigantiicum* vel *Friſicum* ſonet, & per hoc illud *Mare*; quod cùm ſolum illic ſit notum, uſurpatum eſt etiam ἁπλῶς tàm pro *Maris Sinu* quàm pro ipſo *Mari*.

VARIS apud Antoninum ex Itinerarii intervallis videtur eſſe oppidum *Bala* in Canganis Venedotiæ, juxta quod eſt Arx pervetuſta *Corndocken* ſive *Cornu* vel *Apex gemitûs* appellata. Conjectura etiam noſtra vel ipſo loci nomine videtur firmari: Nam & *Ÿar iſc* eſt *Super aquâ*; & *Bala*, *Venter* vel *Sinus* dicitur, uti nos aliàs oſtendimus. Eſt autem Urbecula hæc juxta lacum *Llyn Tegit* ſive **Pemble-Mere**, ita dictum ibridâ prolatione de *Pen-Lhyn*, quod *Caput* eſt *lacûs*, & Anglorum Vernaculo **Mere**, quod *Lacum* ſignificat.

VARIUS: Vide in DURNOVARIA.

VEDRA apud Ptolemæum flumen eſt in Deiris, quod quidem Bedæ *Wirus* dicitur & hodie **Were**: Siquidem Teutonibus **Weer** dicitur & **Weder**, & *Cælum* & *Aqua*. Eſt autem *Ÿidr*, & *Vitrum* & *Vitreus* vel *Cæruleus Color*. Quare exiſtimaverim hoc flumen Britannis appellatum fuiſſe *Ÿidr av* ſive *Cæruleam aquam*, quod Anonymo Ravennati inverſum ſit in *Ÿi Ÿidr*: Nam vitioſum eſt *Ÿiuidin* in Libro pro eo quod deberet eſſe *Ÿiüedra*. Vide in CANTUIUETRIS, & in DEIRI.

VELLABORI apud Ptolemæum Populus eſt Iberniæ juxta Notium Promontorium in Momoniâ, autore Camdeno. Britannis *Bêl* vel *Vêl Aber*, *Caput* eſt *Æſtuarii*. Neſcio an & Anglicanum Promontorii nomen **Bſar-Head** ibridâ dicatur compoſitione pro *Aber-Head* quod idem valet. In quibuſdam Ptolemæi Exemplaribus & Ὀυελλέβοροι ſcribitur & Ὀυελίβοροι: Verùm utrumque vitioſum eſt.

VELLOCATUS apud Cornelium Tacitum Venutii Brigantum Regis Armiger fuerat ſive potiùs Præfectus

Præfectus Prætorio: Quid enim *Vellocatus* nisi *Bêl* vel *Vêl o cat*, *Caput* scilicet *exercitûs?* Huic impudica & perfida Brigantum Regina Cartismandua, repudiato Venutio, nupsit. Idem hoc nomen est quod & apud Bedam Venerabilem *Cadüalla*. Neque sanè aliò referendum est Saxonicum ƿealdan pro *Dominari*, quàm ad *Uêl* vel *Bêl*, quod vide.

VELOX: Vide in BELOX; siquidem idem ferè Græcorum *B* quod & Latinum *V*.

VELUNIA: Vide in VOLITANIUM.

VELURTIUM: Apud Ravennatem (cui soli hic locus notus est) sexto casu dicitur *Volurtio*, & in Vaticano Libro *Velurtion*. Nobis planè videtur esse **Walwick**, ad **Irthing** sive *Urtium* fluvium, ultra Tinnam, in Otodinis: Quid enim *Velurtium* nisi *Vêl urt iü* sive *Caput stupidæ undæ* vel *fluminis?* Nam **Irthing** corruptum videtur de Britannico *Urt aun* vel *Urt avon*, quod *Stupidum* est *flumen*. Quid, quod vel ipsum **Walwick** videri possit esse *Ȳol üig* sive *Caput fluctûs?* Camdenus fatetur ignotum sibi vetustum loci nomen, etsi plurimis antiquitatum vestigiis insignis. *Volsinii* & *Volaterræ* apud Italos ejusdem ferè videntur compositionis.

VENNICNII apud Ptolemæum Iberniæ populus est, de *Vennicnio Promontorio* ita appellatus.

VENNICNIUM PROMONTORIUM apud Ptolemæum, Camdeno putatur dici quod Anglis est **Rams-head** sive Κεφᾶ Μέτωπον in Voluntiis. Est autem quâdam veterum Brigantum Dialecto *Ȳend ne cniü*, *Caput juvenis arietis:* Siquidem *Cniü* Britannis est *Fœtus* cujuslibet ferè animalis, Plurali numero *Cnaüon*. Vide in VOLUNTII.

VENTA: Disputatum est à multis quid sit Britannis *Venta*; verùm hactenus frustra. Dicam quod mihi videtur omnium verisimillimum, atque etiam simplicissimum. Veteribus Britannis & *Ȳend* & *Ȳent* Dialecto quâdam dicebatur pro *Kend* sive *Kent*, quod hodie vitiosè profertur *Penn* pro *Pend*; quæ omnia

Caput

Caput ſignificant. *Venta* igitur Belgarum, Silurum, atque Icenorum horum dicebatur *Urbs Prima*, *Caput* ſcilicet ſive *Metropolis*. Hodierni Britanni dicerent *Bennav* vel *Y bennav* pro *Bentav*; imò etiam Aremorici *Kenta*, & Noſtrates *Kyntav*, eodem prorſus intellectu. In Notitiæ Libro *Bentenſe* dicitur *Gynæceum* pro *Ventenſe*. Poterant igitur & Veteres indifferenter *Ventam*, *Bentam* & *Kentam*, *Primam Urbem* appellitare, imò etiam & *Vennam*; nam & Ὀύεννα eſt in aliquibus Ptolemæi Libris.

VENTA BELGARUM ſive, uti in Anonymo legimus, VELGARUM, hodiernis Britannis dicitur *Caer Went*, Saxonibus Þintan-ceaſtep ſive *Ventana urbs*, & Latinizantibus *Wintonia*. Hi videntur fuiſſe Coloni Belgarum recentiorum, qui Belgas Segontiacos ſedibus ſuis pepulêre. Vide in BELGÆ & in VINDOMA.

VENTA SILURUM, quæ Ptolemæo, Antonino & Ravennati memoratur, non minùs illâ priore hodie *Caer Went* Britannis appellatur, & in ruderibus omnino jacet. Ante Romana tempora hæc videtur fuiſſe univerſæ *Siluriæ* Caput. Quare mirandum non eſt ſi bona ejus portio etiam hodie dicatur *Güenhüyſic* pro *Güentüyſic*: Nam *Ventani* Veteribus dicebantur *Güentüys*, quod eſt *Ventani viri*; eâdem ſcilicet formâ quâ & *Saxones* appellati ſunt veteribus Bardis *Lhoegyrüys*, & *Attacotti* noſtri *Argoetüys*. Þentſæten etiam appellati ſunt Saxonibus, tanquam *Ventani Seſſores*. Diverſi autem habitabant Britanni à Romanis, ſicuti nos aliàs diximus. Fuerat igitur *Venta* Britannis *Caput*, ſicuti Iſca Auguſta Romanis. In Vaticano Exemplari turpi vitio ſcribitur *Venta Sluxum*.

VENTA ICENORUM Antonini, Ravennati immani vitio ſcribitur *Venta Cemomum*, & in Vaticano *Cenomum*. Verùm benè factum eſt quod eam proximè Lindum Coloniam poſuerit. Ita enim procedit Itinerarium; Camuloduno Coloniâ, Durocinante,

nante, Durobrigâ, Duroviguto, *Ventâ* Icenorum, Lindum Coloniâ. Unde facile colligere eſt & **Antcaſter** ſive *Crocolanum* alio nomine dici *Ventam*, & Lindenſes fuiſſe *Iken-eld* ſive *Majores Icenos*; atque adeò Camdenum noſtrum longè deerraviſſe viâ, dum *Ventam Icenorum* in Icenimagnis ad locum **Caſter** appellatum poſuerit: Quod cùm ſit ad tertium lapidem à celeberrimâ urbe Nordovico, credibile eſt illud tantummodo locum fuiſſe Caſtrorum temporibus Romanorum extra eam urbem poſitorum, adeoque Nordovicum etiam illis temporibus alicujus fuiſſe nominis. Hic locus Nennio Britanno *Caer Went Güic* appellatus eſt, quod *Venta* eſt *Geüicciorum* ſive *Icenorum*; unde intelligere eſt & Icenos iſtos fuiſſe *Hüiccios* ſive *Üigantes*. De *Ericeto* igitur, ſitu tam *ſpecioſo*, urbis locus dictus eſt *Crocolanum*, cùm ipſa urbs ſit *Venta*. Vide in CROCOLANUM.

VENUTIUM: Vide in BENUTIUM, etſi tantundem ſit.

VENUTIUS, Uigantum atque Brigantum Rex, & Cartiſmanduæ adulteræ Maritus, à Tacito memoratus. Familiare veteribus Britannis nomen *Üenid Deu*, ſive hodiernâ ſcripturâ *Gueinydh Duw:* Atque hoc erat (ſicuti & Arabibus *Abdalla*) *Dei ſervus. Abdalonimus* etiam Sidoniorum Rex apud Curtium tanquam *Servus* dicebatur *Deorum*. Multa de neſcio quo *Üenidio* garriunt Veterum noſtrorum Næniæ atque Fabellæ.

VERATINUM: Hoc apud Anonymum ſexto caſu dicitur *Veratino*. Vel ex ordine Itinerarii atque ipſo nominis ſono apparet hoc eſſe **Warrington** in Segantiis ſive Lancaſtrenſibus. *Veratinum* autem, ſi plenis ſcribatur verbis, erit *Üar a tin üi* ſive *Super tento amne*. Neque aliud ſanè videtur ipſum *Waranton* quàm *Üar avon ton*, quod eodem redit. Atque hinc quidem patet & flumen **Merſey** (de Palude **Litherpool**, ita vulgò nominatum) & *Tinnam* & *Antonam* fuiſſe Veteribus appellatum.

VERA-

VERAVEDRUM: Vide in TARAVEDRUM, nam σιωωνύμως ponitur, etsi contrà sentiat Camdenus.

VERBEIA flumen **Wherf** est, ita dictum de Britannico *Chüerü*, quod *Amarum* est & *Asperum*. In veteri Camdeni Inscriptione *Nymphæ* nomen est: Incertum an hæc fuerit quæ in aliâ Inscriptione *Nympha Brigantum* appellatur. *Verbeia* solutè scriptum erit *Chüerü üieu*, sive *Asperæ undæ*. Vide in OLICANA.

VERCENIA: Ita enim planè reponendum in Anonymo pro *Vertenia*; quò sit **Kenton** in Dumnoniis, quod & Itinerarii ordo videtur significare. Est autem *Vercenia* tanquam *Üar kend iü* sive *Super capite undæ*, quod est, *Prope amnem*. De ibridâ voce **Kenton**, & fluviolus hodie dicitur **Ken**, ritu sequioris ævi.

VERCINGETORIX: Vide in CINGETORIX. Sonat hoc *Summum Dictatorem*.

VERDOTALIA: Hodie turpi vitio *Zerdotalia* in Ravennate scribitur, nullâ cum notatione. Hæc videtur fuisse nostrum **Tadcaster** ad Verbeiam amnem sive **Wherf**, de quo modò diximus. Erit autem *Verdotalia* solutis verbis *Üar deu tal iü*, quod est *Super duabus undæ frontibus*. Media hujus vocis syllaba vel hodie repræsentatur in Vernaculo **Tadcaster**.

VEREDA vel VOREDA apud Antoninum, Anonymo nostro *Bereda* dicitur, Græcâ scilicet scripturâ. Hæc nobis planè videtur *Fanum Osüaldi* sive **Kirk-Oswald**, super Itunâ flumine, & solutè dici possit *Uar e dâv* sive *Super aquâ* vel *Itunâ* amne.

UERGION: Vide in ALUION.

VERGIVIUM MARE Ptolemæo dicitur pro *Brigantico* sive *Iberno*; etiam hodie Scotobriganticè *Môr Fergus* sive *Mare Brigas*, quod Gildæ est *Vallis Scythica*, satis vapidé. Præsenti Britannorum Dialecto *Mór Güerydh* est; quo nomine Nennio venit & *Mare Germanicum*, tanquam *Frigonicum* sive *Friſicum*. Vide in BRIGANTES & in VALLIS SCYTHICA.

VERGI-

VERGIVIUM PROMONTORIUM: Vide in OCTO PETRARUM.

VERGOBRETUS, prodente Cæsare, dicebatur Æduis *Summus Magistratus*, quem creabant annuum, quique vitæ necisque in suos habebat potestatem. Nostris hominibus diceretur *Var govræth*, quod est, *Supra leges positus*.

VERLUCIO apud Antoninum, Anonymo Ravennati est *Leucomagus*, quod vide. Hæc videtur nobis fuisse **Broken-Bridge** sive *Pons ruptus* juxta Madulphoburgum sive *Verlucionem* Novam in Carviliis sive Wiltunensi Conventu. Britannis etiam eodem sensu *Caer Dorbruge* (in Eulogio vitiosè *Caer Durburge*) hic locus appellatus est. Atque hìc fuerat olim Saxonicorum Regulorum Regia. Est autem *Verlucio* solutâ scripturâ *Var lug ŭi* sive *Super limpido liquore*: Ut fuerit forsan huic Abonæ nomen *Leuca*, quod est *Aqua translucida*. Camdenus *Verlucionem* putavit dici **Warminster** sive *Aquense Monasterium*, satis alieno loco: Magis arridebat Gibsoni ejus Interpreti, Viro satis accurato, locus qui nobis *Regentium* est. Dicitur autem *Caer Dorbruge* ibridâ compositione pro *Caer Dorbont*: Idem enim Saxonibus *Brugge* quod & Britannis *Pont*; quâ voce & Aremorici & Ostidamnii utuntur.

VERNICONES apud Ptolemæum, Camdeno mecum Populus est Caledoniæ hodie vitiosè appellatus **Mernis** pro eo quod deberet esse *Vernis*. Est autem Britannis *Vernic* sive *Güernig*, *Alnosus*, & per hoc *Paludosus*: Scotobrigantibus hodiernis *Fearnach* diceretur. Quibusdam Ptolemæi Exemplaribus & Ὀυενικόνες & Ὀυενικόντες vitiosè scribitur; cùm in aliis sit Ὀυερνικώνες vel magis Ὀυερνικόνες. His cognomines videntur Gallorum *Arverni*, hodie *Auvergnois*.

VERNOMETUM apud Antoninum, Camdeno est **Borough Hill** sive *Arx collina* in Corigaunis sive Leirceſtrensi pago. Hoc videtur sagacissimo Camdeni enarratori Gibsoni magis prægrande fuisse Tem-

plum quàm militaris Statio, ductâ ex areâ ruinarum conjecturâ. Huc facit vel maximè quod veteri Celtarum linguâ *Vernometum*, *Fanum ingens* sonet. Illis enim *Vern* (de Pelasgico puto Ϝιερὸν pro Ἱερὸν) *Sacrum* erat sive *Templum*, & *Maith*, *Amplum:* Etiam veteribus Gothis *Maizo* erat *Major* & *Maistis*, *Maximus*. Hæc omnia firmantur Venantii Fortunati Disticho à doctissimo Camdeno huc adducto, de loco huic nostro cognomine apud Gallos;

Nomine Vernometum *voluit vocitare vetustas*,
Quod quasi Fanum ingens *Gallica lingua sonat*.

Fuerit sanè hoc Templum; verùm tamen Veterum Templa Arces etiam fuerant pleraque omnia. Vide in DUROVERNUM & in LINDISFARNE.

VEROCIDUM: Ita enim in Notitiâ legendum pro vitioso *Verosidum*, uti aliàs *Gabrocentum* pro *Gabrosentum*. Atque hoc mehercule verum est, si (quod ait Camdenus) Statio ista fuerat quod modò est **Warwick**, ad confluentiam Itunæ fluminis atque **Cambeck** (sive potius *Cant-bec*, quod *Curvaturæ* est *Rostrum*) in Cumbriæ Canganis. *Verocidum* enim Britannico sermone solutè scriptum erit *Ȳar o kid üi*, sive nostri temporis scripturâ *Gwar y cyd wy*, quod est *Super amnis junctura* vel *confluentiâ*. Hìc erat juxta Notitiæ Librum *Tribunus Cohortis Sextæ Nerviorum*. Quin & compendio dici videtur **Warwick** pro *Ȳar o kid üig*, sive *Super amnis confluentiâ:* Nam & *Ȳar üig* est *Super fluctu* vel *amne*. Est & in Belgis oppidulum **Warwick** sive *Verovicum*.

VEROCONIUM Antonini atque Ptolemæi, Ravennati Monacho prodigiosè (uti ferè omnia) *Utriconion* est *Cornoninorum:* Puto in Exemplari fuisse Græco Ὀυερικόνιον Κορνοκίνων; uti sint & *Cornavii* & *Cornovii* & *Cornovini* σωώνυμα vocabula. Atque inde quidem novimus *Veroconium* fuisse *Cornaviorum* Caput. Vaticano Libro dicitur *Cornoviorum*. Saxonibus hæc urbs appellata est Ꝑneken-ceaſtep, quod *Veroconium urbs* est, Anglisque hodie correptè **Wroxeter**

pro

pro *Weroc-ceaſter*. Fuiſſe autem eam non ignobilem oſtendunt murorum veterum veſtigia, quorum ambitus ad III. penè M. P. etiam hodie viſitur. Nomen dedit urbs inclyta & vicino monti *Veroconio* ſive **Wreken**, ut & vicino vico olim Caſtello **Wroc-wardin**, quod ibridâ compoſitione *Arcem* ſonat *Veroconienſem*. Apud Nennium Britannum *Caer Urnach* eſt urbi vocabulum, quod quidem quid ſit equidem divinare nequeo; niſi forſan correptè dicatur pro *Caer üar na ûag*, quod *Civitas* eſt *ad cervicem fluctûs*. De *Urnaco* enim Gigante, de quo crepant Britannorum Fabellæ, piget quicquam referre. Nequè ſanè *Veroconium* ipſum aliud quicquam ſonat quàm *Üar o cond iü*, ſive *Super aquâ principe* vel *Sabrianâ*: Nam & *Cond* & *Kend* Britannis fuiſſe pro *Capite* & *Principe* nos aliàs diximus. Exſtat etiam antiqui operis inſignis parietina, accolis vocati **The old Work** ſive *Vetuſti operis*. Hoc equidem conjecerim ex arcuum veſtigiis Romanum fuiſſe Balneum. Supervacuum foret hìc monere plurima Romanorum Numiſmata atque teſſellata Pavimentà ferè quotidie hic effodi ab agricolis terram vertentibus. Nuperrimè etiam illic inſignis reperta eſt Hypocauſis, de quâ conſulenda ſunt Acta Philoſophica. Antiqua durat inter plebem fama hanc urbem fuiſſe, immiſſis de *Veroconio* monte *Paſſeribus*, à Danis incenſam; quod quidem quid ſit alii forſan meliùs dicent. Equidem ſuſpicatus ſum *Paſſeres* iſtos perfugas fuiſſe *Monachos* vel *Eremitas*, de monte *Veroconio*. Certè poſteris temporibus Mons iſte *Sancti Gilberti* appellatus eſt, unde *Gilbertini Monachi*. Quin & ferreum Sigillum inde erutum ſatis bono indicio eſt eam non fuiſſe à Saxonibus deletam: Siquidem Sigillo iſti inſculptum eſt Reguli cujuſdam Caput Romano diademate cinctum, & promiſſiore comâ, ſub hâc Inſcriptione, CAΠVT SERVI DEI. Hunc equidem conjecerim Offam fuiſſe Merciorum Regem, ob literas Græcas Latinis intermixtas, quod ſequioris erat ævi. Imò conjecerim vel ex

Ravennatis Itinerario, quod illius meminit ſub finem ſeptimi ſæculi tanquam Capitis *Cornaviorum*, eam floruiſſe ad ſæva Danorum tempora. Forſan etiam Regia hìc aliquando fuerat Merciorum Sedes. De tantæ urbis ruderibus, melioribus (uti quidem ſperamus) auſpiciis, Caput ſuum extulit *Veroconium* Novum, non ita longè à Vetere poſitum, de *Alneto* Britannis, ut vulgò fertur, dictum *Pengüern*; cùm nobis ex autoritate vetuſtiſſimi Bardi Lomarchi Senis, qui floruiſſe fertur ſexto ſæculo, manifeſtè pateat *Penguernum* iſtud fuiſſe nomen Arcis vel Domicilii juxta Trenium amnem, in vico appellato *Berriü* in Povoiſiâ. *Trenius* iſte hodie communiori vocabulo *Rhiü* dicitur ſive *Rivus*; unde & vico nomen *Berriü*, ac ſi *Crus* dicatur *Rivi*. Urbi autem noſtræ Britannicum hodie nomen *Amwythic* eſt, tanquam *Dumoſa*: Nam *Amwyth* Britannis ſunt *Fruticeta*, ab *Am* ſcilicet quod *Circum* eſt, & *Wyth* vel *Gwyth*, *Sylva*; unde & *Ferus aper* in Legibus Regis Hoüeli *Güyth-hüch* dicitur, tanquam *Sylveſtris ſus*. Quis etiam neſciat idem dici Saxonibus Scrobber-byrig quod & Britannis *Amüythic*; cùm *Scrobbes*, Scryber ſive Shrubs dicantur *Frutices*, & Byrig, *Burgus* ſive *Caſtellum?* Normanni tandem, ex odio literæ *R*, de *Scrobeſberie* fecêre *Slopeſberie*; unde & Latinizantium *Salopia* conficta eſt, ſicuti etiam *Saliſberia* de *Sariſberia*. Dicta eſt etiam alio nomine Cyric-byrig, ſive *Eccleſiæ Burgus*, propter *Eccleſias* conditas à Reginâ Ædelfledâ, ſanctiſſimâ Fœminâ & devotâ Deo, uti credi par eſt. Hæc equidem eò libentiùs commemoro quo antiquæ Patriæ meæ memoriam reddam illuſtriorem: Siquidem in hâc urbe à duobus retrò ſæculis, Majores mei Duumviratu, ſummo ejus loci honore, functi ſunt, poſterique eorum civitate gaudent perpetuâ; quod de Romano antiqui *Verocomii* jure tractum exiſtimaverim. Fuerat autem initio *Veroconium* Britannis *Cornaviis* Caput, ſicuti & Deva Romanis.

VERO-

VEROLANIUM, Ptolemæo Ὀυιρολάνιον, ſicuti & ſuprà Ὀυιροκονίον, quam lectionem & Ravennas noſter repræſentat; ſequioribus ſæculis adhuc vitioſiùs *Verolamium*, unde & Saxonibus Þeplameceaſtep. Municipium hoc factum fuiſſe creditur ſub Nerone; unde & Nennio dicitur *Caer Muncip.* Ad Aventionem fluviolum ſitum fuit, qui de *Coloniâ*, Coln dicitur; unde & *Verolanium* appellatum puto, quaſi *Ȳar lan iü*, ſive *Super ripâ amnis*, ſicuti & vicus Coney quaſi *Colney* vel *Colonia amnis.* Imò vel ipſi *Caſſivellani* de ſitu iſtius oppidi dicti videntur, ut ſuprà oſtendimus: Etſi temporibus Britannorum *Caſſivellanorum* Caput non videatur fuiſſe *Verolanium*, verùm puto *Suellaniacis*; veluti Brigantibus præcipua fuerat ſedes Iſurium Brigantum, cùm Eburacum à VI. Legione teneretur: Silurum etiam Caput Venta erat Silurum, & Iſca Auguſta Legionis II. Altera etiam Venta Icenorum erat propria, & Lindum Coloniæ Romanæ: In Cornaviis meis Veroconium erat Cornaviorum, & Colonia Devana XX. Legionis: In Dobunis denique Corinium erat Dobunorum, & Glevum ipſum Romanæ Coloniæ. Primis enim temporibus Romani videntur abſtinuiſſe à commercio Britannorum, cùm non ſe crederent eorum fidei. Atque hinc quidem natum videtur diſcrimen quod in Hoüeli Legibus occurrit oppidorum Ingenuorum, Vernilium, atque Libertinorum, quorum ad vocem ORDUICES ſuperiùs mentionem fecimus; cùm Provinciales non fruerentur Civitate Romanâ, ſed propemodum ad inſtar Ἑλώτων Romanis rerum Dominis ſervirent, exceptis clarioribus quibuſdam Civitatibus, quibus ob merita quædam Romani Αὐτονομίαν concedebant, & inane ſocietatis nomen.

VEROMUM: Ravennati ſexto caſu dicitur *Veromo.* Videtur hoc fuiſſe Caſtellum Annandale in Selgovis; & poſſit ſolutè ſcribi *Ȳar om iü* vel *Ȳar am iü*, quod eſt *Super amne matre.* Quin & ipſum flumen Annan correpte dici poſſit pro *Avon am* vel *Aun*

am, quod *Amnis mater* eſt vel *Aunoma:* Nam & *Oma* Dialecto quâdam dicitur pro *Ama*, *Mater.* Vide in VINDOMA. Gallorum flumen *La Somme* ſive *Soma*, Ravennati noſtro dictum *Sumena* vitioſè pro *Somona*, quaſi *Som avon*, *Matrem amnem* ſonat. Quid enim *Somme* niſi *Som üi* vel etiam demptâ Præpoſitivâ, *Om üi?* Fuiſſe etiam altera Dialecto nomen *Am ui*, *Ambianorum* nomen indicio eſt: Siquidem *Ambianorum* Caput Sigeberto dicitur *Somonobriva.*

VERTERIS Antonini in Notitiâ mendoſè ſcribitur modò *Veneris*, modò *Veterum*, Librariorum ſtupore. Camdenus oſtendit hunc locum hodie dici **Burgh under Stane-moze** ſive *Arcem ſubter lapideo campo* in Cumbriæ Ceangis. Hoc vocabulum ſolutè ſcriptum erit *Üar ter iſc*, quod eſt *Super valido flumine* ſive *Teriſcâ:* Siquidem idem Britannis *Ster*, *Ter* & *Terrig*, quod & Græcis Στερεὸς, & Teutonibus **Sterk.** Anonymo Ravennati σωωνύμως dicitur *Valteris*, quod eſt quaſi *Vael Teriſc* vel *Ad caput Teriſcæ* ſive *prope* eam. Hæc fuit juxta Notitiam Statio *Præpoſiti Numeri Durocorum*; ita enim ſcribuntur Pancirollo, non verò *Directorum.* Forſan dicti ſunt à *Durocortoro* Rhemorum Metropoli.

VERTIS apud Anonymum videtur ex ordine Itinerarii eſſe **Burgton** *ſuper aquis* in Dobunis. Nam Britannis *Üar tiſc* eſt *Super aquâ.* Alii forſan dicent meliùs; ego ſolâ nitor conjecturâ.

VERVALMIS: Ita planè reponendum duxi pro eo quod vitioſè apud Ravennatem concipitur *Uernalis*, & in Vaticano *Vernilis*; quò ſit oppidum **Palmton** ad flumen **Palme** ſive *Ualmim* in litoribus Dumnoniæ. Eſt autem *Üalm iſc*, antiquâ Dialecto Scotobrigantum Iberniæ, *Eboans aqua:* Siquidem *Üalm* illis eſt pro *Inclamatione* & *Boatu*; ut ſit *Üar üalm iſc*, *Super altiſonâ aquâ.* Etiam noſtrâ Dialecto *Wylovain Plorare* eſt, quod vetuſto prolatu *Üolamen* foret: Anglis dicitur **Pawl**, & Thulenſibus Danis **Gale**, unde & *Gallis* & *Gallinis* nomen.

VERU-

VERUBIUM apud Ptolemæum Promontorium eſt in extremâ Valentiâ; ut Camdeno mecum videtur, **Urde-Head** ſive *Vergivium Caput*. Hoc ſolutè ſcriptum foret *Üar u üion*, quod eſt *Super fluctibus* ſive *mari*. Etiam Saxonibus Pæzen dicuntur *Fluctus*, ut priùs oſtenſum eſt.

UGRULENTUM apud Anonymum mihi videtur eſſe **Lanrig** in Citeriore Valentiâ. Quid enim *Ugrulentum* niſi *Ugr lent*, ſive hodiernâ loquelâ & ſcripturâ *Glan y dür*, quod *Ripa* eſt *Humidi* vel *Aquæ?* Idem enim Britannis eſt *Evr*, quod Græcis Ὄυρον, & *Ugr* quod Ὑγρὸν: Neque *Lent* ſive *Lant* aliud videtur quàm Britannorum *Lann* vel *Glann*, quod Teutonibus etiam eſt **Land** ſive *Lant* (ſatis vicino ſenſu) pro *Terra*. Quin & ipſum nomen **Lanrig** ſive ſolutè *Lan e rig*, *Ripa* eſt *fluminis*: Idem enim *Rig* eſt veteri prolatione quod & hodie *Rhiü* Britannis & Latinis *Rivus*, de Græco Ῥέειν *Fluere*. Adjecto etiam *Drum*, quod *Dorſum* eſt, fit **Drumlanrig**.

UGUESTA: Hæc Anonymo Græco caſu dicitur *Ugueſte*; & videtur eſſe **Leith**, ad cognominem fluviolum **Leith** juxta Alata caſtra, commoditate Portûs notiſſimum. Quid autem Britannorum linguâ *U gueſta* (ſive hodiernâ loquelâ *Y güeſtva*) niſi *Hoſpitium* vel *Portus?* Etiam *Güeſt*, *Hoſpes* eſt ſive aliquis jam *notus* factus: Siquidem verbum *Guezed*, vel hodiernâ prolatione *Gwydhed*, Εἰδεῖν eſt, quod & Celtoſcythis Germaniæ eſt **Witten**. Quin & Britannis *Güys* eſt *Citare* vel *notum facere*. Videtur autem fluviolus **Leith** Veteribus dictus *Lacte*, de Britannico *Lhaith*, quod *Humorem* ſonat. Vide in LACTORODUM.

VICTIS: Ptolemæo atque Anonymo ſcribitur *Vectis* ad Latinæ linguæ ſonum: Diodoro verò Siculo aliquantò meliùs, *Icta*. Saxonicum nomen Picpea, *Victim inſulam* ſonat. Britannis hodie corruptè dicitur *Güith* pro *Üict*, quod & ipſum Deminutivè dicitur à *Üig* quod & *Inſula* eſt & *Fluctus*;

ſicuti & Saxonibus *Æge*, de quo & Iggith & *Ægt* pro *Parva inſula*. De iſta etiam Inſulâ *Mare Ictium* Latinis appellatum videtur; unde & *Portus Ictius* (ſeu *Victiacus*) apud Gallos traxit ſuum nomen, qui & alio nomine *Portus Geſſoriacus* eſt atque *Bononia*. Certè noſtrum Mare vel hodie *Muir Nict* appellatur Ibernis, tanquam *Mor na ÿict* vel *Mare Victis*. Quid etiam *Geſſoriac* linguâ Belgarum veterum niſi *Greſouriaüc* Dialecto quâdam pro *Braſdouriaüc?* Idem enim *Grâs*, *Grês* ſive *Brâs our* vel *dour* quod & Oſtidamniis ſive Corinaviis *Dour brâs* vel *Môr bras*, quod *Oceanum* ſonat. Antiquum verò hujus Inſulæ nomen videtur fuiſſe *Solenta*; cujus nominis & Inſula quædam in Illyrico mari memoratur Ravennati: Unde enim Euripus, qui *Victim* Inſulam & Continentem terram interfluit, *Solent* olim appellatus eſt, niſi & *Solentæ* fuerit huic Inſulæ nomen? Quin poſſit & ipſi Mari nomen fuiſſe *Môr Salen*; quo pacto & Scotobrigantibus *Muir Salen* dicitur *Salſum Mare*. De Scotoſaxonum **Salen-Ceeſe**, ſive *Marinis Anatibus*, res nota eſt.

VICTIS altera apud Plinium mendoſè ſcribitur *Mictis* & in Vaticano *Nectis*, & Antonini *Sigdelis* eſt; cùm plenè ſcribenda foret *Sÿict heli iſc*, quod eſt *Parva inſula ſalſi maris*. Nam & *Halen* fuiſſe veteribus Britannis pro *Mari*, ſicuti & Græcis Ἅλα & Latinis *Salem*, oſtendit antiqua Inſcriptio Dornburgi in Walchriâ ſive Brettiâ Inſulâ *Deæ Nehalenniæ* facta, quæ vel *Tethys* vel *Amphitrite* cenſenda eſt. En autem Inſcriptionem tibi integram: DEAE. NEHALENNIAE. OB. MERCES. RITE. CONSERVATAS. M. SECVND. SILVANVS. NEGOTTOR. ⊙RETARIVS. BRITANNICIANVS. V. S. L. M. ubi legendum NEGOTIATOR. CRETARIVS. Vide in SIGDELES.

VICTIUS ſive VIGUTUS. Vide in DUROVIGUTUM.

VICTO-

VICTORIA apud Ptolemæum Statio erat in Damniis ſive Arcelediis, Ravennati Genitivo caſu dicta *Victoriæ*, ſicut & ſuperiùs Inſula *Malenos* ſimpliciter appellata eſt *Minervæ*, ſuppreſſo ſcilicet generalitatis nomine: Unde patet vanum eſſe quod Camdeno ſcribitur de *Caer Güidi* ſive *Arce ſylveſtri*, atque de Inſulâ dictâ *Inis Keith*, ſive *Vernarum Inſula*; nam de Arâ *Deæ Victoriæ* iſte locus nominatus eſt. Fuiſſe autem in Abrianâ valle ſive **Strath-Ern**, ad **Ardoch** (quod veteri linguâ *Celſam Arcem* ſonat) plus quàm probabile videtur; cùm inſignis Eques Sibbaldus illic in Ara repererit ejus Imaginem, quam ipſe unà cum luculentâ Inſcriptione in Prodromo ſuo luculentiſſimo in lucem edidit. Unde colligere eſt Antonini Pii tempore, cujus juſſu Lollius Urbicus Proprætor Prætenturam iſtam muniverat, locum iſtum fuiſſe *Victoriæ* dedicatum, quo tempore & Ptolemæus ipſe floruit. Aræ autem dedicatio facta eſt IMPERATORI. CAESARI. TITO. AELIO. HADRIANO. ANTONINO. AUGUSTO. PIO. PATRI. PATRIAE. Cui quidem Inſcriptioni ſubeſt *Alata Victoria* dextrâ quidem manu Corollam gerens, inſertis notis cujuſdam *Vexillationis Legionis XX. Valeriæ Victricis*, quæ de Devanâ Coloniâ huc tranſlata eſt, alterâ verò manu Olivæ ramum. Verùm intra coronam reponendum F. E. pro eo quod Typis editum eſt E. E. quo ſit FECIT ERIGI: Siquidem in imâ Arâ ita legendum cenſeo POSVERVNT. MERITO. COLONIAE. DIVANAE. XI. quæ in ipſâ Arâ ita exprimuntur notis PP. IIII. C. D. XI. Eſt autem inter notiſſima *Victrices Legiones* ſive Νικηφόρος coluiſſe *Deam Victoriam*. Frænato Picto & Saxone, nullus erat à Silure ſive Attacotto metus. In Imperii igitur Notitiâ legimus Legionem II. quæ Iſcæ Auguſtæ fuerat, oppoſitam fuiſſe Saxoni Rutupiis; atque in hâc itidem Arâ Legionem XX. relictâ Devâ, ad ulteriorem Prætenturam amandatam.

VICTU-

VICTURIONES: Apud Marcellinum levi errore hi ſcribuntur *Vecturiones.* Iſti Boreales fuerant Caledones, ſicuti & Deucaledones ferè Auſtrales. Fruſtrà fuerit hìc repetere quæ ſuprà dicta ſunt, Dexteriorem ſcilicet mundi partem fuiſſe Britannis Auſtralem, unde & Deucaledoniæ nomen tractum eſt; atque etiam *Siniſteriorem* Borealem, unde & *Victuriones* appellati ſunt tanquam *Chüîth ürion* ſive *Siniſtri viri:* Nam *Chüîth* Britannis pro *Siniſtro* dicitur, ſicuti & *Dehou* ſive *Deheu* pro *Dextro*, quæ quidem antiquâ ſcripturâ *Üict* erant, & *Deheu* vel *Deu.* *Ürion* etiam veteri Declinatione poſitum eſt pro *Üyr*, quod modò eſt *Viri*; unde & Romanis *Decuriones* dicuntur & *Centuriones*, de veterum Gallorum *Decurion* & *Canturion.* Poſtero tempore *Victuriones*, *Picti* appellati ſunt, Deucaledoneſque cedebant Scotis, Nordanhumbranorum Saxonum veteribus Sociis. Hos Romanorum Arces Loxam uſque jam olim obſediſſe vel hodiernus ſermo ſatis declarat.

VIDUA: Ptolemæo Ὀυιδύα ſcribitur, & flumen eſt Iberniæ, quod Camdeno videtur eſſe **Crodach.** Credibile eſt nomen hoc, ſicuti & reliqua penè omnia, à Britannis vel Colonis vel Nautis fuiſſe impoſitum. Etiam hodie bilingues ſunt Iberni; nam cùm ex parte maximâ veteri loquantur Eriorum ſive Scotorum ſermone (quo ante Brigantum appulſum forſan univerſa Gallia, Hiſpania & noſtra Britannia locutæ ſunt, quoque vel hodie Vaſcones & Cantabri ex parte maximâ utuntur) nihilominus perplurima communioris uſûs vocabula de Brigantum atque Dumnoniorum Dialectis veteri linguæ adhæſerunt. Verùm ut ad me redeam, poſſit flumen *Üidua* plene ſcribi Britannis *Üi dov* pro *dovn*, quod eſt *Profundum flumen.*

UIGANTES: Vide in ICENI.

VILLA COCCILII: Vide in CAUNONIUM.

VILLA FAUSTINI apud Antoninum, Saxonum Monachis & Bedepicſ-ȝueorþ & *Bederici Cortis* vapidè

vapidè redditur. Eſt autem veteribus Anglis *Bedric*, *Dives* vel *Compos voti*, & per hoc *Fauſtus* vel *Fauſtinus*. Equidem exiſtimaverim villam iſtam Prætorium fuiſſe *Præpoſiti Legionis XIV.* quæ Camuloduni agebat. Hodie de *Eadmundo* Saxonico Regulo, Danorum ſævitiâ trucidato, Sancti *Eadmundi Burgus* appellatur; & eſt in Citerioribus Icenimagnis poſita.

VINDENIS: Ita planè reponendum in Antonino pro *Vindelis*; quò ſit ſoluto ſermone *Üind enis* ſive *Portuoſa inſula*, Anglis hodie correptè **Portland** pro *Port Iſland*, quod idem valet. Portus autem iſte videtur eſſe *Clavinium* ſive **Weymouth.** Aliàs diximus dici poſſe Veterum Dialectis *Üand*, *Üend*, *Üind* & *Üond* pro *Cand*, *Kend*, *Kind* & *Cond*, quæ *Caput* ſignificant, & per hoc etiam *Fluminis Caput* vel *Portum*, qui & Ibernis dicitur hodie *Cuan.* Eſt & in Peutingerianâ Tabulâ *Vindenis* apud Dalmatas, Anonymi Libro *Vindiras*, Exſcriptoris vitio pro *Vindinas*, quod eodem redit. Vide in NAGUATÆ.

VINDERIUS apud Ptolemæum flumen eſt Iberniæ, quod Camdenus ſatis probabili ratione Sinum putat Arcis **Carrec-Fergus** ſive *Briganticæ Rupis.* Si Britannico ſolvatur ſermone fiet *Üind e Riü* ſive *Caput Fluminis* vel *Æſtuarium.* Vide in ſuperiore.

VINDOBALA Notitiæ, Ravennati dicitur *Vindovala.* Hæc videtur nobis dici hodie **Beltingham** ad confluentiam Auſtralis Tinnæ atque Alauni: Quid autem *Bêl Tin* niſi *Os* vel *Caput Tinnæ?* Quid etiam *Vindobala* niſi ſoluto ſermone *Üind do bala*, quod eſt *Caput duorum oſtiorum?* De voce *Bala* vide in BANOVALUM. Etiam hodie *Do* pro *Duo* eſt Scotobriganticè, ſicuti & Aremoricè *Dou*, & Siluricè *Doy*, cùm nobis ſit *Dau* vel *Deu.* Hìc fuerat *Tribunus Cohortis Primæ Frixagorum* ſive magis *Friſiabonum* juxta Notitiam.

VINDOGLADIA Antonini, Ravennati ſcribitur Græco ritu *Bindogladia.* Conſtat hanc eſſe **Winburnham**

burnham in Durotrigibus, ad confluentiam Sturæ atque Alauni. Erit autem Britannorum ſoluto ſermone *Ÿind do gladeu*, *Caput duarum foſſarum*, & per hoc etiam *fluminum:* Veteri enim Britanniæ & *Cladh* & *Claüdh* & *Cledh* pro *Foſſâ* fuit atque etiam *Vallo.* Anglicum etiam nomen Winburnham ibridâ dicitur compoſitione, quaſi dicas *Villam ad caput fluenti.* Eſt & *Aberdogladia* in Demetis, quæ Anglorum Vernaculâ dicitur Milford ſive *Molendinæ Trajectus*; Britannis verò *Aberdoygledheu*, quod *Oſtium* eſt *duarum foſſarum* ſive potiùs *alveorum.*

VINDOLANA apud Notitiam, Ravennati pleniùs Plurali etiam numero *Vindolandæ* ſcribitur. Hæc fuit Statio tempore Notitiæ *Tribuni Cohortis IV. Gallorum.* Planè dicuntur *Ÿindolana* & *Ÿindolandæ* Britannis, ſermone ſoluto, *Ÿind do lanneu* vel etiam *landeu*, quod *Caput* eſt *duarum riparum* vel *Juxta geminas ripas.* Non eſt cur diſſentiam Camdeno *Vindolanam* fuiſſe Old Winchester in Otodinis, cùm vel nomen illud ſuadeat. Superiùs autem oſtendimus ad UGRULENTUM, *Lan*, *Lant* & *Lent* idem valuiſſe Veteribus.

VINDOMA: Antonino levi mendo *Vindomi* dicitur, & Camdeno vitioſiùs *Vindonum.* Nennio etiam Britanno *Murimintum* corruptiſſimè nominatur pro *Moriventa* ſive *Magna Venta*, quod quidem Saxonum Sel-ceaſtep ſive *Urbs magna* maximè videtur confirmare. Fuerat enim iſta, uti par eſt credere, veterum Segontiacorum Caput, ante appulſum ſcilicet ſequioris ævi Belgarum, unde & Britannis *Caer Seiont* ſive *Urbs Segontiacorum* appellatur. Dicta eſt igitur *Vindoma* veteri Dialecto *Ÿind oma* pro *Ÿent ama*, ſive *Venta matre* ſive *antiquâ Metropoli* vel *Gentis Capite.* Eſt & alia *Vindoma* in Britanniâ Tranſmarinâ. Vide in VENTA BELGARUM.

VINDOMORA apud Antoninum eadem eſt Statio quæ Ravennati de fluminis nomine *Derventio* dicitur. Hoc vel Itinerarii intervalla ſatis innuunt: Et hodie

eſt

est *Civitas Sanctæ Ebbæ* sive **Ebchester** in Deiris. Camdeno contrà habetur pro loco appellato **The Wall's End** sive *Muri fine*, juxta Tunnocenum, quòd crediderit *Môr* Britannis dici *Murum*, cùm tamen contrà sit. Britannorum plenis verbis *Üindomora* erit *Üin do mor aü*, quod est *Caput duarum magnarum aquarum*, Tinnæ scilicet atque Derventionis. *Caput* autem Veteribus usurpatum esse pro Præpositione *Juxta* sæpius dictum est.

VINOVIUM Ptolemæi atque Antonini, Ravennati dicitur *Vinonia*, & Vaticano *Vinevia*, corruptè. Fuerat hæc Statio ad Vedram amnem in Deiris, atque hodie **Vincheſter** est, nomine tantùm nobile & Nummulis Romanorum. Soluto Britannorum sermone, *Vinovium* erat *Üind o üion* sive *Ad caput fluctuum*, vel *Juxta flumen Vedram*.

VITERINEUS in Camdeni quâdam Inscriptione Nummis nomen est, quod equidem existimaverim Ἀντίθεον fuisse sive *Vejovem*. Sicut enim Teutonicè sive Celtoscythicè **Weder een**, *Contrarius unus* est; ita etiam Britannis, etsi aliquantò correptiùs, *Gürth un* sive *Güthr un* idem sonat. Etiam hodie *Cuthrael* sive *Kythrael* & *Contrarius* est & *Diabolus*: Nam *Güynt kythrael*, *Ventus* est *contrarius*.

VIVEDRA: Vide in VEDRA.

VODIAE apud Ptolemæum Populus est Iberniæ, mediterranei scilicet Momonienses, quasi Britannicè dicas *Sylvestres* sive *Apud sylvas agentes*, & per hoc de antiquo Erigenarum sive Αὐτοχθόνων genere; nam *Üydhieu* vel *Güydhieu* hodie Britannis dicuntur *Sylvæ*.

VOLANTIUM videtur esse **Elenburg** sive *Alauna*, ad ostium *Alauni* fluminis in Cumbriæ Ceangis. Hoc solutè scriptum fuerit *Vôl an tiü* quod *Caput* est *undæ* sive *fluminis*: Nam & *Vôl* Dialecto quâdam idem est quod *Vêl* vel *Bêl*, & *Tiü* etiam quod *Iü*. Hæc Statio debetur elegantissimæ Aræ hoc loco erutæ, cui inscribitur VOLANTII VIVAS: De quâ Arâ vide Camdenum. Fuerat fortè & aliud

Volan-

Volantium in Belgis, quod hodie dicitur *Valenciennes.*

VOLIBA apud Ptolemæum, hodie *Pons mur* eſt (ſive *Grand Pont*, corruptè **Grampond**) apud Oſtidamnios, quod oſtendit Camdeni Interpres, qui non ſolùm docet ipſum fluvium hodie correptè dici **Vale**, verùm etiam vicinam Sylvam **Coit-Fala**, de *Volibâ* urbe. Quid autem *Voliba* ſolutè ſcriptum niſi *Vôl i üâg* ſive *Caput fluctûs?*

VOLITANIUM: Vide in BLATUM BULGIUM.

VOLSAS SINUS, Ptolemæo Ὀυόλσας Κόλπος, in Deucaledoniâ eſt, hodieque dicitur **Loch-Foil**, quod eſt *Lacûs caput.* Quin & ipſum *Volſas* eſt tanquam *Vôl is aſc*, quod quidem Dialecto quâdam eódem redit: Nam & *Is* pro Articulo eſt *Ys*, & *Aſc* idem eſt quod & *Oſc* & *Eſc* & *Iſc*, variante loquelâ.

VOLUNTII apud Ptolemæum Populus eſt Iberniæ. Hodie horum Regio correptè dicitur **Ulſter**, quaſi *Voluntiorum Terra.* Britannis dicti videntur tanquam *Vôl* vel *Bôl unte*, quod quidem *Ulterius* eſt *Caput* ſive *Vennicnium.*

VOLURTIUM: Vide in VELURTIUM.

VONDICCA: Taciti Libris inſcitè ſcribitur *Voudicea* & *Voadicea* & meliùs Dioni Βουδίκη. Videtur hoc fuiſſe Caſtrenſe Reginæ nomen (ſive *Le Nom de Guerre*) qualia aliàs Brennus, Cingetorix, Ardiragus & ſimilia multa; quod ſi verum eſt, *Üond Üiccieu*, *Uigantum* ſive *Uicciorum Caput* erit ſive *Princeps:* Veteribus enim Linguæ noſtræ Dialectis indifferenter ponebantur *Üand*, *Üend*, *Üind*, *Üond*, & *Cand*, *Kend Kind* & *Cond* pro eo quod aliàs dicitur *Pend* ſive correptiùs *Pen.* Vide in ICENI. Alienum foret à noſtro inſtituto hujus Heroinæ facinora atque fortunam memorare, cùm omnibus notum ſit eam Praſutagi Regis fuiſſe uxorem, & LXX. Millia Romanorum & Belgici generis Sociorum, ſub Neronis principatu trucidaviſſe, immaniter à Romanis laceſſitam, & poſtea a Suetonio Paulino ſuperatam, hauſto veneno fortiter

fortiter morti occubuiſſe, cùm nollet dignitati ſuæ ſupereſſe. Tacito Brigantum Regina habetur, puto quòd Iceni Brigantici generis fuerint.

VORTIGERNUS apud antiquum Gildam atque Bedam Britannorum Rex dicitur, Attacottorum ſcilicet ſive Silurum. Hengiſti (ſive magis Anſegiſi) hic erat gener, Ronüennæ ſponſus & Patriæ proditor: Specioſo tamen honoris Titulo inſignitus eſt, quaſi dicas *Güor ti i gereint*, quod eſt *Præ domo cognationis ſuæ*. Sic etiam legimus & Kentigernum Reguli fuiſſe Caledonii nomen, quaſi *Kend ti i gereint*, ſive *Caput domûs ſui generis*. Fertur iſte Kentigernus CLXXXV. annos omnino vixiſſe, & Epiſcopatu Dareoglaſſeni functum annos CLX; penes Autores ſit fides. Vortigernus autem quòd Ambroſio Aureliano Romano Duci Purpuram invidiſſet, & peregrinum hoſtem in ſocietatem Regni nefando fœdere accepiſſet, à Civibus ſuis ſolio detruſus fertur, neque injuriâ. Haud minore olim inſaniâ, Æduorum atque Arvernorum de Principatu Galliæ diſſidia Cæſarem & Arioviſtum Germanum in Patriæ exterminium accerſivêre.

VORTIPORIUS apud eundem Gildam Demetarum Rex fertur; & dici *Vortiporius* videtur tanquam *Güor ti Porüis* vel *Porüir*, quod eſt *Præ domo Paſtorum*. Fuiſſe autem Demetas Silurum *Ceangos* ſive *Paſtores* nos ſuprà conjecimus. Vide in PARISI.

URTIUS flumen Irthing eſt in Otodinis: Vide in VELURTIUM.

UXACONA apud Antoninum, Camdeno habetur pro viculo Oken-Pates ſive *Quernis Portulis*, non longè ſitis à Veroconio in Cornaviis; verùm meâ quidem ſententiâ ſatis abſurdè, cùm nulla ſint illic Antiquitatum veſtigia, & Antonini Milliaria omnino repugnent. Nobis ſanè videtur non longè abſuiſſe à Portâ Novâ ſive Newport: Nam & majora oppida Veteribus dicebantur *Portæ*, ſicuti apud Juvenalem

Porta

Porta Syenes pro ipsâ *Syene* est; unde & Saxonibus *Portmanni* dicuntur *Municipes*, & *Portgrevii*, *Urbibus præfecti*. Verisimile admodum videtur *Uxaconam* fuisse ad insignem lacum etiam hodie Latino vocabulo *Aquam latam* appellatum, in finibus Stadfordiensis Pagi sive Ceangorum Orduicensium. Certè vel *Uxaconæ* nomen, quod solutè scriptum erit *Üch a cond av*, quod est *Supra caput aquæ* sive *Juxta aquam*, conjecturæ nostræ maximè adstipulatur. Quid, quod vel ipsum *Novæ Portæ* nomen alium locum in viciniâ fuisse innuat se vetustiorem? Novimus sanè & *Novam* nomine *Portam* successisse non tantùm Iscæ Silurum, verùm etiam & Tertiam dictam Paganelli, Lectoreto sive Lactorodo in finibus Ancalitium. Quin & Antonini Milliaria à Pennocrucio ad **Meer-Town** sive *Lacûs Oppidum* juxta *Aquam latam* situm ad amussim convenient. Sit igitur hodierna *Nova Porta* pro *Uxacona* Nova. Posse autem *Ux* scribi pro *Uch* nemini dubitandum est, cui quidem notum sit Literam *X* usurpatum fuisse Romanis, sicuti vel hodie Hispanis, pro Græcorum χ. In quibusdam Libris vitiosè scribitur *Usocona* vel *Usocoana*.

UXELA apud Ravennatem, Ptolemæo mendosè scribitur in plerisque Exemplaribus Ὀζελον & Ὀυζελον, & in melioribus Ὀυξελον: Quod quidem resolutum erit *Uch ael au*, quod est *Super supercilium aquæ* sive *maris*. Equidem *Uxelam*, sive malles *Uxelum*, antiquum fuisse puto in Selgovis Castellum, etiam hodie Britannico vocabulo **Caer-laverog** sive magis *Caer ar laü er og* appellatum, quod Latinè reddi possit *Arx ad manum Oceani*: Nam *Aü*, *Aüg* vel *Og* idem fuisse quod & Græcis Ὠγὴν, nos aliàs ostendimus. Arx autem ista juxta **Dunfrise** est, quod *Oppidum* est *Frisonum* sive *Frigonum* vel *Brigantum*, *Galioüidiorum* scilicet sive *Scotobrigantum*, de coloniâ Briganticâ quæ in Iberniâ fuerat in Britanniam nostram redeuntium.

UXELA:

UXELA: Ita enim ſcriptum reperio in melioribus Ptolemæi Libris, cùm in pluribus ſit Ὀυζέλα, uſitato Librariorum vitio. Et penè quidem juraverim hanc fuiſſe *Salteſſe*, ſive uti hodie dicitur **Saltaſh**, in Oſtidamniis, cùm Camdeno ſit **Loſtithiel**: Poſſit enim *Uxela* eſſe tanquam *Uiſc heli* ſive *Aqua ſalſa*, quod & *Salteſſe* eſt ibridâ compoſitione.

UXELIS apud Ravennatem videtur eſſe *Iſcæ Oſtium* ſive **Exmouth**, in Dumnoniis. Certè Itineris ratio vetat eam eſſe Ptolemæi vel *Uxelam* vel *Iſcalim*. Quid autem *Uxelis* niſi *Uch ael iſc*, ſive *Super ſupercilio aquæ?*

UXELODUNUM: Ita planè in Ravennate Monacho reſcribendum pro monſtroſo *Uxeludiano*, Vaticano *Uxelludiano:* Nam ille ſexto caſu fecerat *Uxeluduno*, de quo Exſcriptorum *Uxeludiano*. In Libro etiam Notitiæ alio vitio ſcribitur *Axelodunum*. Atque hæc quidem Statio fuerat *Tribuni Cohortis Primæ Hiſpanorum*. Veteribus etiam Saxonibus non minore prodigio dicitur Hextolberham, ut & vicinus fluviolus de urbis nomine *Hextold*. Verùm excuſandi ſunt Barbari, cùm vel ipſi Bedæ dicatur *Hauguſtald*, quaſi dicas *Alta Civitas:* Nam & *Haug* Saxonibus pro *Alto* eſt, & *Stald* ſive *Stad* vel Stede pro *Urbe* & quâvis *Sede*; Germani hodie dicerent **Hochſted** vel *Hochſtold*. Nobis nimis correptè **Hexham** pro *Hextoldſham*, *Uxelodunum* eſt. Inclytus hic olim locus, & Epiſcoporum plurimorum Sedes, in Berniciorum ſive Otodinorum finibus, ultra Tinnam fluvium ſitus. Eodem planè vocabulo eſt & Gallorum *Uxelodunum*, prærupto colle ſitum in Cadurcorum finibus in partibus Aquitaniæ, hodieque *Uſſoldun* appellatum. Atque hoc quidem veteri Celtarum ſermone eſt *Uchel dun*, quod eſt *Arx* vel *Civitas excelſa*. Hiſpanis vel hodie *X* eſt pro Græco χ; quod & fortè ſequebantur olim Celticæ Provinciæ, quibus Græcorum Alphabetum in uſu erat communi. De *Uxeloduno* autem noſtro ita Malmeſburienſis Hiſtoricus, agens de Wilfrido Epiſ-

copo; " Ibi ædificia minaci altitudine murorum " erecta, & diversis anfractibus per trochleas mira- " bile quantum expolivit cæmentariorum operâ, " quos Româ spes munificentiæ attraxerat; adeò " ut ambitionem Romanam præ se ferrent, diuque " cum vetustate luctata consisterent."

UXISAMA: Vide in MINERVÆ.

Z.

ZERDOTALIA: Vide in VERDOTALIA.

FINIS.

D.

EDVARDI LUIDII

DE

Fluviorum, Montium, Urbium, &c.
in BRITANNIA Nominibus

ADVERSARIA POSTHUMA.

LECTORI.

QUÆ hìc ſubjiciuntur D. EDVARDI LUIDII Adverſaria *Anglico ſermone conſcripta, in hunc ordinem digeſta fuêre tanquam amplioris quod meditabatur Operis* Ἰχνογραφία; *quod nuperrimi Galliarum Regis Patrocinio haud indignum fore judicavit. Chartulas haſce (ut ex Autographi Titulo conſtat) Reverendo admodum Patri, tunc temporis Carliolenſi, nunc verò Derenſi Epiſcopo communicare ſtatuit; nihil autem ad doctiſſimi illius Antiſtitis manus pervenit, præter Annotatiunculas quaſdam* De Fluviorum apud Cambro-Britannos Nominibus *Latinè conſcriptas, quarum Præſul humaniſſimus pro ſuo erga omne genus Literas ſtudio nobis copiam facere dignatus eſt, quaſque*

ideò in lucem emittimus, ne quid à tanto Viro profectum (quantum in nobis est) periret, quod Reip. Literariæ prodesse possit. Ut in utrisque his Reliquiis Luidianis *eadem, quâ usus est* D. BAXTERUS *adhiberetur Orthographia, commodum prorsus atque necessarium judicavimus; ne Lectori diversis in eodem Volumine scribendi rationibus molestia facessatur: Quinetiam Voces pauculas, uncis inclusas, hìc illic inserere necesse habuimus, ut Lectoribus Linguæ Britannicæ imperitis Autoris sensus luculentiùs innotescat. Ex hisce Scriptis, æquè ac aliis quæ ipse dum in vivis esset publici juris fecit, satis constat quantum Orbi Literato intulerit detrimentri Viri ad hanc Literaturæ partem ornandam instructissimi Mors præmatura; eò magis deflenda, quòd parem huic, quod Ipse tam feliciter designaverat, Operi vel mediocriter absolvendo neminem post se superstitem reliquerit.*

Some

Some part of the Substance of a Letter *to the Bishop of* Carlile, *about the Signification of the Names of Places in the* British.

Appellative Names of Water.

THE Sea hath several Names, as *Môr*, *Eigion*, and *Güeilgi*, answering to the Latin *Mare*, *Oceanus*, and *Pelagus*. *Lhyr* was another old Name, written by the Güydhelian Britains *Léar*.

Avon, **A River**, is according to our oldest Orthography to be written *Amon*; so that the Latin *Amnis* is but the same with it.

Nant is **A Brook**; and Cornant, **A small Rivulet.**

Aber is the **Fall** of a lesser Water into a greater, as of a Brook into a River, of a River into a Lake [or Sea] *&c.*

Cymmer, Pl. *Cymmere*, is the **Meeting** of Two or more Rivers; whence *Pont y Cymmer* near Lhan Trisaint in Glamorganshire, & *Lhyn y Cymmer* in the Severn near Lhan Idloes, *&c.*

LHUCH was commmonly uſed for **A Lake** in Brecknockſhire and Carmarthenſhire, as appears by the ſeveral Names of *Lhüch Taüe*, *Lhüch Saüdhe*, *Lhüch Cybirych*, *Lhyn Lhan Lhüch*, *Tal y Lhyche*, &c. This word is Güydhelian Britiſh; ours being *Llyn* for any **Lake** or **Pond**, as alſo for a **Pool** in a River.

RHAIADR is a **Cataract**; tho' underſtood now in few Places beſides Carnarvonſhire and Merionithſhire.

CORS is a **Marſh**, according to the common acceptation. This word ſignifies alſo **Reeds**; and **Marſhes** being often overgrown with them, it was thence probably they were called *Corſydh*.

PYDEU is properly a **Draw-well**, from the Latin *Puteus*; but it is alſo uſed for **Wire**.

FYNNON, tho' generally uſed for a **Well**, ſignified alſo the **Firſt** or **Higheſt Lakes** of the greateſt Mountains; as we find by *Fynnon lâs*, *Fynnon vrêch* and *Fynnon velen*, near Lhan Beris in Carnarvonſhire.

BALA is the **Exit** of a River out of a Lake.

Proper Names of RIVERS.

I. AS for the Names of Rivers, We often find that when a Country is new peopled, the New-Commers take the Appellatives of the Old Inhabitants for Proper Names. And hence it is, that our Anceſtors at their firſt coming (whenever that was) called ſo many Rivers in England by the Names of Asc, Esc, Isc, Osc and Usc, which the Engliſh afterwards partly retained (eſpecially in the North) and partly varied into Ax, as **Arley**, **Arholm**; Ex, whence **Exmouth**, **Exeter**; Ox, whence **Oxford** for *Ouſkford*; and Ux, as in **Uxbridge**, &c. This I ſay proceeded from our ignorance

rance of the Language of our Predeceſſors the Güydhelian Britains, amongſt whom the word ſignified nothing but **Water**, as it doth yet in the Highlands and in Ireland. In the ſame manner have the Engliſh miſtaken our *Avon*, which tho' it ſignified only **River** in general, yet ſerves with them for the Proper Name of ſeveral of their Rivers; as **Avon**, the River of Briſtol, Stratford upon **Avon**, *&c.* Nor are we to doubt of the like Examples in all Countries, ſo far as ſuch Words may be intelligible to Antiquaries.

II. TAM. A great number of our larger Rivers began with the word *Tav* and *Tiv*, or, as anciently written, *Tam* and *Tim*; hence **Thame** or **Thames**, *Tav*, *Taüy*, *Tyüy*, *Teivi*, *Dyfi*, *Deva* Rom. now **Dee**, **Dove** in Staffordſhire, *&c.* This *Tam* is in all probability the ſame with the Greek Ταμ& in Ποταμὸς, as *Dalen* is doubtleſs the ſame with their Πέ-ταλον, and *Brüynen* with their Πά-πυρον; to comply further with which, we alſo ſay *Pabüyren*. I take therefore the Initial Πα, Πε, and Πο in ſuch Greek Words to be old Prepoſitives, ſuch as I have exemplified in the Comparative Etymology, p. 40. col. 2. For it is nothing likely that ever we ſhould leave *Pa*, *Pe*, and *Po*, in caſe we had ever uſed them.

III. GUY, UY. *Güy*, *Üy*, *Üys*, *Ey*, *Y* and *I* are as often the Final Syllables of our Rivers, as *Tav* &c. the Initial. In the Gothick and modern Swediſh **Aa** ſignifies a **River**, and in the French *Eau* is **Water**, to which the Britiſh word ſeems to anſwer; ſeeing the Water between Ramſey and S. Davids, and between Angleſey and Carnarvon, is called *Meneü*, which according to that ſenſe ſignifies **Narrow Water**. This Termination is in all the Rivers mentioned above, and in a great many others, as *Lhugüy*, *Colynüy*, *Y Vyrnüy*, *Dourdüy*, *Elüy*, *Cynüy*, &c.

IV. LHYR.

IV. LHYR. As *Mâr*, *Mêr* and *Môr* signified anciently **Water** as well as **Sea**; so did likewise the word *Lhyr*, whence *Lhyr* and *Leri* in Cardiganshire, and *Loire* in France.

V. CLET, CLUYD, CLYD, *&c.* This word, whencesoever derived, signifies a **River** or **Brook**, and is variously expressed, as *Clüyd* in Denbighshire, **Clyde** in Scotland which runs by Green-Oak and Glascow, *&c.* *Clydach* in Glamorganshire, *Cledach* in Pembrokeshire, *Clydog* in Cardiganshire, whence *Lhanvair y Clydoge*, and *Clettür*, ibid. whence *Dôl y Clettür*.

VI. MAR [or MER] and MOR in the Names of some Rivers signifies only **Water**; as *Ogmor* qu. *Eogmor*, **Salmon-Water**, in Glamorganshire and Carnarvonshire, *Marlas* in Carmarthenshire, *Morlas* in Glamorganshire, *&c.* In some others it may signify **Great**, as *Mordav*, **A great Brook**, *&c.* in Shropshire. We find it in the former signification in other Compounds, as particularly in *Cymmer* abovementioned, and in *Merhelig* or **Waterwillow**, for **Sallow**.

VII. Rivers take their Denominations frequently from the COLOUR of their *Sand* or *Gravel*; as, *Güendraeth* [**White-sand**] in Carmarthenshire, *Nantcôch* [**Red-brook**] in Merionnithshire or Denbighshire, *Dulas* [*Atro-cæruleus*] in Denbighshire, **Douglas** [of the same signification] in Scotland, *Yr Avon lâs* [**The green river**] in Glamorganshire, *Yr avon vydr* [**The foul river**] in Monmouthshire, **Lowther** from *Gloyüdhür* [**Clear-water**] in Westmorland, *Lhygüy*, *i. e. Amnis limpidus*, in Carnarvonshire.

VIII. Some Rivers are Metaphorically denominated from the NATURE of their *Current*; as,

Gavr or **Goat** from its frequent leaping in time of Floud over a great number of large Stones and Precipices, down from the Glyder to Lhan-Beris in Carnarvonshire.

Türch,

Türch, **A Hog**, in Brecknockshire; so called because in Floud it tumbles up the Gravel and Stones.

Banü, **A Pig**, *ibid.* for the same reason; and hence probably the **Ban**, the main River of Ireland.

Jürch, **A Roe-buck**, in Shropshire, from its swift Current.

Jyrchelh, **A Roe**, in Carnarvonshire.

Elain, **A Fawn**, in Montgomeryshire.

Hespin, **A Sheep** that yields no Milk. There are two or three Brooks of this Name about Ystradvelhte in Brecknockshire, so called because their Channels consisting of Limestone have great Caverns, which in Summer-time take up all the Water the Springs afford; so that the Channels being left *dry*, the Brooks are called *Hespin*.

Brân, **A Crow**, probably from its Swiftness. There is a Brook of this Name by Lhan-Gollen in Denbighshire, whence the Name of *Dinas Brân*, and not, (as Humfrey Lhüyd and Camden suppose) from the Gaulish [General] *Brennus*. There are two or three more *Brân*'s in Brecknockshire and Carmarthenshire.

IX. They sometimes receive their Names from some remarkable TREES or PLANTS growing on their Banks or in them; as *Nant yr Helig*, q. d. Anglicè, **Willowbeck**; *Güernant*, i. e. **Alderbourn**, &c. *Alaü*, a River of Anglesey is probably so called from **White Water-Lillies**, which in British are called *Alaü*.

X. Some few of the smaller Brooks have no other Name than that of the VILLAGE they pass by or through, as *Avon Dolgelhe*, *Nant Coris*, *Avon Lhanvair*, &c.

XI. Some others of them are named from their being BOUNDARIES either betwixt one County and another, or one Parish and another, or betwixt several Mens Lands. And such are often called *Finnant* or *Nant y Fin*, *Tervynnant* or *Nant y Tervyn*,

Nant

Nant y cyffin; [q. d. **Meer-brook**; the words *Fin*, *Tervyn* and *Cyffin* signifying a **Boundary** in the British.] So *Nant Oüen*, [Owen's **Brook**] *Nant Idüal*, [Idwal's **Brook**] &c.

Names of MOUNTAINS.

I. VA. The Syllable *Va* at the End of the Name of a Hill or Mountain is but the same with *Van* or *Man*, **A Place.** As *Güidhon* therefore signifies a **Tall Woman**; *Güydhgrug*, **A Conspicuous** or **High Mount**; *Güydhvaen* and *Maen Guydhog*, **A High Stone**: So *Güydhva* (the Name of the highest Hill in the Forest of Snowdon) imports nothing else but a **Conspicuous** or **High Place**; *Güylva*, **A Watch-place**; *Presüylva*, **A Place** of **Tents** or **Camp**; *Y Gelhegva*, **The Orchard**, &c.

II. The most common way of naming Hills was by Metaphors from the PARTS of the BODY; as,

1. Y VOEL, **Bald-pate**: A Name frequently imposed on towring Hills that have no Woods growing on them; as, *Moel yr Üydhva*, *Moel Siabod*, *Moel Elian*, *Moelüyn*, *Moelhedog*, *Moel y Vamme*, *Moel y münd*, &c. The People about Abergavenny in Monmouthshire, having lost the true notion of this word, call a Sugar-loaf-hill near the Town, **The Vale.**

2. Y BENGLOG (*i. e.* **A Skull**) is the Name of a Rock at Lhan-Lhechid in Carnarvonshire.

3. TAL, **The Front** or **Forehead.** This is not so much used for Mountains as for such Places as are at the End of Causeys, Bridges or Lakes; and therefore the words that commonly follow *Tal* are *Sarn*, *Pont*, *Lhyn* or *Lhüch*; as, *Tal y Sarn*, **The End of the Causey**; *Tal y Bont*, **Bridge-End**; *Tal y Lhyn*, **The End of the Lake**, &c.

4. KERN, One **Side** of the **Face**; as, *Kern y Büch*,

Büch, The Name of a Rock in Oſwaldſtree Pariſh.

5. AEL, **An Eye-brow.** *Ael y Rhiü*, *Ael y Voel Ael yr Alht*, &c.

6. LHYGAD, **An Eye.** *Man dou Lygad yr ych*, at Hir-vynydh in Glamorganſhire. *Lhygad Lhychür* is a Cave where the River *Lychür* riſes in Carmarthenſhire.

7. RHYN (**A Noſe**) was ſeldom uſed but in the Compound word *Penrhyn*, which is our moſt common word for a **Promontory.** In the Highlands of Scotland it is always *Run*, juſt as our *Din* or *Dinas* is their *Dun*. To this *Rhyn* anſwers the Engliſh **Neſs**; as in **Sheerneſs** in the Iſle of Shepey, **Cathneſs** in Scotland, *&c.*

8. GENEU (**A Mouth**) is uſed ſometimes for a **Paſs** betwixt Hills; as *Geneu 'r Glyn* in Cardiganſhire, *Geneu 'r Dinlhe* in Shropſhire.

9. PEN (**The Head**) is ſo well known to be uſed for Hills, that little needs be ſaid. Not only **Pennigent** and **Pendley** in Lancaſhire are ſuppoſed to be thence derived, but alſo the *Apennine* Mountains of Italy, by Camden and others.

10. GUDHV, **The Neck.** *Güdhvglas* in Carnarvonſhire.

11. MUNUGL, **The Neck.** *Münügl y Lhyn* by Bala in Merionnithſhire. *Myned dhüylaü münügl ag un*, is **To embrace one about the Neck.** And it is from this *Münügl*, *Müng*, &c. that the Latin *Monile* is derived.

12. GUAR, **The Nape** of the **Neck**; as, *Güar y Cae*, &c.

13. BRAICH (**An Arm**) is often uſed; as, *Braich y Bîb*, *Cevn y Braich*, &c.

14. BRON, **The Breaſt**; as *Y Vron*, *Y Vron dhu*, *Y Vron vaür*, *Y Vron lâs*, *Y Goedvron*, &c.

15. KEST, **The Belly**; as, *Y Gêst* in Merionnithſhire, **Hergeſt** (an legendum *Hir-gêst*, i. e. **Long-Paunch**) in Herefordſhire.

16. CLUN,

16. CLUN, **The Hip**; *Y Clûn hîr* in Radnorshire.

17. CEVN, **The Back**; *Cevn y Glyder* in Carnarvonshire; *Y Cevn crach* in Shropshire, *&c.* very common. DRUM is of the same signification, but a Güydhelian word.

18. YSTLYS, **A Side**; as, *Yr Ystlys*, *Ystlys hirwayn* in Glamorganshire, *&c.*

19. BONTIN, **A Buttock**; as, *Moel y Vontin* in Cardiganshire, *&c.*

20. ESGAIR, **A Leg**; as, *Esgair hîr* in Cardiganshire, *Esgair Lüyd* in Carnarvonshire, *Esgair Wedher* in Merionnithshire, *Esgair hirvaür* in Monmouthshire, *&c.* The signification of the word is lost in Wales, but retained in Basse Bretagne, where they call the **Leggs**, *Diuescar*, q. d. *Düy Esgair*, tho' in the Singular they call a **Leg**, *Gar*.

21. TROED, **A Foot**; as *Troed y rhiü*, *Troed yr alht*, *Troed y vron*, &c. Sic Lat. *Pedemontium*.

III. Another way of Denomination of Mountains was from PERSONS who had been once Proprietors of them; as *Carnedh Dhavydh*, *Carnedh Lyüelyn*, *Carnedh Higin* in Carnarvonshire, *Brynnie Güenlhian* in Montgomeryshire, *Cader Idris* in Merionnithshire, *Cader Arthur* in Brecknockshire, *Moel Arthur* in Denbighshire, *&c.*

Cities, Towns, Castles and Villages.

I. TIN or DIN (whence *Tinbren* in Denbighshire, *Tin Sylüy* and *Tindaethüy* in Anglesey, *Dinorüic* in Carnarvonshire, *&c.*) was according to the Güydhelian British *Tun* or *Dun*, and is so used yet by the Highlanders and Irish. The Romans in their Orthography of the Word agreed with them rather than us: For they wrote *Uxellodunum*, *Neodunum*, *Lugdunum*, and not *Uxellodinum*, *Neodinum*, *Lugdi-*

Lugdinum, &c. In the Güydhelian Britiſh (or Old Celtick) *Dunadh* is **To ſhut up, to hedge** or **incloſe**, *&c.* This is the Old Engliſh called *Tune* (as we always find in the Saxon Books) and afterwards **Town.**

II. MAES (**A Field** or **Plain**) was called in the Old Celtick, and is ſtill in the Güydhelian Britiſh, *Magh:* This the Romans wrote *Magus*; as we find extant in *Duromagus*, *Rothomagus*, &c.

III. CAER (**A City**) comes from *Cau*, **To ſhut** or **incloſe**, in the ſame manner as the Güydhelian *Dun* abovementioned comes from their *Dunadh*. And this ſeems to be ſo well confirmed, as to be paſt all doubt, when we conſider that in Carmarthenſhire **The Wall of the Churchyard** is called *Caer y Vynüent*, and any **Trench** or **Bank** of an old **Camp** is called *Caer*. We premiſed that word to all the Places of Britain that had been Walled by the Romans; and the Old Engliſh (however that came to paſs) turned every *Caer* of ours into Ceaſtep, and afterwards into *Ceſter*, *Ciſter* and *Cheſter*.

IV. TRE or TREV ſeems to have ſignified anciently only a **Family**, and to be of the ſame Origine with the Latin *Tribus*. So *Pueblo*, which properly ſignifies a **people**, is a common Spaniſh Word for a **Small Town** or **Village**: And our *Plüyv* is doubtleſs nothing elſe but the Latin *Plebe*. *Trev* ſignified not a **Town** anciently, but a **houſe** or **home**; and it is ſtill ſo uſed when we aſk, *A ydyü'r gür gartrev?* [**Is the Man at home?**] For which they ſay in Southwales, *A ydyü'r gür yn nhre?* Hence ſo many *Tre*'s in Cornwall, which were for the moſt part but ſingle Houſes, and the word ſubjoined to it only the Name of a Britain who was once the Proprietor; as, *Trev Erbyn*, *Trev Annian*, *Tre Vydhig*, *Tre Gerens*, *Tre Loünydh*, &c. Whether the German **Dorf**, called in England **Thorp**, **Threp** and **Thrup**, may not put in for the ſame Origine and Signifi-

Signification, is left to the Engliſh-Saxon Antiquaries.

V. LHAN or LAN, tho' uſed for a **Church**, yet ſignifies properly (as Dr. Davies has obſerved) only a **Yard** or **Incloſure**, as we find by the Compound Words, *Ydlan*, **A Hagard**; *Perlhan*, **An Orchard**; *Güinlhan*, **A Vineyard**; *Corlan*, **A Sheepfold**; *Corflan*, **A Churchyard**, *&c.* And this ſignification of it is alſo confirmed by the Cantabrians or Pyrenean Spaniards, who call a **Garden** *Landa*, and uſe alſo the ſame word for a **Field** or any other **Incloſure.** The reaſon why we uſe it for a **Church** was (as I conjecture) becauſe before Chriſtianity, the Druids ſacrificed and buried their Dead in a Circle of Stones, which had a *Cromlech* or *Kiſt Vaen*, or both, in the midſt; as we find at *Kerrig y Drudion* in Denbighſhire, and elſewhere. And it is probable that, from ſuch a *Crug* of Stones, or a *Circus* or round Trench, or from both, the Teutonick Nations took their **Kirk**, corrupted by the Southern Engliſh to **Church.** *Lan*, beſides Wales, is common in Cornwall and Baſſe Bretagne, but ſcarce uſed at all in Ireland and Scotland, where the old word is *Kîl*; the Derivation whereof I muſt leave to further enquiry.

VI. The moſt general way of naming Towns amongſt the Britains was from the RIVERS on which they were ſituate; as we find by the Roman Towns of Wales, *Iſca Legionum*, *Gobannium*, *Nidum*, *Leucarum*, *Conovium*, *Segontium*; all made out of the Britiſh Names of the Rivers *Uyſg*, *Kevni* (corrupted now to *Kenvi*) *Nêdh*, *Lhychür*, *Conüy* (or *Cynüy*) and *Seiont*, called now *Avon y Sant* from *Saint Peris*, the common People ſuperſtitiouſly miſtaking *Seiont* for *Sant*.

[*De*

[*De Fluviorum Nominibus apud Cambro-Britannos.*]

EX Fluviorum Nominibus apud Cambro-Britannos, quædam ſunt ipſis Indigenis non intellecta; ut, *Havren*, Sabrina, *Dyvi*, *Teivi*, *Toüi*, *Tâv*, & pleraque majorum Fluminum nomina: Alia Linguæ Britannicæ periti facilè interpretantur; atque hæc ſub variis Claſſibus recenſeri poſſunt.

Sit PRIMA CLASSIS eorum quæ ſua Nomina tranſlatitiè ab Animalibus mutuati ſunt.

CARU, *Cervus*. *Rhyd y Carü*, i. e. *Trajectus Cervi*, non procul Oſüeſtriâ in Agro Salopienſi.

KEIRU, *Cervi*. Plural. Subintelligitur forſan *Avon*, *Amnis*, q. d. *Cervorum Fluvius*, eò quòd juxta hunc Fluvium ſtabulari conſueverint. Meir.

ELAIND, *Hinnulus*: At ſcribitur *Elain*. Germanis **Elandt**, *Alce*. Radn.

JURCH, *Capreolus*. Varii ſunt hujus nominis Amnes & Rivuli in Cambriâ, quorum alii à Velocitate ſic dicti ſunt, uti *Jürch* in Arvoniâ; alii, quòd *Capreoli* (Animalia in Cambriâ olim rara, hodie nulla) circa hoſce Rivulos aut Fontes aliquando

 verſati

versati sunt; ut *Fynnon yr Jürch* non procul Osüestriâ apud Salopienses.

JYRCHELH, *Capreola.*

TURCH, *Porcus:* Eò quòd instar *Apri* terram effodiat, arenam & sabulam evertendo. Ob eandem rationem apud Arvonienses quidam Amnis *Süch* nomen obtinuit, quod *Vomerem* denotat. Meir.

HESPIN, *Ovis sterilis, lac non præbens:* Eò quòd æstivo tempore *exsiccatur.* Meir.

CLASSIS II.

A Colore Aquarum.

Y GAMLAS, i. e. *Cam viridis* vel *cæruleus. Cam* autem (hoc est, *Curvus)* à crebris *Sinubus* & *Curvaturis* dictus est. Meir. & Caernarv. Item alius *Camlas* apud Breconienses.

CAIN, *Limpidus, clarus, illimis.* Meir. & alibi.

CLAIRUEN, *Limpida:* Est enim Fœminei generis, ut pleraque alia Cambriæ Flumina. Ad verbum. *Clarè candida.* Radn.

DULAS, *Ex nigro ad cæruleum* vel etiam *viridem accedens.* Brecon. Alter in Agro Maridunensi, & alii alibi.

MORLAS, *Aqua cærulea. Môr* propriè *Mare* sonat: At multorum etiam Fluminum Cambriæ nominibus in Compositis adjicitur; uti *Ogmor, Nanmor, Morda,* &c. Caerm.

LHUYD, *Turbidus, lutosus,* &c. Montgom.

DU, *Niger:* Unde forsan Dee Cestrensium; parùm enim aut nihil discrepant in prolatione.

CLASSIS III.

A Colore, aliiſque Accidentibus Sabuli.

Y VELENRHYD, i. e. *Trajectus flavus.* Meir.
GUENDRAETH, *Sabulum album.* Caerm.
LHYVNANT, à *Lhyvn*, *Lævis*, & *Nant*, *Rivus:* Quòd ſaxa violento & præcipiti curſu inſtar marmorum *lævigat.* Cardig.

CLASSIS IV.

A Fremitu Aquarum.

DYSYNNI, *Sonorus.* Meir.
DOURDUY: Forſan non ineptè *Aquam reſonantem* interpretarer, à *Dürdh*, *Sonitus*, & antiquo *Güy*, *Aqua:* Necnon in Rupibus Merviniæ maximè *ſonorus* eſt hic Fluvius. Daviſius in Lexico Brit. ſcribit *Dyvrdüy*, quod ſonat, *Aqua duorum amnium.* Alii *Dyvrdu*, *Aqua nigra.* Eligat Lector quod maximè placet. Meir. Denb. &c. Idem eſt qui Ceſtrenſibus, mutato nomine, Dee audit.

CLASSIS V.

A variis defluendi modis.

CAM, *Curvus*, ſæpiùs in Compoſitis occurrit; an verò ſeorſim incertus ſum.
TROUSNANT, *Rivus tranſverſus*; à *Traüs*, *Trans*, & *Nant Rivus.* Brec.
MERDHUR, *Aqua ſtagnans*, quaſi *Marüddür*, i. e. *Aqua mortua*; à *Marü*, *Mortuus*, & *Dür* vel *Dyvr*, *Aqua.* Meir.
RHAIADR, *Cataracta.* Montgom.

CLASSIS VI.

Ab Utenſilibus.

SUCH, aliter SOCH, *Vomer:* Quòd terram, dum labitur, inſtar *Vomeris* eruat. Caern.
CLEDHEU, *Gladius.* Pembr.
CYLHELH. *Gladiolus, culter, pugio.* Pembr.
GUAIN, *Vagina.* Pembr.

CLASSIS VII.

A Locis quæ præterfluunt: Atque in hiſce omnibus ſubintelligitur *Avon* vel *Nant*, *Amnis* ſive *Rivus*.

LHANBEDR, *Eccleſia* Divi *Petri.* Meir.
HIRGUM, *Vallis longiùs extenſa.* Meir.
KESSEILGUM, *Vallis ſinuoſa.* Meir.
LHUYN GURIL. *Lhüyn, Nemus, dumus, fruticetum:* At *Güril* quid denotat hodie non conſtat. Meir.
GARTH GENNI: *Garth, Collis, teſqua, aſpretum.* Meir.

CLASSIS VIII.

Quæ Aquam ſimpliciter denotant.

UYSC, Anglis Uſk, Hibernis *Uiſge, Aqua.* Apud nos hodie non occurrit; verùm antiquitùs obtinuiſſe ſuſpicor: Sic *Lhüch, Lacus,* apud Britannos fermè in deſuetudinem abiit; cùm tamen in Hiberniâ *Loch* in eodem ſenſu ſit vox trita & omnibus nota. Brecon. & alibi.

AVON,

AVON, *Fluvius.* Convenit hæc Vox cum Latinâ *Amnis: M* enim apud Latinos in vocibus Britannicis *V* fieri, exempla ſunt *Elven*, *Elementum*; *Fyrv*, *Firmus*; *Furvaven*, *Firmamentum*; *Tervyn*, *Terminus*, &c. Non tamen hinc colligendum, Britannos à Romanis hanc vocem accepiſſe; quippe apud Hibernos etiam occurrit, quos certum eſt antiqua hujuſmodi vocabula non debere Romanis, quibus nunquam paruerunt, ſed Britannis à quibus originem duxiſſe arbitrantur Viri Doctiſſimi, Gulielmus Camdenus & Rodericus O Flaherti. Monm. Plures in Angliâ Fluvii ſunt hujus nominis.

ISC, Pembr. Idem cum *Uyſc* videtur.

GUY, Anglis Wye: An fortè *Aquam* denotabat apud Antiquos? Unde in Compoſitis *Y Vyrnüy*, *Doürdüy*, *Edüy*, *Mynüy*, *Moüdhüy*, *Elüy*, *Lhugüy*, &c.

INDEX.

A.

A Bellio. 35
Aber. 2. 128. 236. 263
Aberconüy. 67. 86
Abercurven. 2
Aberdaugledheu. 252
Aberdeen. 104
Aber-Dyvi. 106
Aber-Fraü. 111
Abergevenny. 127
Aber-Lhyü. 151
Aber-Ystüyth. 220
Abingdon. 61
Abission. 2
Ἄβδ, Ἀβάτῃ πολαμὸ ἐχβολαί. 4
Abravanus. 2
Abriana, -us, *fl.* 77. 91. 181. 206.
Achindevy. 118
Adell=Hill. 82
Ἄδρα ἔρημος. 7
Ellandunum. 71
Aemodes. 4
Ἀϊδδαι. 119
Aire. 235
Aix la Chapelle. 130
Alaü, fl. 267
Albanoburgus. 62
Albinumno, —nunno. 12
Albion. 13
Alcester. 10
Aldburg. 142
Algiers. 57
Aliona. 11. 59
Alitacenon. 10
Allobrox. 13. 54
Almondsbury. 62
Alne, fl. 11
Alnwick. 120
Alongium. 12
Alt Cluid. 109. 184
Alüen, fl. 68
Alventon. 3. 9
Alunna. 11
Amaeth. 14
Ambiani. 246
Ambleside. 14. 105
Ambrosius Aurelianus. 25. 26. 84. 182. 216. 217. 255.
Amnis. 38. 222. 263
Amrant. 7
Amsterdam. 172. 226
Amüythic. 244
Anava, *fl.* 127
Andate. 16
Anderelio, —resio. 15
Anderetum, Ἀνδιεσδον. 16
Andover. 15
Andredes-ceaster, — wald. 16
S. Andrews. 169
Angleley. 179
Angus. 132. 221
Anicetis. 18
Annan, fl. 245
Annandale C. ibid.
Annedhu. 183
Ant, fl. 16
Antcaster=Heath. 92. 239

Anton.

Anton. 201
Antrum. 139. 169
Anudon. 136
Apaunaris. 3
Apennini. 269
Apollo. 35. 130. 143. 145. 177
Apulby. 1
Apuldur. 1. 168
Apuldurham. 1. 15
Aqua. 4
Aqua lata. 256
Aquæ Granni. 20. 130
Sextiæ. 20
Solis. 21
Aquis. 20
Aquitani Vascones. 22
Aramus, —nus. 23
Araris, *fl.* 222
Aravona. 201
Arbati. 61
Arbeia. 21
Ardaoneon. 15
Ardoch. 249
Ardrossin C. 205
Ard-Stincar. 53
Ardua. 24
Are, fl. 147
Arelate. ibid.
Argoet, Argoetüys. 26. 238
Ariminum. 6. 24
Arklo. 186
Armagh. 99. 226
Armentiers. 176
Arminton. 24
Armis. ibid.
Arnemeza. ibid.
Arrabona. 201
Arran. 135. 181
Arras. 28
Arrow, fl. 10
Arsena, *fl.* 215
Arthurius. 25. 28. 121. 182. 192.
Arverni. 241
Asch, fl. 140
Assint, fl. 142
Ἀτρακτον. 123
Atterith. 172. 230
Atuatuca. 122
Aüel. 28
Aventon. 3. 9
Augusta Nemetum. 174
Aulsby. 103
Auln, fl. 10
Avon, fl. 265. 276
Avon y Sant. 272
Aurree. 187
Awne. 11
Axa, *fl.* 5. 31
Axel, Axey. 20
Axholme. 20. 264
Axley. ibid.
Axona, *fl.* 140

B.

BAboglanda. 14
Bæl-fyr. 36
Bainbridge, 44. 129
Baint, fl. 44
Bala. 33. 160. 236. 264
Bala Cleach. 82
Balineum. 148
Ban, fl. 33. 201. 267
Banachi. 32
Banburg. 33
Banbury. 45. 114
Bangor. 43
The Bank-End. 14. 105
Bannavantum. 98
Bannio. 128
Banü, fl. 267
Bargeny. 40
Barham-Wood. 221
Barhill. 55
Baromagi. 58
Barrey, Inf. 41
Barrow, fl. ibid.
Batavi. 196
Batavodurum. 167
Bebriacum. 41
Bederici Cortis. 250
Bederics-gueord. ibid.
Bedford. 75. 113
Bedingstreet. 198
Bein C. 33. 95

Bellouacæ. 69
Beltingham. 251
Bennavenna, —venta. 98
Bentense Gynæceum. 38. 238
Benwell. 6
Bergentium. 50
Bericus. 58
Bern=Cassel. 46
Bernstable. 3. 12. 168
Berriü. 244
Berwick. 232
Beverley. 41
Bewdley. 173
Biadon. 45
Biarhead. 183. 236
Bibracte. 41
Bibrax. ibid.
Bincheſter. 253
Bindogladia. 251
Birdſey, Inſ. 7. 152
BIRIC. 59
Birilas. 41
Birmingham. 46
Biſhop and his Clerks. 187
Biſhop=Stortford. 88
Blackneſſe. 3
Blandford. 133
Blani. 100
Blerica. 187
Bleſcium, —ſtium. 37
Bodincomagus. 42
Bolſey. 86
Bolvelaunio. 43
Bomium. 44
Bonium. ibid.
Bononia. 43. 248
Borough=Hill. 241
Borwick. 43
Boverton. 44
Βάλαιον, Βάλειον. 56
Βανδάικη. 254
Bowes. 148
Bowre. 163
Brabant. 55
Braboniacum. 55. 56
Brâd, —dür. 136. 167
Braganza. 50
Brage. 44
Braid=Alban. 46
Brakeley. 45
Bramiſh, fl. 28. 45
Bramton. 54
Brân, fl. 267
Brancaſter. 45
Brauſman, Inſ. 121
Bravonium. 45
Bray. 41
Bredon=Hills. 190
Βρεγάντιον. 50
Bregentz. ibid.
Bremetenræcum, —tonacis. 47
Bremia. 46
Breſnetenaci, —tenati. 47
Bretenham. 63
Breudhüyd. 34
Briançon. 50
Bribra. 40
Bridlington. 125
Brig=Caſterton. 66
Brinavis. 45
Briſtol. 187. 220
Brockley=Hill. 221
Brocovum. 55
Broken=Bridge. 241
Broughton. 44
Browham, 55
Bruges. 197
Bruxellæ. 55
Brynbiga. 46. 56
Bryneich. 40. 46
Buarth Paban. 145
Buchan. 65. 221
Buchanneſſe. 221
Buckenhurſt. 15
Bullneſſe. 41
Bulſinis. 56
Bulterræ. ibid.
Burgh C. 44. 127
Burghill. 55
Burghton ſuper aquis. 246
Burgh under Stanmore. ib.
Burlington. 125
Burhe, Inſ. 44
Byrdhin, fl. 46

C.

CAdüaladur. 57
Caer. 53
Caer Badon. 32
Briton. 187
Bulach. 56
Calemion. 84
Dan aü, adan aü. 148
Daün. 99
Caerden. 68
Caer-Dinas. 230
Caer Dorbruge, —burge. 241
Dorm. 111
Draiton. 205
Dydh, Dyv. 143
Evraüc. 119
Güidi. 249
Guiloü. 70
Gybi. 87
Cae'r Keſtylh. 159
Caer-laverog. 256
Caer Lheon ar Uyſc. 140
Lheon Vaür. 103
Loyü. 130
Lual. 160
Ludh. 156
Luit coit. 153
Manchgued. 167
Megwad. 162
Meigion. 173
Muncip. 245
Narvon. 215
Oder. 187
Caer-pen-talloch. 95
Caer Phyli. 56
Seiont. 215. 252
Uiſc. 56
Voran. 58. 163. 129
Urangon. 45. 46
Urnach. 243
Vyrdhin. 180
Went. 238
Went Güic. 118. 135. 239
Y Dhynod. 68
Calca-ceaſter. 59
Calder, fl. 62. 147
Caletes. 60
Caliga, Calo. 15. 60
Calunio. 61. 69
Cam, fl. 8. 225. 274. 275
Camalan, —lon. 64. 121
Camalet. 84
Camalodunum. 62. 63
Cambeck, fl. 242
Cambretovium. 5. 8. 63. 203
Cambridge. 7. 8. 225
Cambroiana. 65
Camelford. 121
Camlas, fl. 274
Campodunum. 62
Campus Coil. 235
Camuloſſeſa. 65
Cangi. 73
Cank-Heath. 75. 192
Canoby. 65
Canonden. 73
Canonium. ibid.
Cantiani fontes. 115
Cantiumeti. 66
Canvey, Inſ. 92
Canza. 69
Car, fl. ibid.
Carlile. 160
Carmouth. 69
Carnaü. 91
Carn-buttain, —lheidr. 89
Carrec-Fergus. 251
Carriſt. 40. 53
Carron, fl. 3. 69. 87
Cas Lychür. 150
Caſtelford. 147
Caſtelh hên. 37
Caſter. 111. 127. 138. 239
Caſterford. 147
Caſtle-Donington. 207
Catalumis. 126. 152
Cateric. 72
Cathcart, fl. 200
Cathneſs. 68
Catobriga. 148
Catoriſſium. 36
Catti. 71
Cava Deirorum. 191
Caud, fl. 73. 86

Cauſennis.

Causennis. 65
Ceganges. 84
Celerion, —louion. 95
Celtæ. 15. 60
Celumno, —unno. 79
Ceremo. 78
Cermium, —mo. 69. 78
Certisnassa. 79
Cetobriga, —igga, —icca. 148
Les *Cevennes*. 128
Chauci. 73. 138
Chelmer, fl. 19. 31
Chelmerford. 31
Cherbourg. 57
Chertsey. 79
Chesterfield. 161
Chesterford. 5. 8. 63. 203
Chester (West) 103. 104
Chester on the Street. 80.86
on the Wall. 59
Chichester. 15
Chirmers. 78
Christ-Church. 10
Church. 272
Churn, fl. 89. 90
Citcester. 80
Cimbri. 208 209
Cimetzione. 93
Cimia. 152
Cirimon. 93
Cirencester. 89. 90
Clann. 39
Cledach, fl. 266
Cledheu, fl. 276
Cleofesho. 61
Clettür, fl. 266
Cleveland. 61
Cleychester. 39
Clidum. 109
Clientes. 39
Chusura. 234
Clüyd. 82. 266
Clydach, fl. ibid.
Clyde, fl. 82. 266
Clydog, fl. ibid.
Cnobheresburg. 127
Coantia. 103. 231
Cocburn. 83
Cocker, fl. 114
Cockermouth. ibid.
Cock-lost. 83
Coganges. 84
Coggeshall. 73
Coguvensuron. 160
Cohors. 2. 96
Coili Regis Culina. 64
Coit Andred. 16
Coit-Fala. 254
Coit Kelydhon. 60. 154. 207
Maür. 74. 84. 141
Coldenham. 83
Colebrook. 197
Colecester. 54. 64. 83
Collonsay, Ins. 81
Colne, fl. (Colonia) 12. 28. 64. 197. 245.
Coloneas. 84
Colonia Londinensium. 153. 155.
Victricensis. 63
Colrain. 162
Coludi urbs. 83
Colynüy, fl. (Clun) 265
Compretonium. 84
Conanus. 29. 164
Concester. 80
Condé. 86
Coney. 245
Congleton. 85
Connaught. 181
Consby. 85
Conuennos. 91
Convetom. 63
Conwey. 86
Cookridge. 82
Coqued, fl. 83. 124
Corbridge. 96
Corie lopocarium. ibid.
Coritani, —taui. 87. 200
Coritiotar celerion, --louion. 95
Cork. 90
Corndocken. 236
Cornwal. 88. 89
Corsula. 87
Cossini. 190
Cotesswould. 76

Coventry.

Coventry. 168
Counos. 91
Court. 96
Courtray. ibid.
Craghead. 92
Credigone. ibid.
Crediton. 78
Creighton. 92
Creones. 69. 78
Crodach fl. 250
Croydon. 92
Crumstone, Inf. 93
Cumbri. 50. 51
Cumbro. 50
Cunis. 94
Cure. 96
Cuthrael. 253
Cylhelh, fl. 276
Cymmer. 263. 266
Cynægeum. 38
Cynetan. 93
Cynüy, fl. 265. 272
Cyric-byrig. 244

D.

DAbriana, —nus, *fl.* 77. 206.
Dabrona, *fl.* 99. 206
Damme. 172
Dani. 146
Darent, fl. 103
Daroecla, —eda. 99
Δαρόεγνον. 117
Dartford. 103
Dartmouth. ibid.
Daventry. 98
Daunoni. 131
Daunus, *fl.* 99
Dea, *fl.* 104. 274. 275
DEABUS MATRIBUS. 17
Deal. 106
DEÆ NEHALENNIÆ. 3. 181. 248.
Decuaria. 191
Dee, fl. 104. 274. 275
Deerhurst. 161
Deheubarth. 216
Deir-wude. 191
Deivir. 101. 191
Demer, fl. 222
Demerosesa. 172. 205
Dena Victrix. 103
Dender, fl. 224
Derby. 103
Derry. 99. 226
Derüent. 102
Dese, fl. 232
Desmond. 100
Devionisso. 104
La *Deule,* fl. 228
Devoni. 104
Devovicia, —vitia. 101
D'Evreux. 120
Διατείχισμα. 234
Dicaledones. 104
Dictum. 105
Diganüy. ibid.
Dila, *fl.* 126. 152
Διμῆται. 102
Din Aden. 9
Dinas Belen. 156
Brân. 267
Dinorüic. 270
Διφρεεινὰ πλοῖα. 97
Dixio. 105
Dompnonia. 107. 141
Don, fl. 99
Dorchester. 109. 110. 112
Dorcinca. ibid.
Dordrecht. 110
Dormford. 112
Dorn. 11
Dorn's pence. 111
Dorobernia, —num. 117
Dorset. 116
Dorvatium. 102
Doüay. 106. 119
Dove, fl. 106
Dover. 107
Douglas, fl. 266
Dovia, *fl.* 105. 119
Doun-Castle. 100
Dourdüy. 265. 275. 277
Down. 110
Draiton. 205

Δρεῦνος. 159
Δρίλων. ibid.
Drinium. 159
Drinius, *fl.* 159. 198
Droit. 205
Drudges. 189
Druentia, *fl.* 103
Druentinus amnis. ibid.
Drumlanrig. 247
Drummond. 107
Durabliſſis. 108
Duba, *fl.* 106
Dublin. 100
Duerſtad. 167
Dulas, fl. 266. 274
Dulyſhe. 118
Dumnoniorum Prom. 186
Dunadeer C. 32
Dunbaſſe. 108
Dunbriton. 109. 184
Dundee. 225
Dunford. 169
Dunkriſe. 256
Dunholm. 66
Dunkerran. 135
Dunmaw. 58
Dun-Neveit. 182
Dunsby. 109
Dunſmore. 98
Dunſtable. 163. 164
Duran, fl. 11
Dür Donüy. 104
Durham. 66
Duria, *fl.* 110
Duriarno, —ruarno. 117. 118
Durmund-ceaſter. 111
Durnium. 11. 109
Durobrabis. 112
Durobrevis. ibid.
Duroliponte. ibid.
Durolitum. 115
Dunkerck. 110
Dyſynni. 275
Dyvet. 102
Dyvi, fl. 106. 265. 273
Dyvneint. 108

E.

Eſtonneſſe. 199
Ebcheſter. 103. 253
Eberwick. 120
Eblana, —ni. 100
Eboniæ, *Inſſ.* 119
Ἔβοδα. ibid.
Eboracum. ibid.
Ebrius. 120
Ebura, *fl.* 4. 120
Eburodunum. ibid.
Eburoleuca, *fl.* ibid.
Eburones. 120. 122
Eccles. 214
Eden, fl. 142
Edenburgh. 9
Ederington. 197
Edin. 229
S. **Edmundsbury.** 251
Ἔδρα ἔρημος. 7. 121
Ἐιδυμάνιος. 139
Eigion. 263
Eilff Uylhon. 5
Eimot, fl. 194
Ejudenſca. 80
Elain, fl. 267. 273
Elan Leneou. 218
tinoc. ibid.
Elaviani. 81
Elenburg. 253
Elgin. 157
Ellenceſter. 10
Elsbury-Head. 80. 235
Eltanuri. 122
Elüy, fl. 265. 277
Ely. 154
Embrun. 120
Enguien. 12
Entrych. 32
Enüiſg. 33
Ἐπίακον. 193
Ἐπίδιοι. ibid.
Ἐπίδιον,—δίων νῆσος. 193. 194
Epoceſſa. 69. 122
Epping. 139
Foreſt. ibid.

Erming-

Erming-ſtreet. 142
Eſch, fl. 140
Eſcithraüc. 54
Eſgair. 270
Eskdale. 157
Eskel, fl. 37
Eſkir Oervel. 202
Eſſedum. 168
Eſtratæ Imperiales. 181
Evania. 119
Eubonia. 176
Εὐλίμῳ Κόλπῳ. 124
Evones, —niæ, *Inſſ.* 119
Eura, *fl.* 119. 120
Euſt, Inſ. 81
Ewenny, fl. 29
Exeter. 141. 264
Exilles. 186
Exminſter. 174
Exmouth. 257. 264
Exoſades. 123
Ἐξοχή. 199

F.

FAir-Foreland. 204
Fairies. 17
Falkirk. 171
Fanocedi,—codi,—cocidi. 124
Fanum Martis. 132
Farmington. 207
Farn, Inſ. 123
Faro-Head. 224
Fergus. 41
Fern, Inſ. 123
Fetherſtonhaugh. 41
Fife. 233
Finnant, fl. 267
Fiod Inis. 211
Flavium Brigantium. 50
Fleet, fl. 230. 233
Flodden-field. 154
Folk. 6. 138
Folkſton. 5
Follis. 42
The Foreland. 66
Foulneſſe. 101
Fox-gloves. 5
Framelod-Paſſage. 117
Frigus. 48
Frith. 42. 235
Frome, fl. 79. 111
Frons. 45
Froſhwell, fl. 124
Fynnon. 264

G.

GAble-end. 1
Gadeſden. 126
Gætetun. 76
Γάγſανοι. 74
Galacum. 59
Galana, —ava. ibid.
Galea, Galerus. 56
Galhaüc ap Lhienaüc. 126
Gallena. 61
Galli. 13. 37. 119
Gallia Celtica. 22. 182
Galli, Gallinæ. 246
Gallunio, —uvio. 61. 69
Galloway. 183. 195
Gallway. 181
Y *Gamlas.* 274
Gandavum. 77
Garnſey. 127
Garumna, *fl.* 10. 127
Gate. 126
Gateſhead. 125
Gatton. 76
Gavr, fl. 266
Gauſennis. 65
Gebenna, *Mons.* 128
Genabon. 77
Geneva. ibid.
Geney, fl. ibid.
Γενεύια. 52. 128
Getæ. 134. 146. 208
Gheete, fl. 126
Giano. 77
S. Gilberti Mons. 243
Gilbertini Monachi. ibid.
Gisborough. 61
Givelceſter. 141
Glaſco. 99
Glaſteney, Inſ. 28

Gonbel

Glebon Colonia. 130
Glen=Car. 67
Glocester. 130
Gobannium. 127
Godmundham. 101
Gogmagog. 57. 196
Gordhverch. 189
Gozmanchester. 113
Gorwynnion. 75
Gosgordh. 189
Grampond. 254
Grant, *fl.* 8. 225
Granta. 7
Grantchester. 63. 225
Grantham. 55. 65
Grantz=Bein. 130
Greenwich. 185
Güain, fl. 276
Güayn. 233
Güeilgi. 263
Güelygordheu. 164. 173
Güendraeth, fl. 166. 275
Güenhidü. 239
Güenhuysic. 238
Guentüys. ibid.
Gueppones. 139
Guepponium. ibid.
Güernant. 267
Güidhyl. 31. 184. 212
Güinedh. 75
Gülâd yr hâv. 74
Guogs. 113
Guy, Nom. Viri. 58
Güydhgrug. 268
Güydhva. ibid.
Güydvaen. ibid.
Güynt kythrael. 253
Gynæceum. 38

H.

HAdingtoun. 229
Hæbudes, *Inss.* 119
Halyston. 124
Hameldon. 175
Haries, Inf. 81
Haugustald. 257
Haul. 35
Haul y meirü. 227
Havren, fl. 206
Hebrides, *Inss.* 119
Helenum Prom. 37
Hemingford Abbatis. 203
Hên. 48
Herculis Prom. 145
Hereford. 24. 79
Hergest. 269
Hertford. 69. 71
Hertland. 131
Hespin, fl. 267. 274
Hexham. 257
Hextold, fl. ibid.
Hey, Inf. 108. 211
Hithe. 149
Hochsted. 257
Holderness. 191
Holy. 35
Holy=Head. 87
Island. 122
Horesti. 132
Horn C. 33
Horna. 169
Howburn. 224
Hownam. 131
Hu, Hui, Inf. 218
Huiccia. 135
Humber, fl. 4
Hunni. 219
Huntingdon. 112. 113. 118

I.

JAgiodulma. 163
Ἰαμήνσα,—ήσα,—ήσα. 222
Janganum Prom. 147
Jano. 78
Ibernio. 132
Ibernus, *fl.* 134
Ickborough. 138
Icanhoe. 137
Icenia. 52
I Columb Kil. 218
Icta, *Inf.* 247
Ictium mare. 248
Ied, fl. 125
Iedburgh. 125. 229

Ierby.

Jerby. 1. 21
Ἱερὸν Ἄκρον. 102. 206
Ἱέρνη. 133
Ἱέρνος, fl. 135
Jersey. 57
Ikeneld 88. 239
Ikeneld-street. 63. 88
Ila, Inf. 193
Ilkley. 188
Illyrii. 217
Immanis. 137. 196
Inis Bouind. 57
Enlhi, Enlhiv. 7. 153
Fiodfa. 211
Keith. 249
Medic ante. 124
Toüil. 228
Uitrum. 28
Inse Gal. 119
Infenos. 91. 140
Interocrea. 186
Intraum. 139
S. Johannis Prom. 140
Iona, Inf. 218
Ἰκέρνη, —νία. 133
Ipswich. 139
Ἴρκε. 133
Irthing, fl. 14. 237. 255
Ifannavantia. 98
Ifcadum Nomorum. 141
Iflandia. 228
Isle of Dogs. 91
of Man. 175. 176
of Wight. 247
Itali. 158
Ithancester. 190
Ivel, fl. 84. 141. 207
S. Ives. 129
Jugantes. 88. 135
Juliocenon. 232
Julius-Hoffe. 226
Jupania. 143
Jura, —raffus, *Mons.* 146
Jürch, fl. 267. 273
Ἰξός. 8
Jyrchelh. 267. 274

K.

Καινὸς Λιμήν. 149
Κάλατον. 59
Καμαρλόδυνον Νικηφόρειον. 64
Kanney, Inf. 94
Keddonbourn. 125
Kei Beric. 58
Κέμμφον. 128
Ken, fl. 78. 240
Kenchester. 24
Kendale. 85
Kennet, fl. 93
Kent. 66
Kenton. 240
Kentigernus. 255
Kenvi, fl. 272
Κεφαλή. 33
Kil-lair. 146
Killian, fl. 77
Kil Remont. 169
Kilvin, fl. 188
Kincarden. 80. 232
Kinchuith. 12
King. 29
Kirk. 272
Kirkby-Thor. 59
Kirk-Oswald. 240
Kirkowbright. 40
Kistlegate. 23
Κοίραν. 223
Κόλδυοι. 84
Κελὲ Μέτωπον. 237
Κύρος. 223
Kyle. 80. 235
Kymro. 50. —*ru.* 158
Kyndrüyn. 26. 192
Kynnhürig. 81
Kynyd Kynüidion. 93
Kythrael. 253

L.

Lagecium. 147
Lan, fl. 47. 115
Lancaster. 47. 115. 156. 159
Lanchester. 156

Landak.

Moiezo. 175
Momonia. 100
Môn, Inf. 179
Monaoeda. 176
Monile. 269
Monmouth. 12
Mons. 46
Montrose. 170
Moravii. 176. 235
Mordav, fl. 266. 274
Moresby. 179
Môr guerydh. 234. 240
Morini. 21. 68
Morionio. 180
Morlais, —laix. 93
Morlas, fl. 266. 274
Morria. 104
Mostevia. 175
Mowap. 170
Mul, Inf. 146. 166. 177
Mulcaster. 164. 165
Mul of Cantire. 193. 194
of Galloway. 184
Munnow, fl. 12. 180
Murevi. 176. 235
Murimintum. 252
Murray-Frith. 235
Musselburgh. 170
Mutuantonis, 168

N.

NA'βαρχ, —βαιος, Νάυαιος. 181
Ναγνάται. ibid.
Ναλκκὰα. 61
Navimago. 201
Navern, fl. 181
Navione. 92. 233
Naurum. 99
Neath. 183
Nêdh, fl. 272
Nehalennia Dea. 3. 181. 248
Nemetes. 174. 182. 209
Nemetobriga. 174
Nemetocenna. ibid.
Nemetotacio. 182
Nemthor C. 174
Nen, fl. 19
Nethersby. 8
Neustria. 22
Newbury. 220
Newcastle upon Tine. 125
Newenden. 16. 168
Newenham. 117
Newport. 141. 255. 256
Newport-Pagnel. 147. 256
Newton-Kyme. 59
Nichol. 153
Nid, fl. 183
Nin, fl. 19
Νόοιος, Νοϋιος, Νϋιος. 183
Norbury. 207
Norfolk. 137
Norlich. 207
Northampton. 122
Northwiche. 85
Norwich. 138
Nottingham. 9
NOVANEI, —vanti. 184. 231
Novitia. 220
Nympha Brigantum. 240

O.

OCcellium. 186
Ocellum Durii, Ocelodorum. ibid.
Ὄχθη ὑψηλὴ. 154
Ocriculum. 186
Octopitaron. 186. 187
Oestrymnicæ Insulæ. 216
Ogmor, fl. 266. 274
Oken-Yates. 255
Old Aberdeen. 104
Oldburgh. 117
Old Carlisle. 72
Malton. 64
Perith. 194
Radnor. 163
Sarum. 219
Winchester. 252
Olerica. 187
Omire. ibid.
Orduicum Montes. 189
Orkneys. ibid.

Orrea.

Orrea. 169
Ostiones. 190
Ὀταλίνοι. ibid.
Otodanii. 191
Ὀυανδογάρα, —δυάρα. 200 235
Ὀυάραρε, —αρυ, —ἄραρις. ibid.
Oudenaerd. 132
Ὀυελίβορδι, —ελλέβορδι. 236
Ὀυενικόνες, —κόνλες. 241
Ὀυέννα. 238
Overborough. 47
Over-Kilvin. 188
Ὀυιδόγαρα, Ὀυινδόγαρα. 235
Ὀυζελλα, —ελλον. 256. 257
Ὀυτερνοι. 134
Oxa. 4. 31
Oxendon. 29
Oxford. 61. 264
Ὀζελλοι. 256

P.

Padstow. 121
Paisley. 199
Pant, fl. 31. 170
Papcastle. 193
Πάρεισοι. 191
Parisii. ibid.
Parrington. 199
S. Paul's Church, Lond. 156
Paunton *magna*. 7. 118
Paxton. 35
Pecus. 192
Pemble-Mere. 236
Pembroke. 55
Pemsey. 176
Pendley. 269
Pengüern. 244
Penk, fl. 192
Penkridge. 92. 192
Pennigent. 269
Pennolocus. 193
Penrhyn. 269
Pen sâv vel coit. 141
Penuahel. 2. 6. 195
Pen Uith. 19
Penwith-steort. ibid.
Pen von lâs. ibid.
Pepidiaüc. 194
Πέργαμος. 112
Petru muiaco. 197
Phryges. 48
Piers-bridge. 85
Pilais. 196
Plym, fl. ibid.
Plymouth. ibid.
Plymton. ibid.
Pocklington. 191
Ponsmur. 254
Pont, fl. 197
Pont-Eland. 196
Pool. 43
Poreo classis. 99
Porta. 255. 256
Portchester. 198
Porth Cleis, —Uogan. 43
Portland, Ins. 82. 198. 251
Portslade. 198
Portsmouth. ibid.
Portu Aepatiaci. 197
Portus Ictius. 248
Morinorum ad Britanniam. 197
Poüys. 75. 173
Prætentura. 234
Princastellum. 46
Prudehaw. 54
Πτερωτὰ Σερκτόπεδα. 9
Punctuobice. 117
Pydeü. 264

Q.

Quagg. 113

R.

Rab. 201
Racline, Ins. 202
Ractomessa. 20. 32
Ῥαγαι. 88. 200
Rams-Head. 237
Ramsey, Ins. 152
Ranatonium. 199
Randuara. 200
Rarabis. 112

Ratecorion. 88. 200
Ρατοσαθύβιον. 200
Ravenglas. 164
Ravenna. 201
Ravensbourn. 185
Ravenswozeh. 201
Read, fl. 131
Reading, *Readyge.* 197
Ῥίβα. 199
Reban. ibid.
Reculver. 203
Red-Head. 221
Regaina. 202
Rencewud. 185. 202
Rennes. 86
Repta-ceaster, Reptimuth. 205
Reuda. 97
Rhaiadr. 263
Rhenus, *fl.* 159
Rhonüen. 204
Rhyd Avüch. 186
Rhyt Kynnyt. 93
Vorlas vel *Morlais.* ibid.
Rhyvel. 36
Rianus, *fl.* 2
Ribel, fl. 38
Ribelchester. 203
Ribodunum. ibid.
Richburgh. 205
Richmond. 44. 72. 169
Ridings, Yorksh. 49
Riduna. 202
Riduno. 58. 180
Rigia. 202
Rigomagus. 203
Ῥιχίνα. 202
Ringwood. 185. 202
Riot. 97
Rissingham. 131
Roan. 204
Rochester. 46. 112
Rose-Castle. 86
Rossen. 69
Rossia. 233
Rotterdam. 169. 172
Rother, fl. 161. 168
Rotherhithe. ibid.
Rotomagus. 204
Routchester. 129
Routo. ibid.
Roüenna. 204
Rovia. 105
Rowton C. 205
Roxburgh. 170
Rumabo. 107
Rumsey, Inf. 24
Rutland. 66

S.

LA *Saar*, fl. 208
Sabaudi. 222
Sabis, *fl.* ibid.
Sabrina, *fl.* 206
Sabus. *fl.* ibid.
Sachs. 209
Salen-Geese. 248
Salisbury. 219. 244
Salmis. 207
Saindy. ibid.
Salopia. 244
Saltash. 257
Samara (*La Sambre*) fl. 38. 222
Samarobriga, —briva. ibid.
Sambrica. ibid.
Sandonio. 68
Sandwich. 205. 206
Sapaudi. 222
Saponis. 145. 193
Saragossa. 58
Sarnia. 127
Saturnus. 35. 36. 47
Saverenus. 99
Scadum Namorum, —Nanniorum, —Nunniorum. 141
Scadomorum. ibid.
Scaldis, *fl.* 232
Scena. 210
Scharp, fl. 119
Schetland. 211
Scota, Pharaonis filia. 225
Seaton. 180
Segelosum. 9
Seghill. 213. 214
Seiont, fl. 272
Selchester. 38. 252

Selwood.

Selwood. 74. 84. 141
Senex. 48
Sequana, *fl.* 114
Serduno. 214
Σεταυλίων Λιμήν. 213
Sevenshales. 132
Severia. 219
Severn, fl. 206
Shanon, fl. 215
Sheernesse. 269
Shepey, Inſ. 166
Shirwood. 9
Shoreham. 198
Shrewsbury. 244
Sidbury. 229
Sidmouth. ibid.
Sigugna, *fl.* 115
Silly Islands. 216. 217
Silurum Insulæ. ibid.
Simerston. ibid.
Simpludarea. 217. 218
Sinetriadum. 108
Siſtuntiaci. 213
Sittinbourn. 115
Skey, Inſ. 211
Σκιλίς. ibid.
Σκυθόπολις. 210
Slan, fl. 179
Slegach. 152
Sleppa. 129
Σμέρται. 176
Soan, fl. 222
Soar, fl. 152
Sobrica. 218
Soland-Geese. 248
Solent. ibid.
Solenta, *Inſ.* ibid.
Soldiers. 219
Solwey-Frith. 215
Somerset. 74
Somerton. ibid.
La *Somme*, fl. 246
Somonobriva. ibid.
Sonare. 223
South-Hanton. 19
Moulton. 174
Sowr. 208
Speen. 220
Spey, fl. 55. 231
Spurn-Head. 186
Stafford. 75. 231
Stanes. 28
Stanfordia. 149
Stanyway-Heath. 64
Staple-Isle. 171
Statio (Stadio) Deventia. 103
Stincar. 53
Stonehenge. 146
Stonhar. 5. 205
Stony-Stratford. 98
Stour, fl. 110
Stourbeach. 225
Stourminster. 18
Stow. 220
Stratford *Episcopi.* 88
Strathern. 107. 249
Strathnavern. 91. 181
Strenshald. 109. 110
Stretham. 198
Stretham-Grantham. 79
Stretton. 98. 192
Strivelin. 11
Stroud, fl. 115
Stura. 8. 18. 19. 110. 117. 226
Stutfall C. 147
Subdobiadon. 157
Suderland. 68
Suffolk. 137
Sulloniacis. 220
Sumena. 246
Sun. 145
Sureby. 124
Surrey *(Sudrige)* 76
Susura. 145. 193
Swale, fl. 72. 124
Sychdin. 214
Sylva Caledonia. 207

T.

TAba, Tabia. 225
Tadcaster. 59. 240
Tadoriton. 171
Tagea Voran. 58
Tagus, *fl.* 100
Τάϊφαλοι. 221

Tal y Lhyche. 264
Tamatide. 224
Tamar, fl. 38. 221
Tamerton. ibid.
Tamion. 222
Tanarus, *fl.* 224
Tanet, Inf. ibid.
Taramis, —nis. 223
Taran. ibid.
Tarbarth. 154
Tarvifium. 224
Task. 225
Tavodunum. ibid.
Taüy, fl. 265
Tawton *magna.* 175
Tax. 225
Tay, fl. ibid.
Teign fl. 220
Teignton. ibid.
Teis, fl. 232
Teivi, fl. 111. 265. 273
Termonin. 78
Tern, fl. 198. 206. 230
Tervynnant, fl. 267
Teviot. 229
Teutones. 173. 182. 208. 227
Tewksbury. 122
Thame. 113. 223. 265
Thames, fl. ibid.
Thaxted, fl. 5. 31
Θερμὰ ὕδατα. 21
Thet, fl. 204
Thetford. ibid.
Thistleworth. 23. 31
Thor. 223
Thornburgh. 72
Thorney, Inf. 156
Thunder. 224
Τίβισκος, fl. 232
Tibius, *fl.* 229
Tinbren. 270
Tindaethüy. ibid.
Tinea, Tinoa. 229
Tinmouth. 232
Tin Sylüy. 270
Tippal, fl. 58
Tifca, *fl.* 20
Titanes. 208
Τοισόβιος. 87
Τοκκία. 220
Τολίαπις. 224
Tonare. 223
Topefham. 10. 180
Torcefter. 231
Τραὶ, Τραϊσις ἔκχυσις. 4. 232
Toüi, fl. 229. 265. 273
Tournay. 47
Trahannon. 19
Trajectus ad Lendam. 149
Tralhünc. 148
Traxula. 124
Tregeney. 77
Tre-màton. 115
Trenius, fl. 244
Trent, fl. 103. 231
Triminitium. 231
Trev rydh, gordh, gaeth. 114. 189.
Tueffis. 232
Türch, fl. 267. 274
Turci. 219
Turnus. 47
Tweed, fl. 232
Twinamburn. 10
Ty güyn. 65
Tyne-head. 191
Τυρόννος. 47. 223
Tyüi, fl. 229. 265

V.

Y *Vâd dhu hylh.* 17
Y *Vâd velen.* 17. 106
Vagniacis. 162
Vahalis, *fl.* 72. 124
Vale, fl. 254
The **Vale.** 268
Valenciennes. 254
Y *Valh.* 16
Valteris. 246
Vbbeftow. 12
Vectis, *Inf.* 247
Vecturiones. 249
Venedotia. 75. 90
Vennonis. 39
Venta Cemomum. 238

Venta

Venta Sluxum. 238
Veneris. 246
Vernalis, —nilis. ibid.
Vertenia. 240
Veterum. 246
Vicus ad Catarractam. 72
Vigutius, *fl.* 118. 248
Vindelis. 251
Vindinas, —diras. ibid.
Vinion, *Inf.* 135
Vinonia, —nevia. 253
Viſcus. 8
Vividin. 236
Ulcinium. 100
Ulſter. 99. 254
Uniſama. 145. 178
Voadicea. 254
Y *Voel.* 268
Voreda. 240
Voudicea. 254
Urde-Head. 247
Urnach Gaür. 243
Usk, fl. 140. V. Iſca.
Uſocoana, —cona. 256
Uſſoldun. 257
Uter Pendragon. 192
Utriconium Cornoniorum. 91. 242.
Uttoxeter. 122. 123
Vulcanus. 36
Uxbridge. 29. 264
Uxelludiano. 257
Y *Vyrnüy*, fl. 265. 277

W.

TO Wagg. 114
Wainſleet, fl. 233
Walcheren. 3
Wald. 76
Walden. 5. 63
Wall. 150
Wallenford. 28. 61
The Wall's-End. 253
Wallia. 53. 233
Walliſchi. 37. 53
Wallones. 51
Waltham. 88. 116
Walwick. 59. 237
Wambo, Inf. 14
Wantſum, fl. 206
Warham. 111. 180
Warminſter. 241
Warrington. 239
Warwick. 21. 75. 98. 198 242.
The Waſhes. 176
Waterbrook. 85
Watling-ſtreet. 114
Wattlesburgh. ibid.
Weedon. 98
Weimes. 233
Weland, fl. 149
Wellop, fl. 44
Welſh-Pool. 148
Wensbeck, fl. 129
Wire, fl. 202. 236
Werlame-ceaſter. 245
Weſtbury. 202
Weſter-Cowdon. 142
Weſtminſter-Abby. 156
Wexford. 102. 166. 206
Wey, fl. 82
Weymouth. 82. 251
Wherf, fl. 187. 240
Whigg. 136
Whisker. 34
Whitby. 110
Whithern. 65
Whitlaton. 11
Wiſle, fl. 139
Wighton. 101
Wigton. 78
Wilen-Ferry. 207
Wilton. 70
Winander-Mere. 105
Winburnham. 251. 252
Winchelcomb. 23
Winchester. 238
Winwadre-Mere. 213
Wirral. 74. 225
Wirus, *fl.* 236
Witham, fl. 118
Woburn. 98. 113. 114
Woodbury. 10
Woodcote. 185

Wooller,

Wooller, Woollover. 28
Worcester. 46
Woulds. 76
Wreken. 243
Wrocwardin. ibid.
Wroxeter. 242
Wy, fl. 110

X.

Xaintes. 172

Y.

Yalme, fl. 235. 246
Yalmton. ibid.
Yare, fl. 126
Yarmouth. 127
Yawles. 96
Yper Le. 120
Ypocessa. 69. 120
Ypres. 122
Ystüyth, fl. 220